



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Disputationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalæ, 1644**

Tractatus II. De Deo vt Trino.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



# TRACTATUS SECUNDVS

## DE DEO VT TRINO



AGGREDIMUR *mysterium*  
totius religionis Christianae difficilissimum, et à comprehensione rationis naturalis longissimè remotum: in quo Verè Deus lucem habitat inaccessibilem, humili silentio magis adorandus, quam curioso ratiocinio investigandus. De quo, licet prauo lumine fidei, tam difficile est Theologo disserere, ut verè dixerit August. lib. 1. de Trinit. cap. 3. Vbi quæritur vnitas Trinitatis Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Verè quoque scripserit de illo magister Dionysius cap. 3. de diuinis nominibus, Nulla monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut foecunditas, neque quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ, omniaque superantis diuinitatis, quod rationem omnem mentemque vincit, enunciat: nec eius nomen est, neque ratio; sed in iis, ad quæ aditus non patet, secreta est. Neque verò mirum est hu-

mani ingenii perspicaciam ad tanta maiestatis splendorem caligare: cum in rebus vilissimis, & à Dei maiestate remotissimis, p̄tā in continui compositione, tantopere cacutiat. Sed potius mirandum esset, ut sapienter ait Iustin. Martyr in oratione exhortatoria ad gentes, existimare homines posse humanis suis cogitationibus res diuinas, & cœlestes exactè cognosci: cum nē terrenas quidem pernosse valeant. Quare non illud moliantur Theologi in huius mysterij explicatione, ut clarā illius notitiā assequantur, aut tradant: quod vires suas longè superare perspicuè intelligunt: sed ut face fidei præunte, quid de illo Scriptura, & reuelationes diuina tradiderint, quid Concilia contra varios hæreticorum errores definiuerint, quid sancti Patres vnanimi consensu de illo senserint, accuratè exponunt: inuēque ductis ratiocinationibus, & adscitis aliunde quæcunque ad tam difficilis, & arcani mysterij elucidationem inuare possunt, conantur, quoad fieri potest, difficultatem mollire, fidem munire, & contrariis infidelium argumentis satisfacere: quæ certum illis est, quidquid habeant apparentiæ, verā esse non posse: cum verum vero contrarium esse nequeat: & diuinæ reuelationi falsum subesse non possit.

Atque hoc est, quod nos, quodque aliorum Theologorum exemplo præstandum suscipimus in præsentī tractatu. Prius tamen suppliciter implorata ipsius sanctissimæ Trinitatis ope, ac luce, verbis D. Hilarij lib. 1. de Trinit. prope finem: Torpemus enim quodam naturæ nostræ pigro stupore, & ad res tuas intelligendas intra ignorantia necessitatem ingenij nostri imbecillitate cohibemur. Sed doctrinæ tuæ studia ad sensum nos diuinæ cognitionis instituunt, & ultra naturalem opinionem fidei obedientis prouehit. Expectamus ergo ut trepidi huius coepti exordia incites, & profectu accrescente confirmes, & ad consortium vel Prophetalis, vel Apostolici spiritus voces: ut dicta eorum non alio, quam ipsi locuti sunt sensu, apprehendamus, verborumque proprietate, & eorum rerum significationibus exequamur. Locuturi enim sumus, quæ ab iis in sacramento prædicata sunt, Te æternum Deum, æterni Dei vnigeniti.

niti Patrem &c. Tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ vim, dictorum honorem, veritatis fidem, & præsta, vt quod credimus, & loquamur.

*De hoc eodem mysterio scripserunt accuratè Patribus Latinis, præter Hilariū libris 12. Tertull. lib. contra Praxeam, August. tom. 3. libris 15. Fulgent. in lib. aduersus obiectiones Arianorum, Boëtius in duobus lib. de Trinit. Richard. Viët. libris sex de eodem argumento: & Patribus Græcis Athanas. ferè ubique Basil. in libris contra Eunomium, Nazianz. in 4 orationibus de Theologia, Greg. Nyss. quatuor aliis orationibus de Trinit. Chryso. in homiliis quinque de visione Isaia, Damas. lib. 1. de fide. Quorum doctrina, & vestigiis insisterunt Scholasticum Magistro in 1. dist. 1. & sequentibus, vsque ad 25. & D. Thom. eiusque interpretes 1. p. à quest. 27. vsque ad 43.*

*Vniuersam autem D. Thomæ doctrinam, septendecim questionibus, ab illo comprehensam, nos ad nouem capita reuocabimus, totidemque disputationibus exponemus. Prima erit de existentia, & distinctione trium personarum diuinarum. Secunda, de processionibus diuinis, eorumque principijs, & terminis. Tertia, de relationibus. Quarta, de hypostasibus. Quinta, de notionibus. Sexta, de personis diuinis in particulari, & primò, de persona Patris. Septima, de persona Filij. Octaua, de persona Spiritus sancti. Nona, de comparatione personarum diuinarum cum essentia, & inter se, præcipuè quoad æqualitatem, circuminseptionem, & inuisionem vnus ab alia. Quæ omnia vti nam ad maiorem illius notitiam & laudem cedant, cuius honoris & gloria, hæc scribendo seruire cupimus.*

Vni trinque Domino  
Sit sempiterna gloria,  
Qui vitam sine termino  
Nobis donet in patria;  
Amen.

Q9



# DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA.

De existentia & distinctione trium personarum  
Diuinarum.

Sectio I. *An sint in Deo tres personae realiter distinctae?*

Sectio II. *Referuntur, & reselluntur varij errores contra mysterium  
Trinitatis: & primo error Iudeorum.*

Sectio III. *Resutantur alij errores Arianorum, Sabellianorum, &  
Tritheitarum.*

Sectio IV. *Difficultates naturales circa idem mysterium.*



Ametsi D. Thomas & alij plerique supponunt  
potius quam probant existentiam huius myste-  
rii, de qua difficultate non nisi obiter, & alia-  
rum occasione loquuntur: operæ pretium esse  
mihi videtur, in illam ex professo, & accura-  
tè probandam primo loco incumbere, tum ex  
sacris literis veteris Testamenti, contra Iu-  
deas: tum ex Euangelicis, & Apostolicis scri-  
ptis contra Arianos, Sabellianos, Tritheitas,  
& alios hereticos, quorum errores iam  
pridem ab Ecclesia damnatos, & extinctos, recentiores aliqui in  
Transylvania, & Polonia, & in quibusdam locis suscitauerunt. Contra Atheos  
verò, aut infideles, qui Scripturas, & reuelationes diuinas non ad-  
mirantur, eodem modo procedendum est in hoc mysterio probando,  
quo in aliis fidei dogmatibus vtendum esse dicemus tom. 3. disp.  
5. de fide sect. 2. & sequentibus: & tom. 4. disp. 1. de Incarnat.  
sect. 5. Proponendo scilicet, & exponendo argumenta naturalia,  
quibus euidenter conuincitur Deum esse, & alia, quibus ipse suffi-  
cienter credibile fecit se reuelare, quæcunque ipsius nomine & au-  
toritate credenda proponuntur ab Ecclesia: quæ, vt ibidem osten-  
demus, sunt huiusmodi, vt nemo illis ritè perpensis, possit prudenter  
dissentire.

## SECTIO I.

*An sint in Deo tres personae realiter distinctae?*

**C**onclusio: Deus est vnus in essentia, & trinus in personis realiter distinctis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Est de fide, tradita in Symbolo Apostolorum, & in omnibus ferè Conciliis Oecumenicis, speciatim vero in Lateranensi sub Innocentio tertio, cuius verba hæc sunt cap. Firmius, de summa Trinitate. *Vnus solus est verus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personae, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino, non multiplicata.* Et cap. sequenti circa medium: *In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.*

Eadem veritas traditur scriptis in Scriptura. In veteri quidem Testamento Genes. 1. innumerat personarum diuinitatem pluralitatem, v. 1. vbi secundum textum hebraicum tribuitur pluribus rerum omnium creaturam effectio, ac Deus rerum omnium conditor voce plurali *Elohim*, & signatur: tum v. 26. vbi Deus hominem formaturus sic loquitur de seipso in plurali: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Est enim probabile maius ibi subesse mysterium, quam simplicis phrasos hebraicæ, pluralè numerû pro singulari usurpantis. Et vt notat Theod. q. 19. in Gen. Deus in Scriptura rarè loquitur in numero plurali, idque non sine mysterio; nimirum ad insinuandum numerum personarum Trinitatis, vt Gen. 1. v. 7. *Venite descendamus &c.* Ibidemq; refutat Th. od. alium expositionem Iudæorû affirmantium Deum locutum esse Angelis, cum dixit *Faciamus &c.* Nam homo non fuit creatus ad imaginem & similitudinem Angelorum: Deus autè dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et Basil. homil. 9. Hexam. prope finem refellit ineptam euasione respondentium, Deum in vnica persona dixisse sibi ipsi, *Faciamus* vt seipsum ad opus excitaret. *Quis enim faber, inquit, aut ararius, aut lignarius, aut cerid comarius sutor, solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, interque sue artis instrumenta desidens; quis, inquam, sibi soli admiratur dicens, Faciamus gladium, aut comparamus aratrum, conficiamus calceamentum: ac non potius silentio suam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sum enim in signis profecto nugæ, vnum aliquem inueniri, qui sibi imperet, siue preceptorem desidere, & heriliter seipsum, vehementerque urgere, & exhortari.*

Verum vt hæc, & similia veteris Testamenti loca trita, & communia præ ermittam non possum vnum præterire à paucis animaduertendum, Prouerb. 30. v. 4. vbi de Deo sic dicitur: *Quis ascendit in celum, atque descendit? Quis continuit Spiritum in manibus suis? Quis collegit aquas, quasi in veste mto? Quis suscitauit omnes terminos terra? Quod nomen est eius, & quod nomen Filij eius, si nosti? Vbi Salomon addit, Si nosti, vel vt est in Hebræo *Ki chedang*, quod noueris, id est, phrasi hebraica, nota bene, vel, quod velim vt diligenter notes: propterea quod mysterium Trinitatis tunc teporis paucissimis tantum, & legis periculis expressè tradebatur, reliquis verò manebat incognitum, quibus propter difficultatem non expediebat tunc reuelari. Notat etiam Salazar eodem loco, Salomonem insinuasse Spiritum sanctum verbis illis, *Quis continuit Spiritum in manibus suis*, vel, vt habent Septuaginta Interpretes, in sinu suo? Adde & Christum, seu Verbum incarnatum ibidem insinuari verbis istis, *Quis ascendit in caelum, atque descendit?* Videtur enim Christus ad hunc locum allussisse, cum dixit Ioan. 3. v. 23. *Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, filius hominis, qui est in celo.**

In nouo autem Testamento clarè & apertè eadem veritas reuelata est pluribus locis: vt Matth. 16. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi distinctio realis personarum significatur vocibus Patris, Filij, & Spiritus sancti. Filius enim debet distinguere realiter à patre, à quo gignitur: Spiritus verò sanctus annumeratur Patri & Filio, tanquam ab illis distinctus. Sicut enim additur Patri Filius, velut ab illo distinctus: ita Spiritus sanctus additur Patri & Filio, velut distinctus ab utroque. Vnitas verò essentiae earundem personarum designatur per particulam, *In nomine*, quæ indicat tres illas personas habere vnicū nomen diuinitatis, vnicamque auctoritatem & virtutem, quæ sanctificamur, & filij Dei adoptiuè efficiuntur. Neque enim virtus & auctoritas vnus creaturæ sufficeret, vt per se solam nos sanctificaret, & filios Dei efficeret. Neque conueniens fuit Christum in hac Baptismi forma, quæ est compendium totius Christianæ Religionis, omnibus primò tradendum, vel Deum sanctificationis auctorem non exprimeret, vel creaturam illi æquo adtingere, & sub eodem nomine illam exprimere. Quorum primum contingeret, si ne Pater quidem esset Deus. Secundum autem: si aliqua ex illis personis esset Deus, aliæ vero duæ, aut altera illarum esset creatura.

Eadem veritas traditur passim in toto Ioannis Euangelio, præsertim capite 10. vers. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* Et cap. 5. v. 18. *Propterea ergo magis querebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbathum: sed & patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Quod postremum Christus ibidem verbis sequentibus magis magisque confirmat. Et cap. 14. Christus seipsum, & Patrem, & Spiritum sanctum, Deum esse non obscure docet, v. 11. & 16. Et 1. Ioan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.* Vbi quæ-

do ait, tres esse qui testimonium dant in caelo, id est, qui attestantur nostram redemptionem per Christum, intelligit tres verè & realiter distinctos. Sicut quando subdit, tres etiam esse qui testimonium dant in terra eiusdem redemptionis, spiritum, aquam, & sanguinem; intelligit tres verè & realiter distinctos: nempe spiritum, id est, animam Christi, quam emisit, & aquam & sanguinem, quae de eius corpore fluxerunt. Quamvis autem addit, *Et hi tres unum sunt*, intelligit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse unum naturam: sicut spiritus, aqua, & sanguis sunt unum personam in Christo. De hoc testimonio dicemus plura num.

5. Præterea de qualibet persona sigillatim plura sunt Scripturæ testimonia. De Patre quidem legitur 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESU Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Et 1. Corinth. 1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filij eius IESU Christi Domini nostri.* Et Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Item Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et 1. Ioannis 4. *In hoc apparuit charitas Dei, quoniam Filium suum unigenitum misit.* In quibus & similibus testimoniis notandum est, Deum vocari Patrem specialiter & singulariter Domini nostri IESU Christi, & Filij unigeniti.

6. De Filio (qui & Verbum, quia per viam intelligentiæ signatur, & IESUS dicitur & Christus, propter assumptam humanitatem) leguntur hæc Ioan. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Vbi cum dicitur: *Verbum erat apud Deum*, sine dubio de vero Deo sermo est, & de eo asseritur, *Deus erat Verbum*, aut, *Verbum erat Deus*, ille scilicet verè & proprie dictus, de quo ante immensitate sermo erat. Neque enim dici potest, quod mutetur significatio vocabuli Deus: quia id esset non docere, sed fallere, & magnam erroris occasionem præbere. Adde quod statim subiicitur: *Omnia per ipsum facta sunt* &c. Deus autem verus fecit omnia per seipsum, iuxta illud Psal. 148. *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Et Genes. 1. *In principio creavit Deus &c.* Adde etiam quod creare est solius veri Dei. Quare si per Verbum omnia creata sunt, id est, producta ex nihilo, proxime vel remote; necesse est Verbum esse verum Deum. Idem ipse confirmavit Ioan. 10. additò clarè ut Iudæi manifestè intellexerint ipsum se Deum dicere verbis illis, & sequentibus: *Oves meæ vocem meam audiunt.* &c. & non rapierit eam. *Et quoniam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi manus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Neque verò Christus hanc Iudæorum de se opinionem correxit,

sed confirmavit amplius cum subiunxit, *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si verò facio: & si mihi non credidistis, credite, operibus credite.* De eodem dicitur 1. Ioan. 3. *hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille (Deus) animam suam pro nobis posuit.* Et cap. 5. in fine, *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna.* Græcè, *in verò advenit in nos, & dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum.* Vbi particula, *hic*, vel *verò* refert apostatæ Filium. Et Actor. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Deus autem qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo, Christus est. Et Roman. 9. vers. 5. *Quorum Patres & ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et Philippen. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Et Heb. 1. *Ad Filium autem (supple, dicit Deus Pater) Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, Virga directionis virga regni tui.*

Denique de Spiritu Sancto legitur Actor. 5. *Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri de Spiritu sancto? non est mentiris hominibus, sed Deo.* Et 1. Cor. 12. *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Et paulò post: *Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Et cap. 6. v. 19. & 20. *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, &c. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Illum scilicet Spiritum sanctum qui in vobis est, Galetiam eum templum tribuit, Deum illum esse significat. Solius enim Dei est habere templum, & præcipuo cultu religionis colli. Et capitulo 2. vers. 10. dixit eundem Spiritum *Omnia scrutari, etiam profunda Dei*: idque illi esse proprium, videlicet ratione naturæ quæ verus est Deus: confertque illum cum spiritu hominis, qui certè est de substantia hominis. Eundem Christus Ioan. 15. & 16. ait, *Procedere à Patre*, processione speciali scilicet, de qua inferius dicitur. 24. non autem communi rebus omnibus per creationem, de qua alioqui non erat cur speciatim fieret libi mentio. Notant etiam sancti Patres, ut refert Suarez lib. 2. de Trinitate. cap. 5. in fine, Spiritum sanctum in Scriptura nunquam numerari in ordine creaturarum: sed ubicunque recensentur creaturæ, perueniri solum ad Angelos in genere, vel in specie ad Cherubinos & Seraphinos: Spiritum verò sanctum in Scriptura temper numerari in ordine personarum divinarum.

Eandem personarum Trinitatem aliqui variis argumentis naturalibus ostendere conati sunt. Quidam enim ex eo quod Deus est mens & intelligentia nisi sunt demonstrare, in Deo esse Verbum & amorem; atque verbum esse alicuius verbum: item amorem

esse alicuius producentis amorem. Sed si per verbum, & amorem intelligunt tantum intellectum & volitionem: nihil proficiunt. Sin autem intelligit verbum & amorem productum realiter vt personam distinctam a persona producente: vtuntur argumento plane obscuro & inutili. Quamuis enim euidens sit Deum esse intelligentem, & amantem: non tamen quod ad intelligendum & amandum egeat verbo & amore personali producto, quo formaliter intelligat & amet: sed potius quod per seipsum substantialiter, circa realem productionem, sic formaliter intelligens & amans.

Alij voluerunt id demonstrare ex eo quod Deus sit infinitum, & summum bonum, ac per consequens sit infinite communicabilis. Quia infinita communicatio esse nequit, nisi Deus a Deo procedat. Non potest autem alius Deus, id est, ipsam Deitate distinctus, procedere; quia impossibile est esse plures Deos: quare erit idem Deus, hypostasi solum seu persona distinctus.

Verum neque hoc argumentum quidquam probat. Quoniam licet Deus sit summum bonum & infinitum, atque infinite communicabile quantum in ipso est: tamen si nihil esset possibile cuius diuinitus esse infinite communicaretur, defectu capacitatis in recipiente. Deinde factis est quod Deus in infinitum sit actiuus ad extra, & productiuus creaturarum quae magis ac magis in infinitum participant suas perfectiones: estque probabilius Deum posse extra se producere actum infinitum. Rursus communicatio non fitantum per productionem: sed & per vnionem hypostaticam, qualis in Christo est: & per conseruationem, quae respectu multorum infinite durationis est: & per visionem ac fruitionem beatificam, quae maior ac maior in infinitum dari potest in creaturis intelligentibus perfectioribus ac perfectioribus in infinitum. Nulla enim potest creati tam perfecta, qua perfectior fieri non possit. Quare infinita communicatio non postulat vt idem Deus a Deo procedat. Imo nec ratio naturalis capit, quod a Deo possit Deus procedere, neque quod aliquid productum sit Deus ipse: vt fatentur S. Thom. 2. 2. art. 1. in corp. Interpretes ibidem, Scholastici in 1. dist. 3. & Suarez. li. 2. cap. 11. n. 5. & cap. 2. nu. 2. ubi rone ait mysterium Trinitatis non posse demonstrari positiuè naturalibus rationibus, id est, per aliquod medium naturale, sed non reuelatum, quod illud ostendat negatiuè tamen posse ostendi non esse impossibile, satisfaciendo naturalibus argumentis, quae in contrarium afferuntur ab infidelibus. Contra quos hoc mysterium probari potest, primò ostendendo per argumenta credibilitatis dogmata fidei Christianae esse vera & amplectenda: Deinde ostendendo hoc mysterium esse dogma fidei Christianae. Primum attinet ad Secundam Secundae, in tractatu de Fide. Secundum hinc abundè praestitum est citatis Scripturae te-

stimonis, quibus addere Patrum & Conciliorum testimonia superuacaneum foret, cum notissimum sit Athanasium, Basilium, Hieronymum, Augustinum, & alios antiquissimos Patres, & scriptis & miraculis plurimis contra Arianos hanc veritatem fidei confirmasse, expressè traditam & definitam in Concilio I. Constantinopolitano I. Ephesino, Chalcedonensi, aliisque conciliis.

Ricardus Victorinus lib. 3. de Trinitate cap. 2. alias rationes adducit ad idem probandum. Nempe quia summa bonitas sine charitate esse non potest. Caritas autem non potest esse nisi vnus erga alium. Et summa ac perfectissima caritas non potest esse nisi erga summè bonum. In Deo autem est summa bonitas: ergo & caritas. Ergo alius qui diligit, & alius qui diligitur. Ergo pluralitas personarum. Atqui haec personae debent esse summè bonae, vt summa caritate & diuina diligi queant. Quare illae personae sunt Deus, cum aliter non possint esse summè bonae. Praeterea felicitas summa non potest esse vnus solitarij, sine consortio. Deus autem est summè felix: quare consortium debet habere. Non cret autem Deus habere consortem alium Deum: ergo debent esse multae personae quae sunt idem Deus.

Verum haec rationes & similes non conuincunt. Nam priori potest facile responderi, quod si caritas proprie ad seipsum esse nequit; erit in Deo caritas essentialis & necessaria, saltem circa creaturas intellectuales possibiles, amando illas propter ipsas. Circa seipsum vero habebit Deus amorem perfectissimum, longè excellentiorem charitate creata, planèque adequantem obiecti illius infinite excellentis amabilitatem.

Ad posteriorem vero rationem negari potest quod vnus sine consortio non possit esse summa felicitas. Et enim Deus ipse est essentialiter beatus, cuius est essentialis nihilominus pluralitas personarum. Et singulae personae sunt per suam naturam beatae, etiamsi consortium personarum non includatur in natura: alioqui summa aliqua perfecta, & simplicitate simplex non contineretur simpliciter in natura diuina. Pluralitas tamen personarum diuinarum pertinet ad obiectum formalem beatitudinis. Deus est essentialis. Sed ex eo quod lumine naturali habeamus Deum esse essentialiter & summè beatum, non potest haberi naturaliter Deus esse in personis trinam quasi naturaliter notum sit non posse aliter esse summè beatum.

Si quis instet Philosophos Ethnicos, vt Mercurium Trimegistum, Platonem, & alios, cognouisse Patrem, & Verbum, imò & Spiritum sanctum, & in his genitum Monadem ( vt inquit Trimegistus ) & in his se summi reflexis ardorem: Respondeo Philosophos illos nec rectè cognouisse; nec idipsum quod de personis diuinis dicere visi sunt, fuisse assecutos ratione nat-

101 Ricardus

113

Vnde, & quomodo Trinitas nota gentilibus philosophis.

Q93

Quomodo probandum contra fideles mysterium Trinitatis.



turali; sed didicisse ab iis qui diuinitus edo-  
cti erant, scilicet ab Hebraeis, vt Clemen-  
tis Romani, Ambrosij, & aliorum veterum  
testimonij luculentis confirmat Pine-  
da libro tertio de rebus Salomonis capit.  
28. Potuerunt etiam generalius illam qua-  
temcunque Trinitatis notitiam ex quatuor  
fontibus haurire. Nempe ex oraculis ip-  
sis Gentium: ex Libris Sybillarum, ex Sa-  
cris litteris, & ex consuetudine cum He-  
braeis; vt fuse ostendit Florauantius libro  
tertio de Trinitate cap. 1. in 2. parte capit.

Platonici quidem posuerunt mentem à  
primo principio genitam: sed diuina na-  
tura à primo principio, vt constat ex ip-  
sorum libris. Idemque fuit sensus Trime-  
gisti. Quis etiam dicitur illud non aper-  
te intelligitur de personis diuinis. Nam  
explicari potest, vt explicatur à D. Thoma  
quæst. 32. articulo primo ad prim. Quod  
Deus vnus, vnum mundum creauerit, & ad  
se vt ad finem ordinauerit. Eodemque ar-  
ticulo recte concludit S. Thomas non posse  
hominem ex creaturis ad cognitionem Trin-  
tatis assurgere: quia creatura ducunt nos  
tantum in Dei cognitionem vt effectus in  
causam. Vnde de Deo ratione naturali id  
tantum possumus cognoscere, quod ei com-  
petit secundum quod est omnium entium  
principium. Virtus autem creatura Dei, est  
communis toti Trinitati: vnde pertinet ad  
vniuersitatem essentia, non ad distinctionem  
personarum. Quare per rationem natura-  
lem ea tantum de Deo cognoscere possumus,  
quæ pertinent ad vniuersitatem essentia: non au-  
tem ea quæ pertinent ad distinctionem per-  
sonarum. Huc vsque S. Thomas.

13.  
Creatura  
non possunt  
ducere in  
notitiam  
Trinitatis

SECTIO II.

Referuntur, & refelluntur varij errores contra  
mysterium Trinitatis. A. Primum  
refutatur error Iudaorum.

14.  
Trinitas  
personarum  
probat  
ex Veteri  
Testamen-  
to.

Contra hoc fidei mysterium senserunt  
multi. Primum enim Iudæi vnicam in Deo  
personam, æque ad vnicam essentiam esse  
concedunt. Contra quos plura ex Testamen-  
to veteri testimonia congerunt, & explicant  
Chrysostomus in Serm. de Trinit. qui habetur  
in fine tomi tertij veteris editionis, Basil. ho-  
mil. 9. in Hexam. & lib. 5. contra Eunomium.  
Greg. Nyss. lib. de Trin. & aduentu Domini  
contra Iudæos, Athan. in orationibus contra  
Arianos, & contra Gregales Sebellij, Cyril.  
lib. 1. contra Iulianum, Theodoret. quæst. 19.  
in Gen. Hilar. lib. 4. & 5. de Trinit. Ambr. lib.  
1. de fide, Augustin. libro 2. de Trinitate:  
Et è Recentioribus, præcipue Vasq. disp. 108.  
cap. 2. Mol. ad quæst. 27. disp. 2. Didac. Ruyis  
disp. 36. de Trinit. sect. 4. & 5. Suarez lib. 2.  
de Trinit. cap. 3. Cuiusmodi sunt ea quæ se-  
quuntur: *Faciamus hominem ad imaginem, &*

*similitudinem nostram, Gen. 1. & Ecce factus  
est quasi vnus ex nobis, Gen. 18. & enue-  
scendamus, & confundamus ibi linguas eorum.  
Gen. 11. Dominus pluit super Sodomam, & Go-  
morrah sulphur, & ignem Domino, de celo,  
Gen. 9. aliaque, id genus, quibus distinctio  
personarum diuinarum designatur, & quibus  
sancti Patres frequenter vsi sunt.*

Efficaciora vero sunt illa, quibus conuincit-  
tur Messias Iudæis, promissum esse Deum, &  
Dei filium, personaliter à Patre distinctum.  
Cuiusmodi sunt tria illa, quibus ex veteri Te-  
stamento desumptis, & à Iudæis admissis, tan-  
quam diuinis oraculis, Paulus contra eosdem  
Iudæos vsus est cap. 1. epist. ad Hebr.

Primum habetur psal. 2. vbi David in perso-  
na Christi, seu Mess. vt ex initio psalmi liquet,  
& ex sequentibus, quæ Davidi in propria per-  
sona conuenire non possunt: vt illud v. 8. *Postula à  
me, & dabo tibi gentes hereditatē tuam, & possessio-  
nem tuam terminos terræ: nunquam enim ipse,  
nec vnus eius posterorum, præter Messiam,  
tam latè regnum suum temporale, aut spiri-  
tale amplificauit: David, inquam, in perso-  
na Messie sic loquitur: Ego autem confite-  
tus sum Rex super Sion montem sanctum  
eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit  
ad me, sedes tuæ Iehoua, quod est nomē Dei  
propriū & incommunicabile, vt dubium  
non sit ipsum esse Deum loquitur, Filius meus  
es in, singulariter scilicet, id est vnicus, &  
naturalis, non adoptiuus, vt plurimi alij.  
Ego hodie genui te, id est, in die, & in nunc  
æternitatis immutabili: æternaque, & e-  
dem semper manente generatione, heri, &  
hodie, & ab æterno in æternum existente.  
Nam quod hæc postrema verba intelligi de-  
beant necessario de speciali, & naturali  
filiatione, & de generatione æterna signi-  
ficata per vocem. *Hodie*, ed quod sem-  
per immutabiliter perseuerat: non autem de  
temporali, & adoptiua, multis aliis com-  
muni: patet, quia filiatio temporalis, &  
adoptiua tantum, fuit concessa multis aliis  
hominibus, & Angelis. Atqui Deus sic lo-  
quitur Messie, vt specialem eius præroga-  
tiua commendat, & excellentiam præ om-  
nibus aliis: ergo non loquitur de filiatione  
temporali, & adoptiua tantum. Nec obest,  
quod aliqui Patres hunc locum exponunt  
de temporali Christi generatione, vel re-  
surrectione. Nam priorem sensum magis  
literalem non negat, licet ad istum accom-  
modent. Videtur etiam Paulus Act. 12. vers.  
33. eum intelligere de Christi resurrectio-  
ne, sed aliam esse illius mortem recte ostendit  
Corn. in eundem locum.*

Secundum habetur psal. 44. vbi David Mes-  
siam Deum vocat, cum illi sic alloquitur: *Se-  
deus Deus in sæculis sæculi, id est, O Deus Mes-  
sia, regnum tuum semper durabit. Virga dire-  
ctionis, virga signi tui, id est, sceptrum tuum,  
seu regia potestatis, cum magna rectitudine, &  
æquitate omnia moderatur. Dilexisti iustitiam,  
& odisti iniquitatē: propterea vnxit te Deus, Deus  
tuus, oleo latitiae præ consorsibus tuis: id est, ob eam*

Primum  
testimonium  
est.

15.  
Secundum  
testimonium  
est.

causam Deus tuus, Pater scilicet, vnxit te, hoc est, Messiam te constituit: nam Messias hebraicè est idem, quod vnctus, derivaturque à *Maschab*, id est, vnctus, inquam oleo lætitiæ, præ consortibus tuis: id est, non oleo tantum gratiæ creatæ sanctificantis, vt alios homines gloriæ tuæ, & naturæ confortes: sed oleo iucundissimo ipsius diuinitatis, vt iustitiam diligeres, & iniquitatem odio haberes, summaque rectitudine, & iustitia subditos regeres. Vbi etiam notandum est Paraphrasem Chaldaicum, magnæ apud Iudæos auctoritatis, Messia nomen exprimere: Sic enim habet. *Et tu Rex Messia dilexisti iustitiam* &c. Dicitur ergo à Psalmista idem Messias, & esse Deus ratione hypostasis Verbi, naturæque diuinæ: & esse vnctus à Deo suo oleo lætitiæ præ consortibus, tuis quatenus scilicet homo est, & consors naturæ humanæ: cuius humanitas Dei beneficio fuit assumpta ad vniõnem hypostaticam.

16.  
Tertium  
testimonium

Tertium habetur Psal. 132. Vbi Danid eundem Messiam Dominum suum vocat, & ad dexteram Dei sedere profectus, id est, ad gloriæ & maiestatis æqualitatem fuisse à Deo assumptum; cum de illo sic ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Vbi Chaldaicus Paraphrastes pro, *Domino meo*, translulit, *Verbo suo*: & de Messia sermone esse non abnuunt Hebræi: de quo illo solo verum est, non de vlla pura creatura, id quod sequitur immediatè, *Sede à dextris meis*: id est, frueri æquali mecum honore, & gloria; & quod ibidem additur paulo post, *Ex utero matris Luciferum genui te*, id est, ante lucis, & mundi creationem genui te de mea substantia, & ad intra, sicut matres fetus suos concipiunt, & gignunt; non ad extra, & ex nihilo, sicut creaturas produco. De illo etiam solo verum est, quod dicitur versu sequenti, non de Abrahamo, Moise, Arone, vel vlllo alio, *Iuravit Dominus, & non penitebit eis, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Nam, vt rectè expendit Apost. Heb. 7. v. 23. *Alij plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempernum habet sacerdotium: unde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

17.  
Alia loca  
illustra ex  
Isaia.

Ad idem confirmandum illustra sunt loca, quæ sequuntur Isa. 9. *Pauulus natus est nobis, & filius datus est nobis* &c. Et vocabitur nomen eius *Deus fortis*, *Pater futuræ pacis*, *Princeps pacis.* Quem locum de Messia intelligendum esse fatentur Iudæi, idque tum verba, relatum alia subiuncta satis manifestè ostendunt. Et de illo affirmatur fore, vt vocetur, verè scilicet, nomine rei conueniente, proprièque illam exprimente, *Deus fortis*, hebraicè *El gibbor*: quæ duo nomina non idem inuoluntate repetunt, vt perperam aliqui cavillantur: quasi vox *El*, idem hoc loco significet, quod *gibbor*: & non potius distincta sit, & propria vtriusque significatio, vt etiam agnouerunt Chaldaeus Paraphrastes, & Rabbinus qui Christum præfesserunt: vt inter alios Rabbenu Hac-

cados, qui floruit tempore Antiochorum in Syria regnantium: maximæque fuit apud Iudæos auctoritatis, vt nomen ipsum indicat idem enim sonat, atque magister, noster sanctus. Qui etiã ex illis, & similibus huiusmodi verbis, perspicuè intellexit Messiam fore verum Deum, & hominè, in lib. quem inscripsit *Coele Reçia*, id est, Reuelator arcanorum. Cuius duo illustra testimonia referunt Galat. li. de arc. cap. 2. in fine, & Molina 1. p. q. 27. ar. 1. disp. 2.

18.  
Ex Ieremias  
& Baruch.

Item Ieremias 23. vers. 5. & 6. de Messia, qui promittitur ibi fore, germè Danid, & germen iustum: dicitur: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vbi pro, *Dominus* hebraicè est *Iehoua*, nomè Dei tetragrammaton ineffabile, & incommunicabile. In de Messia sermonem ibi esse agnoscunt Iudæi, disertèque affirmat Chaldaeus Paraphrastes, qui sic habet: *Suscitabo Dauidi Messiam iustum.* Et Baruch scriba Ieremias, cap. 3. in fine: *Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum. Hic aduenit omnem viam disciplina, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Vbi est sermo de visione, & conuersatione nondum ante exhibita, vt indicant verba illa, *Post hac* &c. adeoque non de ænigmatica, vel in specie externa; qualis iam pridem exhibitæ fuerat Moisi, & aliis Prophetis. Propter quam etiam Isaïas cap. 7. v. 14. prædixera, *Et erit, vt Messias vocaretur Emmanuel*, id est, nobiscum Deus: quia Deus simul, & homo futurus erat: ac per illum, non iam spiritualiter tantum, aut symbolice, vt antea, sed corporaliter, & in propria natura in Messia inhabitans, nobiscum erat conuersaturus.

19.  
Ex Zacharia  
ria, & Iob.

Et Zacharia 2. *Lauda, & laetare filia Sion, quia ego venio, & habitabo in medio tui*, ait Dominus hebraicè, *Iehoua*, & applicabuntur genes. multa ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te. Quibus verbis ille à Deo mittèdus, & in medio hominum habitaturus, se tamen Dominum Deum esse affirmat: quia scilicet Deus simul, & homo futurus erat. in carne assumpta: iuxta illud Ioan. 1. *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Et cap. 12. eiusdem Zachariæ, Deus verus sic loquitur: *Effundam super domum Dauid, & super habitantes Ierusalem spiritum gratiæ, & precium; & aspicient ad me, quem confixerunt.* De qua confixione scribit cap. 13. *Quid sunt Magi in inuendo manuum tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* In quibus verbis nota illum spiritus gratiæ effusorem, & sanctificatorem, id est, Deum, cuius solius est spiritus gratiæ, & sanctificationis effundere, quique solus est gratiæ, & sanctitatis auctor, predici configendum esse, & vulnerandum, in carne scilicet assumpta, videndumque ab illis ipsis, qui eum confixerunt, in eadem scilicet carne visibili. De qua eadem dicitur Iob cap. 19. *Scio quod Redemptor meus viuus, & in nouissima die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne meo videbo Deum meum: illum scilicet Redemptorem, & Saluatorem.*

racum, iam nunc viuentem per diuinitatem, & vt Deum. *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciam.* Quem locum diligenter & accuratè expendit Molina loco supra citat.

Ex denique de eiusdem diuinitate, deque aeterna illius Generatione vt Verbi, & temporali natiuitate, vt hominis, sic vaticinatur Michas cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda? & te mihi egredietur (natiuitate temporali, vt homo) qui sis dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus aeternitatis: nempe secundum generationem aeternam, & secundum diuinitatem.* Nil enim, nisi Deus, aeternum fuit. De Christo autem, siue Messia sermonem ibi esse fatentur Hebraei, vt videre est apud Galat. 4. de arden. cap. 13. & Chald. Paraphrases expressè verènt, *Ex te coram me prodit Christus.* Nec obest quod vox *Egressus*, siue, *exitus*, in hebraeo est numeri pluralis, *Mesiaoth*, id est, egressiones: Nam vt rectè ait Cornel. post R. beram, & Vatablum in comment. illius loci. Causa huius rei est, quia Hebraei solent res maximas & praestantissimas esse pluraliter, vt rei magnitudinem, praestantiamque significant: quodque licet vna sit, aequipollet tamen pluribus. Natiuitas autem aeterna Christi maxima est, & diuina, omnibusque creatis natiuitatibus plusquam aequiualeat. Itaque, quia Christus semper procedit à Patre iugè emanatione, & heni, hodie, nunc, & olim, & quolibet instanti generatur, omnibusque generationibus creaturarum coexistit: vocatur in plurali *Egressiones*, ad designandam hanc perpetuitatem: sicut perennem fontis emanationem vocamus scaturigines, quia iugiter aquam scaturit.

21.  
Oecurritur  
obiectioni.

His & similibus locis non obest, quod interdum Dei nomè in Scriptura tribuitur creaturis. Quia nescquam tribuitur cum tali addito, Deus fortis, non est alius aduersus eum, genitus ab aeterno &c. sed cum addito dimi-  
nente, & resurgente vocem ad impropiam significationem. Non obest etiam quod Angeli loquentes Moysi, aliiq; Prophetis in persona Dei, dixerunt saepius, *Ego sum Deus Patris tui Abraham, Ego Dominus*, & similia. Hæc enim dixerunt, eò quod in persona Dei loquerentur, eorumque repræsentarent, & Deus per eos, vt per instrumenta loqueretur. At de illis nusquam simpliciter asseritur, cõ Angeli loquentes essent Deus, essent ab aeterno geniti, essent auctores gratiæ, & sanctitatis, & alia quæ de Christo retulimus.

Altera ob-  
iectio re-  
pellitur.

Frustra verò obijciunt Iudæi illud Deuter. 18. v. 15. ad probandum Messiam fore purum hominem Moysi similem: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit Dominus tuus. Ipsum audies, vt peristi à Domino tuo in Hore, quando concio congregata est, atque dixisti: Vostri non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximam amplius non videbo ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: Et ponam ver-*

ba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præceperò illi. Respondeo enim in seipsum huius loci esse, quod summus ille, & optimus huius Propheta futurus esset similis Moysi, quoad naturam humanam de gente Iuda ortum acceptam, & quoad officium Propheta, Legislatoris, & Mediatoris: non autem quoad cætera omnia: quodque non esset futurum amplius, vt Deus quasi per diuinitatem loqueretur populo Israel, voce terribili, igne, fulgure, tonitru, & similibus prodigiis, quibus in monte Horeb populum illum terruerat: sed voce humana, per naturam ex illius genere assumptam, sub cuius humilitate, & mansuetudine diuinitas absconderetur, iuxta illud Isai. 45. *Verus tu es Deus, absconditus, Deus Israel Saluator.*

Illud quoque Iudæis considerandum est, & maturo iudicio expendendum, Christum Iesum iisdem miraculis, & prodigiis diuinis, quibus se Messiam à Deo per Moysen, alioque Prophetas promissum, esse probauit, obique Christiano persuasit; confirmasse pariter se verum Deum, & Dei filium originem esse. Nam vtrunque de se profitebatur, & ad vtrumque persuadendum mortuos suscitabat, leprosos mundabat, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, paraliticis vtrum membrorum subitò, & solo imperio restituebat: vt si nollet Iudæi verbis credere, operibus crederent: neque ambigerent verum esse, quod tertiamque frequentibus, & illustribus miraculis confirmabatur, & vti sigillis omnipotentis diuinæ obsignabatur. Si autem Iudæi sapienter Moysen velut Prophetam & Ducem à Deo missum agnouerunt, propter diuina prodigia, quæ in eius rei confirmationem edidit per vitam diuinitus in eundem finem acceptam, Exod. 3. Quam diu magis, si prudenter egissent, debuissent Iesum vt verum Messiam, verumque Dei filium agnoscere, qualem se profitebatur: cum miracula per ipsum in eum finem edita, sint supra modum plura, maiora, & illustriora illis omnibus, quæ per Moysen facta sunt: in d. excedant omnia simul supra, quæ à Prophetis, & aliis viris sanctis veteris Testamenti fuerunt vquam patrata. Dicere verò illa esse à nostris conficta, vel ea tribuere arti magica, vel imposturis, & fraudibus humanis, sine alia probatione, contra fidem tot veterum, patrum Christi Domini contemp. anteorum, partim eius aetatis proximè succedentium, qui de illius miraculis, & vite sanctitate attestati sunt, non scriptis solum, sed etiam proprio sanguine: nihil aliud est, quam voluntaria malitia, & obstinate resistere veritati, maleque se salutem aeternam consulere. Debenque aduenire Iudæi illa eadem posse de miraculis Moysi obijci ab infidelibus: quodq; illi sapienter, & verè responderent: nos idem posse dicere pari, & maiori ratione, de miraculis Christi. Et hæc tenes contra Iudæos dictis sic in presenti. Plura addemus in tractatu de incarnatione, vbi de veritate illius mysterij contra ipios disputabimus.

SECTIO III.

Refutatur aliorum Arianos, Sabellianorum, & Tritheitarum,

23. Probatur contra Arianos Christum esse verum Deum.

Contra idem mysterium præter Judæos errarunt primò Ariani, fateates quidem Christum Dominum esse Deum, sed negantes esse verum Deum & ipsius id est, patri consubstantialem: licet concederent esse ipsius, id est, similem Patri secundum substantiam. Quorum hæresis damnata fuit in Concilio Nicæno primo, & refutatur omnibus Scripturæ testimoniis superius allatis contra Judæos ex Testamento Veteri, & aliis ex Novo relatis numero sexto. Nam Filius & Verbum Incarnatum, est ille qui fecit omnia, & hoc quo factum est nihil, Ioann. 1. Et super omnia Deus benedictus in sæcula, Roman. 9. vers. 5. Et denique verus Deus, I. Ioan. 5. vers. 20. Et quidem aliter non esset propriè & simpliciter Filius Dei. Filius enim necessariò debet esse eiusdem speciei seu naturæ cum Patre, alioqui propriè Filius non est. Atqui Christus & Verbum si non esset verus Deus, non esset eiusdem naturæ cum Patre: quia quicquid est extra Deum quod non constat natura ipsa divina, infinite differt ab illa, non modò specie, sed & genere toto.

24. Distinguitur personarum probatur contra Sabellianum.

Secundò, Sabelliani existimarunt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non se differere; sed tantum ratione: atque eundem penitus qui est Pater, dici Filium, quatenus carnem assumpsit: & Spiritum sanctum, quatenus sanctificat & vivificat creaturas. Qui error est apertè contra Scripturam. Nam Filius passim vocatur genitus, & quidem Filius aliter esse non potest. Atqui non potest idem generare seipsum, & esse suimetipsum principium. Item Filius dicitur procedere & mitti à Patre, & Spiritus sanctus dicitur procedere & mitti à Patre & Filio. Idem autem non potest procedere & mitti se. Item Spiritus sanctus dicitur esse alius Paraclæus à Filio, Ioannis 14. vers. 16. & I. Ioan. 5. vers. 7. Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Esset autem falsum quòd si tres, si unus, & idem diverso tantum respectu propter diversa officia, dicitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

25. Error Tritheitarum impugnatur.

Tertiò, Tritheitæ, quos hodie sequuntur Ministri Transylvani, teste Beæno tractatu secundo, capite tertio, quæst. 3. asserunt ex opposito, tres personas divinas esse tres spiritus æternos, essentiali numero differentes, ac proinde tres Deos. Qui error apertè repugnat sacris literis, ex quibus constat Deum unicum esse. Deu-

teron. 4. vers. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Et capit. 22. vers. 39. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Et I. Corinth. 8. vers. 4. Scimus quòd nullus est Deus, nisi unus. Vnde consequens est, ut si tres personæ sunt verè Deus, sicut esse ostendimus; sint unus tantum verus & solus Deus: ac proinde constituentur in esse Dei per Deitatem, seu essentiam & naturam divinam, indivisam numericè, quæ natura una & sola est, sicut Deus verus unus & solus est. Neque dici potest quòd nomen Deus sit collectivum: ita ut Deus sit quidem unus & solus, sed unus collectivè, constans alioqui ex multis: ut civitas est quid collectivum, & exercitus, populus, Respublica. Nam si ita esset, non posset enunciari sigillatim de qualibet persona divina sicut nunciatur in sacris literis, cum dicitur, Benedictus Deus Pater: Deus erat Verbum: Hic est verus Deus: 2. Corint. vers. 3. Ioan. 1. vers. 1. & I. Ioan. 5. vers. 20. aliisque locis.

26. Prima obiectio hæreticorum.

Pro his autem erroribus obiici possunt primò ea Scripturæ testimonia, in quibus soli Patri divinitas tribui videtur. Ut Ioannis 17. vers. 3. Hac est vita æterna, inquit Christus ad Patrem, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESU M. Christum. Et I. Corinth. 8. Nobis est unus Deus Pater, & unus Dominus IESUS Christus.

Respondeo in priori loco, particulam exclusivam, solum, coniungendam esse cum particula sequenti, verum Deum: non autem cum præcedenti particula, Te. Ita ut sensus sit, Pater esse illum Deum qui est unicus verus Deus. In secundo autem sensus est, quòd Deus Pater sit unus, & Dominus IESUS Christus sit unus; ita ut particula exclusiva, unus, sit coniungenda cum particulis, Pater, &, IESUS Christus, quorum neget pluralitatem: non autem quòd Pater tantum sit Deus, aut quòd IESUS tantum sit Dominus, quasi non etiam Pater, qui est Deus, sit Dominus. Generatim autem notandum est exclusionem subiectis æquè ac prædicatis applicari posse. Et sicut quando applicantur subiectis, remouent alia quæ non sunt ipsum subiectum: ita dem applicantur prædicatis, remouent ea quibus non conuenit prædicatum. Similem modum loquendi usurpat Ecclesia in Hymno Angelico, cum ad Christum sic ait: Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus.

27. Secunda obiectio.

Secundò, obiiciuntur ea Scripturæ testimonia, quibus aliquid videtur tribui Verbo, aut Spiritui sancto, quod Deo repugnat. Quale est illud Christi Ioannis 14. vers. 28. Pater maior me est. Et Roman. 8. vers. 26. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Respondeo, primum è duobus testimo-

TNO  
S  
P  
I

miis allatis, factum esse de Christo ut homine. Secundum verò dici metonymicè, non quòd Spiritus sanctus per seipsum possit aut gemat, sed quòd alios postulare aut gemere faciat: ut pallida mors dicitur, quia pallidos reddit. Vel ut explicat D. Nas Chrysostomus homil. 14. in Epist. ad Romanos dictum illud est de Spiritu id est, de dono orationis, qui olim fidelibus infundebatur divinitus, ut Spiritus prophetia, interpretationis sermonum, sanitarum, &c. Et qui habebat talem spiritum, vicè omnium orabat publice in Ecclesia, ut alij prophetabant, interpretabantur sermones, & curabant infirmos. Certè quidem Spiritus sanctus non gemit proprie, & formaliter, sed ut ministrum censendus est beatus. Quare si de ipsa persona Spiritus sancti intelligatur locus ille, non potest accipi in sensu proprio, sine absurditate manifesta.

28. Obiiciebant etiam Ariani filium in creatione mundi fuisse instrumentum aut instrumentum Patris, propter illud Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: Sed respondendum est, participationem, per, significare etiam causam principalem quæ per se operatur: sic enim dicimus nos habere aliquid per Dei gratiam. Est autem verum quòd Filius, sicut est à Patre, ita habeat potentiam, & virtutem creandi à Patre. Quare Pater dici potest facere per Filium, id est, per potentiam communicatam Filio, id quod per seipsum facit. Pater enim Filio per generationem communicavit quicquid habet, excepta proprietate Patris. Verùm Filius quoque facit per seipsum, sicut & Pater, quia ambo faciunt ut unus & idem Deus, per potentiam communem: idemque dico de Spiritu sancto.

29. Tertio, obiiciuntur ea Scripturæ loca quibus de Verbo, aut de Spiritu sancto negari videtur aliquid, quod Deo convenit necessariò. Ut Marci 13. vers. 32. *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*. Et Matth. 24. vers. 36. additur, *Nisi solus Pater*. Et Ioana. 16. vers. 13. de Spiritu sancto dicitur, *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*. Atqui Deus omnia scit, & à semetipso loquitur, & non audit, sed per se cognoscit: omnia ergo &c.

Respondet, primum testimonium posse intelligi de Filio ut homo est: qui dictus est nasci, non simpliciter (nam ut Iudæi sciunt, cum hoc eius officium pertinet) sed secundum quid, nempe secundum scientiam quam accepit, ut Doctor & illuminator, ad communicandum aliis per seipsum, de qua Ioan. 15. vers. 15. aiebat, *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis: cum tamen notandum omnia docuisset, quæ per Spiritum sanctum docenda erant*. Quod autem ad-

dit Matthæus, *Nisi solus Pater*, non excludit Filium secundum divinitatem, qui de se ait Ioan. 17. vers. 15. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Ut enim rectè notat Suarez libro 2. c. 4. n. 4. Regula Dialecticorum est exclusivum non excludere concomitantia, & excludit multò minus ea quæ idem sunt cum subiecto exclusivæ, ea ratione quæ convenit illi exclusivæ. Filius autem est idem cum Patre ratione intelligentiæ, per quam omnia scit. Lucæ vers. 18. v. 19. cum dixit Christus, *Quid me vocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*, ubi visus est significare se non esse Deum: locutus est de se ut homine, secundum mentem eius cum quo loquebatur, qui non aliud de illo, quàm ut homine noticiam habebat.

Quod attinet ad Spiritum sanctum, ille ratione quidem nature per quam cognoscitur, non audit neque accipit ab alio. Quia tamen naturam habet à suo principio communicatam, dicitur accipere & accipere ab alio, nempe à principio suo. Hæc ergo & similia dicuntur de Spiritu sancto secundum illius proprietatem: nam est idem ut Deo non conveniunt secundum puram Dei considerationem. Cùmque in qualibet personarum divinarum alia sit ratio nature, alia proprietatis cuiusque: potest de qualibet secundum aliquem modum nempe ratione proprietatis, negari aliquid, quod Deo secundum Dei rationem sit necessarium: quia non convenit illi secundum rationem proprietatis: sed secundum rationem nature communis. Et contrà, tribui potest alicui illarum ratione proprietatis, aliquid quod Deo repugnet secundum prædictam rationem nature. Sic Deus secundum naturam non generatur, cùm tamen Filius generetur: neque mittitur Deus ut sit, cùm tamen Filius & Spiritus sanctus mittantur. Ac licet Filius nihil possit nisi accipiat à Patre, neque sciat nisi ab eo accipiat, ut dicitur Ioan. 5. & 15. idemque de Spiritu sancto respectu Patris, & Filij dicendum sit: non tamen inde sequitur Filium esse imperfectum, & indigentem, comparatione Patris: aut Spiritum sanctum, comparatione Patris & Filij. Nam Filius accipit à Patre omnipotentiam, & scientiam, & alia omnia, perfectissimè, per æternam generationem absolutè necessariam: & discernere in illo nihil est aliud quam generari: tamque necessarium est Filium gigni, quàm Patrem esse: & Deum esse trinum, quàm unum esse. Unde etiam in hoc genere dandi, & accipiendi absolutè utrinque necessario, non est beatius dare quam accipere. Similiterque Spiritus sanctus accipit à Patre, & Filio totam essentiam divinam tantà necessitate, quantà illi sunt id quod sunt: tamque necessario persona, producens est propter productam, quàm necessario hæc illam respicit & exigit veluti originis suæ principium.

Inceptè verò contra Filium argumentabantur Ariani, eò quòd illi sine articulo determinante tribuatur nomen Dei in

Scripturis, & Patri cum articulo. Etenim heque semper Patri tribuitur cum articulo, nec Filio semper sine articulo. Neque ad denotandum præcipuum vocis significatum, opus est adhiberi articulum. Ioann. 20. vers. 28. Christo sic ait Thomas Apostolus *ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου. Dominus meus, & Deus meus.* Et 1. Ioan. 5. 20. de Filio dicitur, *Hic est verus Deus,* *ὁ ὢν ὁ ἀληθινὸς θεός.* Contra verò, Corinth. 6. vers. 19. & Ioan. 1. v. 18. & alibi sæpissime tribuitur Patri nomen, *Deus*, sine articulo. Porro illa Thomæ Apostoli verba non fuerunt simplex exclamatio & admiratio: sed vera resurrectionis Christi, eiusque diuinitatis confessio: iuxta illud quod sequitur immediatè: *Quia vidisti me Thomas, credidisti.* Quapropter merè in quinta Synodo generali sub finem actionis 4. anathematismo 12. damnatus impius Theodorus Mopsuestenus, quod asseruerit Thomam his verbis non esse locutum cum Christo, quasi fuerit confessus illum esse Deum, sed miraculè resurrectionis attonitum glorificasse Deum, ideoque non ad Christum, sed ad Deum ea verba retulisse.

Quartò, a uersus naturæ unitatem in tribus personis obicitur, quod 1. Ioannis 5. v. 7. sicut dicitur *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt:* ita dicatur, *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & Sanguis; & hi tres unum sunt.* Atqui tres isti non habent vnam naturam simplici unitate, sed tantum aliquatenus simili: ergo nec illi tres. Respondeo per illum locum non probari quidem unitatem naturæ simplicem, quæ aliunde satis ostensa fuit numero 22. & disput. 6. sect. 4. Sed neque etiam per locum illum Ioannis diuersitas naturæ probatur: quia non dicuntur illi tres esse vnum eodem penitus modo, quo isti: sed tantum dicuntur seorsim isti esse vnum, & illi seorsim dicuntur esse vnum. Modus verò quo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum, aliunde satis per Scripturas & Concilia, præcipue verò per Nicænum 1. in Symbolo, & Lateranense magnum capit. 1. & 2. declaratus habetur. Notat etiam Valq. disput. 109. num. 12. verba illa de Spiritu, aqua, & sanguine, *& hi tres unum sunt*, in multis græcis codicibus non haberi: & in iis in quibus habentur, non esse *unum sunt*, sed, *in unum sunt*, ut *ὁ θεὸς ἐστὶν ἓν ἓν ἓν*, supple, *testimonium*, quatenus Christus per hæc tria dedit testimonium in terra, cum in cruce emisit Spiritum, & sanguis, & aqua ex eius latere perfosso exierunt. Quamquam alij hunc locum aliter explicant de baptismo, in quo Spiritus, id est Trinitas invocatur: & sanguis, id est, Christi passio & merita per aquam sanctificant. Vel ut ait Ambros. libro 10. in caput. 22. *Tres sunt testes,*

*aqua, sanguis, & spiritus. Aqua ad lachrymam, sanguis ad precium, Spiritus ad resurrectionem.*

SECTIO IV.

*Difficultates naturales circa idem mysterium.*

Contra idem mysterium unitatis naturæ in Trinitate personarum obicitur multæ rationes naturales: quarum præcipuæ sunt, quod Deus non possit natura ipsa, & essentia diuina realiter esse Pater & Filius & Spiritus sanctus. Ergo quopiam realiter differenti à natura. Probarur antecedens: nam aliqui vel natura illa, tripliciter esset realiter, sicut illi sunt tres realiter distincti: aut illi non distinguerentur realiter, sed essent idem inter se, sicut sunt idem cum natura realiter, iuxta vulgatum axioma, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Consequens autem non potest admitti. Nam illud realiter à natura distinctum, constitutum Patris, Filij, & Spiritus sancti, vel est substantia vel accidens. Et quicquid dicatur, sequitur primò Deum secundum essentiam esse in potentia physica & quasi materiali, ut determinetur & constituitur in aliquo gradu entis per aliquid realiter additum. Secundò, Deus in concreto ut est Pater, Filius, aut Spiritus sanctus, erit compositus realiter ex essentia & aliquo alio. Tertio, paternitas, seu proprietatis & differentia primæ personæ, vel est producta ab alio, vel non. Si primum: dantur plures personæ tribus. Si secundum: ergo non tantum Deus à se existit secundum formam & essentiam Dei: sed etiam Pater secundum propriam patris quidditatem, quæ non est propria Dei quidditas: siquidem Filius dicitur esse perfectè Deus, qui tamen nullo modo est Pater. Quartò, si Pater generat Filium, & Pater & Filius spirant Spiritum sanctum: ergo nec Filius, nec Spiritus sanctus est à se. Ergo non sunt Deus: Deus enim est ens à se, id est, non productum ab alio. Deinde vel ex nihilo sunt, vel ex substantia diuina. Si ex nihilo: creaturæ sunt. Si ex substantia diuina: ergo substantia diuina secundum se est in potentia quasi materiali ad aliquid quod ex ea est per actionem generationis & spirationis. Hæc autem omnia sunt absurda, & contra sensum quem omnes habent de Deo.

Ad hæc breuiter respondeo per anticipationem (plena enim solutio pendet à nota mysterij explicatione, hoc tractatu suscepta) Deum eadem unitate reali quæ est Deus, esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, siue reali distinctione inter naturam & proprietates personarum constitutus: sed rationis tantum, seu virtuali. Deus quidem non est essentia suâ formali.

34.  
Soluitur  
prima diffi.  
cultas.

ter & præcisè sumptâ secundum rationem essentia, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, neque enim tres sunt de essentia Dei; cum quilibet eorum sit perfectè Deus, & tamen vnus illorum non sit alter, nec de ratione alterius. Sed tamen eadem res quæ est Deo essentia & est Deus, est quoque Pater, Filius, & Spiritus sanctus; estque simpliciter non tantum Deus: sed etiam tres illi distincti inter se, sine distinctione à Deo.

Ad confirmationem antecedentis Respondeo, non repugare vt natura re vnica, & simplex, identificetur realiter tribus distinctis proprietatibus: neque vt ille proprietates, non obstante reali identitate cum natura, distinguantur realiter inter se. Vulgatum autem axioma, Quæ sunt eadem vni tertio &c. vt sit verum generaliter, intelligendum est vel de identitate in illo tertio: ita vt quæ sunt eadem vni tertio, sint etiam eadem in illo tertio, non autem omni alia ratione: nam id non est necesse: aut de identitate adæquate & omnimoda cum tertio, quæ non est inter naturam & quamlibet proprietatem. Natura enim inadæquate tantum & inconuertibiliter identificatur cum illa, estque virtuali & excellenti quodam ac singulari modo vniuersalis: ita vt latius patet & identificetur non vni tantum proprietati Patris, sed etiam propriis rationibus Filij, & Spiritus sancti, cum quibus tamen proprietatis Patris non identificatur. De qua difficultate omnium grauissima in hoc mysterio plura dicemus inferius disp. 25. sect. 7.

36  
Secunda difficultas.  
Ad secundam difficultatem Respondeo, id quo personæ constituuntur & distinguuntur ab inuicem, esse substantiale; siquidem constituit formaliter in esse substantiali personali: sed non distinguit realiter ab essentia: neque propterea esse quidquam in Deo quod non sit ipsa essentia identice, per quam identice, etiam non formaliter & præcisè in ratione essentia, Deus est quicquid est. Non est etiam in Deo potentia realis, & physica ad determinationem, vel compositionem intrinsecam, respectu proprietatum personalium; sed tantum logica seu metaphysica: siquidem proprietates, quibus essentia determinatur, & personæ constituentur, ratione tantum distinguuntur ab illa.

Tertia difficultas.  
Ad tertiam Respondeo paternitatem, & essentiam, non esse duo in re distincta, carentia principio: sunt enim vna res, & distinguuntur solum ratione, seu virtualiter & inadæquate, vt supra dictum est. Quod autem duo ratione diuersa sint à se, id est, non effecta vel producta realiter ab alio, nihil absurdum est. Nam in essentia quoque ipsa necesse est distingui ratione intellectum, voluntatem, & omnipotentiam, quæ omnia principio carent, & in re sunt vnum, licet eorum sit ratio & vis diuersa.

Ad quartam Respondeo, Filium, & Spiritum sanctum, vt tales, habere principium, & non esse sine principio: sed non propterea desinunt esse Deus: quia non quicquid est Deus, est à se omni ratione identificata cum Deo. Licet ea ratione qua est Deus formaliter, sit à se negatiue: quia secundum Deitatem caret principio à quo producatur. In hac autem productione Filius, & Spiritus sanctus secundum suas proprietates non sunt ex nihilo; nisi per nihilum intelligamus negationem subiecti realis, quo pacto etiam natura diuina ex nihilo est, hoc est non ex subiecto præsupposito; ex quo producta sit. Non sunt, inquam, ex non-entibus, seu ex nihilo termini, prout actuali, quasi aliquando non fuerint: neque virtuali, quasi potuerint non esse aliquando, licet semper existerint: sed ab æterno omnimoda & absoluta necessitate existunt: tamque sit necessarium filium esse & Spiritum sanctum, quam necessarium est esse patrem, &c. Deum.

Desique cum inter essentiam & proprietates non sit distinctio realis; non est quoque in Patre, aut Filio, aut Spiritu sancto realis compositio. Neque in essentia Dei est potentia realis seu physica, quasi materialis, ad formam vel actum ex ea educendum per actionem generationis aut spirationis: licet concipi possint proprietates ex natura emergere virtualiter: paternitas quidem, sine vilo principio reali productiuo: filiatio verò, & spiratio passiuæ, per realem productionem quasi actiuam, à Patre, & à Spiratore, qui est Pater & Filius. Patres quidem antiqui dicunt vnam personam diuinam producere aliam de sua substantia: quod vel, vt exponit Suarez libro 6. capit. 6. numero 6. intelligunt tanquam de totali forma & natura: vnde illa essentia determinetur per relationes, non vt materia per formam, sed vt natura per terminum substantialem & hypostasim propriam: vel vt Durandus, Henricus & alij malunt, licet essentia non sit materia propriè, habet tamen cum illa proportionem aliquam, in eo quod supponitur productioni, & determinatur per relationem seu personalitatem, quæ virtualiter exit è fine essentia: paternitas quidem, & spiratio actiuæ citra realem productionem: filiatio verò, & spiratio passiuæ non sine reali productione actiuæ Patris, & spiratoris: et si non subiectiuæ & materiali, propter indistinctionem naturæ & proprietatum productarum.

Non est autem incredibile Patrem, Filium, & Spiritum sanctum constitui proprietatibus realiter distinctis ab inuicem, & tamen cum natura identificatis. Nam in rebus etiam creatis vnum & idem potest habere modos contrarios & repugnantes inter se, quorum tamen quilibet non illi repugnet.

gnet, neque sit res ab eo diuersa. V. g. eadem quantitas potest, quamuis successiue, habere contrarias figuras; & idem mobile moueri moribus diuersis & contrariis: & vna eademque res potest esse principium actuum contrariorum: vt idem intellectus, idem appetitus, eadem vis moriua animalis. Et quamuis in rebus creatis nihil inueniatur omnino Deo simile quoad mysterium Trinitatis: nihil inde sequitur contra veritatem Trinitatis, quæ non debet esse quo-

ad omnia imitabilis in creaturis. Et nos illam non propter vllum argumentum naturale tenemus, sed credimus propter diuinam reuelationem nobis, sufficienter propositam. Neque res diuinas inscrutabiles, & superantes omnem admirationem, metimur humanis ratiocinationibus: sed diuinis reuelationibus, & Scripturæ testimonijs expositis iuxta sensum Ecclesiæ: quæ est columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3.

## DISPUTATIO: VIGESIMA QVARTA,

### De processione personarum diuinarum.

- Sectio I. *Virum inter personas diuinas sit processio, seu exitus vnus ab altera?*
- Sectio II. *Refutatur error Durandi, & Nominalium, contra doctrinam precedentem.*
- Sectio III. *Quomodo stet diuinitas personarum cum processionibus?*
- Sectio IV. *De principio & termino formali processionum diuinarum.*
- Sectio V. *Refutantur contrarie sententiæ, & respondetur earum argumentis.*
- Sectio VI. *Ex quonam actu intelligendi & Volendi procedant filius, & Spiritus sanctus?*
- Sectio VII. *Refutatur prima opinio contraria.*
- Sectio VIII. *Refelluntur alie due sententiæ aduersæ.*
- Sectio IX. *Cur processio vtriusque generatio, non autem processio Spiritus sancti?*
- Sectio X. *Cur processio filii & Spiritus sancti non sit creatio vel effectio, & cur non plures in diuinis processionibus, quam due?*

**D**E processione diuinarum personarum disputa S. Thom. tota qu. 27. & artic. 1. doceri processione in diuinis: non secundum quod effectus procedit à causa sicut Arius intellexit, dicens filium procedere à Patre, sicut primam eius creaturam: & Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, sicut creaturam vtriusque: sic enim neque Filius, neque Spiritus sanctus esset Deus. Contra id quod dicitur de Filio 1. Ioan. vltimo, *Vi sumus in vero filio eius, hic est verus Deus*: & de Spiritu sancto. 1. Corinth. 3. *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti. Templum autem habere solius Dei est. Neque etiam secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in quantum vel mouet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimi. Quo pacto Sabellius docebat ipsum Deum*



Patrem, Filium dici secundum quod carnem assumpsit ex Virgine & eundem dici Spiritum sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad uitam mouet. Cui errori repugnant verba Domini de seipso dicentis Ioa. 5. *Non potest Filius a se facere quicquam* & multa alia, per quæ ostenditur quod non est ipse Pater, qui Filius. Sed ad intra, secundum emanationem intelligibilem utpote Verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso. Quicumque enim intelligit, hoc ipso quod intelligit, producit aliquid intra se, quod est conceptio rei intellectæ; ex vi intellectiua proueniens; & ex eius notitia procedens; diciturque verbum cordis, vel mentis, significatum verbo vocis. Art. 2. affirmat processionem Verbi diuini esse generationem proprie dictam, quia est origo viuentis a principio viuente coniuncto in similitudinem eiusdem naturæ. Procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, adeoque a principio coniuncto: procedit etiam secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ; & in eadem natura existit, quia idem in Deo est intelligere, & esse. Art. 3. asserit præter processionem Verbi secundum intelligibilem operationem, dari aliam processionem in diuinis, quæ est processio amoris secundum operationem voluntatis. Quia processio in diuinis est secundum actionem vitalem & immanentem, id est, quæ non producit aliquid extra, sed manet in agente. Huiusmodi autem actio in intellectuali natura, est actio intellectus, & actio voluntatis. Art. 4. dicit processionem amoris in diuinis non debere vocari generationem: quia non est secundum rationem similitudinis. Hæc enim est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu, non per hoc quod aliqua similitudo voluti fit in voluntate: sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filius, sed magis procedit vt spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio, & impulsio designatur: prout aliquando ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum. Art. 5. concludit non esse plures quam duas processionem in diuinis, Verbi scilicet, & Amoris: quia processionem diuinam non sunt nisi secundum actiones immanentes, quæ in natura intellectuali & diuina sunt tantum duæ, scilicet intelligere, & velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio immanens, est extra naturam intellectualem, & ad Deum non pertinet.

Addit S. Doctor quæst. 41. art. 4. Necessarium esse ponere in diuinis potentiam respectu actuum notionalium: cum potentia nihil aliud

significet, quàm principium alicuius actus. Vnde cùm Patrem intelligamus vt principium generationis: & Patrem, & Filium, vt principium spirationis: necesse est tribuere Patri potentiam generandi: & Patri, & Filio, potentiam spirandi. Et ait c. 5. eiusdem quæst. affirmat potentiam generandi significare in re eto naturam diuinam, & in obliquo relationem paternitatis. Nam illud propriè dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit. Omnè autem produciens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam quã agit. Illud ergo est potentia generandi in aliquo generante, in quo genitum assimilatur generanti. Filius autem Dei assimilatur Patri generanti in natura diuina. Vnde natura diuina in Patre est potentia generandi. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus exponenda sunt.

SECTIO I.

*Utrum inter personas diuinas sit processio seu exitus vnus ab alia?*



**CONCLUSIO:** inter personas diuinas est processio seu emanatio & origo vnus ab alia: filij quidem à Patre per viam intellectus; quæ processio generatio dicitur: Spiritus verò sancti, à patre & filio, per viam voluntatis; quæ processio, spiratio appellatur.

Prima pars satis liquet ex nominibus ipsis patris, filij, & Spiritus sancti, quibus personæ diuinae in Scripturis significantur. Nomen enim patris significat principium generans: & nomen filij genitum significat: & nomen Spiritus sancti, vt tertia persona proprium est, significat spiratum, qui quidem debet ab aliquo spirari & oriri, nempe à patre & filio velut à spiratore vnico, iuxta illud Symboli Nicæni, *Qui ex Patre Filioque procedit*: & declarationem Concilij Lugdunensis quæ refertur in principio libri 6. Decretalium cap. vnico de Summa Trinitate: & sic habet: *Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & ex filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vnico principio, non duobus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Secundò idem testantur sacrae literæ. De filio quidem Ioann. 8. vbi Christus de se loquens sic ait: *Ego ex Deo processi, & veni, seu venio, iuxta Græcum. Et cap. 16. Exiui à Patre, & veni in mundum.* Et Psalm. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* De Spiritu sancto verò Ioan. 15. *Cum uenerit Paraclæus, quem ego mittam uobis à patre, Spiritum ueritatis qui à patre procedit.* Idem tertio confirmat ratio Theologica. Implicat enim Deum esse tres quorum nullus ab alio procedat. Nam in diuinis omnia sunt vnum realiter, vbi non obuiat relationis oppositio. Atqui sine productione non obuiaret relationis oppositio: ergo &c. Minor probatur: quia nulla alia oppositio realis, præter relatiuam fundatam in

origine seu productione vnus ab alio, potest in Deo excogitari, quæ non repugnet infinitæ ipsius amplitudini, & summæ, vt ita dicam, identificabilitati. Propter quam etiam nulla distinctio realis ponitur inter attributa quælibet tribus personis communia, iuxta ea quæ diximus disp. 3. sect. 2. Maior autem traditur à sanctis Patribus communi consensu affirmantibus non posse esse plures personas diuinas consubstantiales, & vnus eiusdemque naturæ, nisi vna alteri naturam suam communicet, & vna ab altera procedat. Eorum testimonia quamplurima videri possunt relata à Disco Ruis disp. 1. de Trinit. sect. 3. & disp. 9. sect. 5. & disp. 15. sect. 2. & disp. 22. sect. 6. vbi num. 5. optime notat Patres omnes, etiam illos qui primo Nicæno Concilio antiquiores fuerunt, in hanc rationem consensisse: quod signum est ab ipsis Apostolis acceptam fuisse. Addo rem esse definitam expressè in Conciliis Tolerano XI. & VVormatiensi, utrobique in professione fidei.

Ratio verò est quia id omnino pertinet ad infinitatem simpliciter naturæ quæ incommunicabilitas enim personalis quæ non fundatur in aliqua relatiua oppositione originis, præuenit ex imperfectione & limitatione. Vnde rectè Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 4. num. 11. post Scotum affirmat in Deo non esse ponendam distinctionem, nisi vbi repugnat se identitatem, propter oppositionem. Tum quia id esset superfluum, tum etiam quia vbi non est oppositio, vnitas pertinet ad perfectionem. Eodemque num. 18. post eundem Scotum rectè probat nõ posse dari plures personas improductas, quia multiplicarètur sine vlllo ordine per se in ipsis enim quæ multiplicantur per accidens, abiri potest in infinitum. Deniq; de facto non sunt plures sine productione: ergo aliter esse non possunt. Nã quod de facto est in Deo, pertinet quæ ad interdum eius constitutiõnem substantialem, siue quoad naturam, siue quoad personas, ita est necessarium, vt non potuerit aliter esse, propter diuinam immutabilitatem, & essendi ac subsistendi necessitatem absolutissimam.

Probat  
dari pro  
cessionem  
inter per  
sonas diu  
inas.

Personæ  
diuinae nõ  
possunt  
multiplicari  
sine  
productione  
ne vnus ab  
alio.

Filius a  
Patre per  
viam intel-  
lectus pro-  
cedit, &  
Spiritus  
per viam  
voluntatis.

Secunda pars conclusionis, quod filius a patre procedat per viam intellectus, & Spiritus sanctus a patre & filio per viam voluntatis, est communis Catholicorum omnium, exceptis Durando & Nominalibus, de quorum errore dicemus sect. sequent. Probatum autem, quia filius saepe in Scripturis appellatur Verbum, Græcè, λόγος, ut Ioan. 1. *In principio erat verbum, &c. Et verbum caro factum est.* Et 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et Apocal. 19. *Vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei.* Notum est autem verbum, & λόγος, pertinere ad intellectum. Quare si filius est verbum & λόγος, debet ad quo modo produci per viam intellectus. Similiter Spiritus sanctus inter alia nomina quasi propria vocatur amor & dilectio, ut notant sancti Patres quos citant & sequuntur Scholastici cum Magistro in 1. distinct. 10. & D. Thomæ interpretes quæst. 37. art. 1. sique tota Ecclesia ubique in officiis diuinis reginet, ut Spiritum sanctum vocet amorem & charitatem. Amor autem & charitas ad voluntatem pertinent. Nec quisquam dubitat Spiritum sanctum procedere per voluntatem, pro quo quod filius procedat per intellectum.

Non tamē  
ut filius  
intellectus  
& volendi.

Cæterum filius non producit per intellectum, neque Spiritus sanctus per voluntatem, ut per potentiam producentem in se formalem actum, quo Deus fit formaliter intelligens & amans: sed aliter. Probatum, quia Verbum, ut proprie filium significat, non est id quo Deus & Pater intelligit formaliter: quemadmodum neque est sapientia quæ Deus & Pater formaliter sapiens est. Etenim Deus Pater est sapiens & perfectissimè intelligens essentia sua: & id quo pater est sapiens & perfectissimè intelligens, est de essentia illius. At verbum non est essentia ipsa Dei, neque est de eius ratione: Cuiusmodi tota essentia non esset in patre formaliter, quod est contra Lateranense sub Innocentio III. cap. 2. Nec magis posset dici Pater esse intelligens, quam posset dici esse filius, si propria ratio filij esset actus formalis intelligendi quo intelligens constituitur formaliter in esse intelligentis. Similiter Spiritus sanctus non est essentialis ille amor quo Deus essentialiter diligit: neque voluntas illa actualis quæ Deus essentialiter & formaliter est volens. Tum quia alioqui pater & filius non magis posset dici volens & amans, quam posset dici Spiritus sanctus. Tum etiam quia id, quo primò & per se Deus est volens & amans, est essentia ipsius, quæ Deus est perfectissimè in omni perfectione simplici & pura. At Spiritus sanctus non est secundum suam proprietatem ipsa essentia, neque est de ratione illius: cum essentia totaliter sumpta & integra sit de intrinseco conceptu cuiusque personæ, non autem Spiritus san-

ctus. Ergo Spiritus sanctus proprie & singulariter non est ille amor, quo primò & per se pater & filius diligit. Secundò, pater & filius sunt principium per fecunditatem actus essentialis volendi, ut infra confirmabitur. Qui actus est ratione prior, quam vel ipsa fecunditas quæ spiratur Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus non est amor ille, quo Pater & filius amant formaliter: alii qui Spiritus sanctus esset prior suo principio, & ipsamet fecunditate quæ producitur. Idemque dico de actu intellectus, respectu fecunditatis ad generandum filium.

Quamuis igitur pater aliquo sensu dici possit intelligere Verbo: & pater & filius, diligere Spiritu sancto: non tamen formaliter: sed vel appropriatiuè, quia intelligentia tribuitur filio speciatim, ratione originis; & dilectio Spiritui sancto: vel etiam identicè, id est, per aliquid quod ratione productionis primò & per se est idem realiter cum filio & Spiritu sancto, illique primò ac per se communicatur. Videatur D. Thom. quæst. 37. art. 2. in corp. vbi citat ex August. lib. 15. de Trinit. cap. 7. *Quis audet dicere patrem nec seipsum nec filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Spiritum sanctum?* Idemque August. lib. 1. retractat. cap. 26. non longe à principio, retractat, id quod alibi dixerat lib. 83. quæst. quæ 3. Patrem intelligere sapientiâ genitiâ, formaliter scilicet, non autem in sensu antea explicato, appropriatiuè vel identicè.

Ex his collige primò, in Deo esse duplex verbum, & duplicem amorem. Alterum essentialem seu formalem, communem tribus personis, quibus singulis tota essentia perfecte inest atque integrè: Nam ut definit Lateran. cap. 2. de Summa Trinit. Pater totam essentiam communicat filio, & non partem; habentque ambo vnam & eandem substantiam, essentiam, siue naturam. Alterum notionalem, qui est filius & Spiritus sanctus, producti per fecunditatem actuum essentialium intelligendi & volendi, quibus idcirco primò & per se identificantur per suam productionis, ut paulò post amplius declarabitur.

Collige secundò, aliquid esse contentiæ, & aliquid discriminis, inter verbum & amorem nostrum, & inter verbum & amorem diuinum: seu essentialem & formalem, seu notionalem & personalem. Verbum enim nostrum, & amor, duo habent. Vnum, quod formaliter constituant intelligentem & amantem: alterum, quod producantur realiter. In priori conueniant cum verbo & amore essentiali seu formali diuino: In posteriori verò, cum notionali. Contra verò, per primum differunt à verbo & amore notionalibus: per secundum, ab essentialibus. Etenim verbum & amor essentialia, quæ sunt actus ipsi formales quibus Deus formali-

ter intelligit & amat, existunt citra realem productionem: sicut cetera omnia essentialia & communia. Verbum autem & amor notionalia, quæ sunt secunda & tertia persona diuina, producuntur quidem realiter per fecunditatem intelligendi & amandi; non tamen ut formales actus quibus Deus intelligat & amet formaliter: sed ut personæ & substantiæ completæ ac subsistentes, per viam intellectus & voluntatis productæ, tanquam termini fecunditatis actus essentialis vtriusque facultatis.

Collige tertio, productionem Verbi, & Spiritus sancti, non esse propter indigentiam intelligendi & volendi, quasi Deus his egeat ut constituatur formaliter intelligens & amans: & quasi Deus per potentiam intelligendi & volendi producat realiter duos actus, quibus constituatur formaliter in esse intelligentis & amantis, illique actus substantiales, & subsistentes, sint Verbum seu filius, & Spiritus sanctus. Nam ut supra dixi, id quo Deus intelligit & amat formaliter, est essentia seu natura communis, nulla ad hoc indigens reali productione vel accessione: sed per seipsam sufficientissima ad omnem intelligibilia & volibilia, æquæ ac ad omnia extra se possibilia. Et alioqui pater non magis esset ac dici posset intelligens, aut amans formaliter, quam possit dici filius aut Spiritus sanctus. Si enim filius esset actus intelligendi, & Spiritus sanctus esset actus amandi: deberent formales, illorum rationes inesse patri, ut per eas constitueretur formaliter, in esse intelligentis & amantis. Denique hic error vulgaris correctus fuit à D. Augustino in semetipso, verbis supra relatis ex libro 15. de Trinit. cap. 7. & lib. 1. retractat. cap. 26. Non est, inquam, productio Verbi, & Spiritus sancti, propter indigentiam intelligendi & volendi, sed propter mirabilem fecunditatem, multo perfectiorem, quam sit fecunditas omnipotentis productivæ ad extra. Licet enim omnipotentia sit essentialis Deo, & nulli alteri perfectioni æquæ bonæ repugnans in eodem supposito: tamen obiectum ad quod est, est infinite minus quam termini illarum fecunditatum, constantibus eis proprietatibus quæ sunt penitus idem cum Deo, & absoluta necessitate ipsi identificantur, constituuntque Deum in esse personali triplici, sine quo non potest existere, & quo ultimo compleitur in seipso & substantialiter. Neque refert quod omnipotentia sit perfectio simplex, non autem vis generandi, aut spirandi. Quia enim omnis perfectio simplex nobilior est quacunque non simplici: ut hoc exemplo clarè liquet, quod v. g. cognitio lapidis ut possibilis, est perfectio simplex: neque enim repugnat meliori, aut æquali, in eodem supposito: & tamen longè inferior est vi ge-

Potentia generandi & spirandi est perfectior omni potentia.

nerandi filium Deum, aut spirandi Spiritum sanctum.

Tertia pars conclusionis, quod processio filij sit generatio, processio verò Spiritus sancti sit spiratio, sequitur ex præcedentibus. Nam de ratione filij propriè dicti est ut sit genitus, & ut sit eiusdem naturæ cum genitore. Quare filius diuinus, verè ac propriè sic dictus, debet esse genitus, & eiusdem naturæ cum patre, id est, verus Deus, qui non est nisi vnus. Et quamvis nomen filij generatim non significet, neque exigat ut filius sit eiusdem numero naturæ cum patre: aliunde tamen in diuinis id necessarium est: qua natura diuina non potest numericè multiplicari. Neque id repugnat nomini aut rationi filij & generationis: sed potius ad maiorem perfectionem facit, maioremque similitudinem & coniunctionem generantis cum genito, ut rectè docet S. Thom. 4. contra Gentes cap. 4.

Processio filij est generatio.

Similiter intelligendum est Spiritum sanctum procedere à patre & filio per spirationem, ut definitum fuit in concilio Lugdunensi, cuius verba retulimus initio huius sectionis. Ideoque dicitur Spiritus specialiter, quasi spiratus: non autem ea significatione latiori, quæ spiritus appellatur quæcunque substantia immaterialis & incorporea, ut Deus, & angeli, & animæ rationales. Quamvis autem spiratio non significet quod procedens per illam sit eiusdem speciei seu naturæ cum eo à quo procedit, sicut significat generatio: nihilominus Spiritus sanctus, etiã secundum suam proprietatem, & vi suæ processionis, est verus Deus. Quoniam eius proprietates per se ac necessario est eadem res cum natura veri Dei, neque potest aliter se habere: atque ita procedit per fecunditatem actus essentialis diuinæ voluntatis, ut vi suæ processionis non minus accipiat naturam diuinam primò secundum rationem voluntatis, & consequenter secundum omnes alias: quàm filius productus per viam intellectus primò naturam accipiat secundum rationem intelligentiæ, & consequenter secundum omnes alias. Plura de conuenientia & differentia inter vtramque processionem, & cur processio Spiritus sancti non sit generatio, sicut processio filij dicimus inferius præcipue lect. 9.

Processio Spiritus sancti dicitur spiratio.

SECTIO II.

Refutatur error Durandi, & Nominalium, contra doctrinam præcedentem.

Contra id quod diximus filium procedere per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem, sentit Durand. in 1. dist. 6. qu. 2. num. 6. & sequentibus, vbi docet filium non produci per actum intellectus, nec Spiritum sanctum per actum voluntatis, sed

Io. Durandi argumenta contra notionalitatem sententiam.

Re. 2.

per naturam, quæ ratione prior est in Deo quam intellectus & voluntas. Fundamentum eius est quia dupliciter tantum intelligi potest, quod scilicet in diuinis producat per actum intellectus, & Spiritus sanctus per actum voluntatis. Vno modo, quod isti actus sunt ipsa productiones personarum. Alio modo, quod sint principia productionum. Primum non potest dici, propter tria. Quia productiones personarum sunt actus notionales, & non essentielles. Sed intelligere & velle sunt actus essentielles, & non notionales. 2. Quia cuiusque conuenit actus per quem persona producit, eidem competit producere personam ad quam actus terminatur: sicut cui competit generare, competit producere filium. Sed intelligere & velle competunt omnibus personis diuinis. Ergo omnibus competeret producere filium & Spiritum sanctum. 3. Quia productiones personarum differunt realiter. Sed intelligere & velle non differunt realiter.

Secundum etiam non potest dici, nempe quod sint principia productionum. Quia ex actibus intelligendi & volendi nihil consequitur, ut patet ex 9. Metaph. Ergo non sunt fecundi. Patet ergo, inquit, quod intelligere & velle non sunt productiones personarum, nec principia productionum: sed exclusis à Deo per mentem intellectu & voluntate, cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio filij, & spiratio Spiritus sancti. Nimirum quia sunt ex fecunditate nature radicaliter, quam fecunditatem habet ex sua infinitate, & non ex hoc quod est intelligens & volens.

Quod amplius confirmat Durandus, quia secundum idem proportionaliter competit fecunditas creaturis, & Deo. Atqui fecunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex hoc quod sint intelligentes & volentes, sed per aliquid prius & communius. Unde virtus generandi competit etiam rebus carentibus intellectu: & ubi operitur in rebus habentibus intellectum, hoc non est per intelligere & velle. Item, qualis est ordo rei inter differentia realiter: talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem. Sed ubi natura, intellectus, & voluntas, differunt realiter, productio est realiter vi natura, & non intellectu & voluntatis: ergo sic est in Deo, in quo ista sunt differentia solum secundum rationem. Hæc Durandus.

Cuius sententia quatenus asserit filium non produci per intellectum, nec Spiritum sanctum per voluntatem, ad hærent Nominales, Gabriel in 1. distinct. 7. quæst. 2. iuncta distinctione 11. quæst. 1. art. 2. Ocam eadem distinct. 11. quæst. 1. & Gregor. in 1. distinct. 13. quæst. vnica, iuncta distinctione 8. quæst. 2. artic. 1. sed alio nixi fundamento, nimirum quia per actum intellectum & voluntatem, aliaque Dei attributa, ne virtualiter quidem & ratione distingui, sed tantum penes nomina & connotata extrinseca. Verum hæc sententia merito damnatur

erroris & temeritatis à Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 5. Vasq. disput. 111. cap. 2. Molin. quæst. 27. artic. 5. disp. 2. Valenti. ip. contro. uersis lib. 2. de Trinit. cap. 4. Ruis disput. 2. sect. 2. num. 5. & disp. 59. lect. 4. in initio, alii. que antiquioribus, quos isti referunt. Merito, inquam, damnatur, quia repugnat Scripturæ Partibus, & rationibus sumptis ex certis fidei dogmatibus.

Primum enim Scriptura filio tanquam patri & speciale tribuit esse Verbum, ut patet ex pluribus eius locis relatis num. 2. quibus adde filium passim in Scriptura vocari sapientiam Patris, ut Sap. 7. vers. 25. & 26. ubi nomine sapientia intelligi filium exponit ipsemet Apostolus Hebr. 1. vers. 3. ad locum eundem alludens, & partem eius citans. At qui eadem sapientia de se affirmat ex ore altissimi produisse, primogenitam ante omnem creaturam, Ecclesiastici 24. vers. 5. Prodire autem ex ore Dei ab æterno & ante omnem creaturam, est prodire ex ipsius intellectu. Os enim alicuius, est id quod dicit, seu quo loquitur. At Deus ab æterno non dicit nisi intellectu, quo sibi ipsi omnia exprimit, & dicit apud se quicquid est cognoscibile. Itaque filius procedit à patre per intellectum specialiter, habetque ratione sue processions ut sit peculiariter focus diuine intelligentia. Quare causa vocetur proprio & speciali nomine Verbum, & Sapientia genita, verbis supra relatis ex Ioan. 1. v. 1. & 14. & Apoc. 10. v. 14. & 1. Ioan. 5. v. 7. Quibus adde istud Ecclesiastici 1. vers. 5. *Fons sapientia, verbum Dei in excelsis*: Quo loco videtur S. August. ad confirmandum quod filius sit verbum lib. 15. de Trin. cap. 11. Et illud quod Sapientia de se ipsa dicit Proverb. 8. v. 23. & 24. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam iam concepta eram, &c.* Quæ verba sancti Patres communiter intelligunt de filio genito ab æterno, qui ratione sue originis, dicitur specialiter Sapientia & Verbum Patris æterni.

Neque respondeant Durandus & Nominales filium non nisi improprie & accommodatiue appellari Verbum. Nam hæc responsio est plane improbabilis. Tum quia sapit hæresim Arii & Origenis, ut recte ait D. Thom. qu. 34. art. 1. ad 1. Addo & quod magis sapere hæresim Alogianorum. Nam quod improprie tantum & metaphoricè dicitur tale, non est verè tale; & verius negatur, quam affirmatur esse tale. Tum etiam quia verba citata Scripturæ valde inepte & irrationabiliter exponuntur de verbo improprie & metaphoricè dicto. Nam si cum Ioannes ait, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt, &c.* Et *verbum caro factum est*: 1. inquam, licet explicare nomen Verbi toties repetitum, de verbo improprie & metaphoricè: pari audacia & temeritate licebit ibidem explicare nomen *Deus, de Deo metaphoricè & improprie dicto*: & il-

Gabriel.  
Ocam.  
Gregor.

Iud. Omnia per ipsum facta sunt, non de vera creatione, sed de metaphorica & apparenti, vel accommodantia. Et illud denique, Verbum caro factum est, de Incarnatione metaphorica. Quod cum sit absurdum & intolerabile, debeantque cetera omnia sumi in sensu proprio: debet pariter nomen Verbi proprie sumi. Quare merito Cyrill. lib. 7. Thesauri cap. 1. fere initio, sic ait: Verbum Ioannes appellat filium, v. hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse filij maxime significativum elegisse videatur &c. Vides quomodo ipsum esse filij secundum naturam hoc nomen significat? Adde quod Ioannes eo loco susceperat explicandam contra Cerinthianos, & Ebionitas, filij & Christi divinitatem. Cui intentioni non erat conveniens uti verbis improprie & metaphorice, ipsoque sui Evangelij exordio non nisi verbis improprie explicare duo principalia fidei mysteria, nempe distinctionem personarum divinarum, & Incarnationem Inus ex illis, quam potius debuit proprio & speciali nomine designare. Vnde Cyrill. vbi supra, Frustra, inquit, miramur Evangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasset, tonitruum filium appellamus, nisi Verbum quasi proprium, mirabile, & indubitum pronunciasset.

16. Similiter, si in altero testimonio I. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in celo &c. nomen Verbi metaphorice exponitur: pariter licentia exponet quis ibidem nomina Patris & Filij & Spiritus sancti, & illud, Hi tres unum sunt. Apoc. verò 19. ante verba illa v. 13. vocabatur nomen eius Verbum Dei; dicitur v. 12. Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Quæ & multa alia ibidem de illo dicuntur, ad peculiariter & proprie designandam ipsius personam. Adde præterea commune axioma Theologorum, sumptum ex D. August. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. Scripturæ verba esse in sensu proprio intelligenda, quantum fieri potest: neque ab illo recedendum esse, nisi cogat manifesta absurditas, quando scilicet verborum proprietas neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest. At in præsentibus nihil cogit à verborum proprietate recedere.

17. Secundò, Sancti Patres idem disertè affirmant, & citata Scripturæ loca in eundem sensum intelligunt, nempe quod filius proprie & specialiter dicatur Verbum, quia per intellectum procedit. Vt Basil. hom. 16. in illud Ioannis, In principio erat Verbum, post medium, vbi sic ait: Cur verbum? Vt quod ex mente procedit, ostendatur. Et Chrysostom. orat. de illo Evangelico Oraculo, In principio erat verbum, quæ habetur tom. 6. novæ editionis, prope initium. Quemadmodum, inquit, mens nostra sermonem vel verbum procreans, nulla id perfectione facit &c. sic etiam omni perfectione vacua est illa, quæ neque dicendo explicari, neque mente comprehendendi potest, divina generatio. Et oratione 9. de illo Abrahami, Pone manum tuam super

femur meum, quæ habetur eodem tom. 6. novæ editionis, sic ait: Quemadmodum se habet sermo ad mentem: sic unigenitus Deus Verbum sese habet ad patrem. Et Cyril. Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 5. circa medium, locum eundem Ioannis exponens: Filius, inquit, appellatur Verbum, ac sapientia: quoniam ex intellectu immediatè atque indivisibiliter est. Et lib. 2. Dialogi de Trin. longè post medium: Mens, inquit, humanæ parit & emittit à seipsa verbum &c. Quo exemplo paulò post explicat generationem filij ex mente Patris. Et Gregor. Nyssen. in epistola contra Apollinarem post medium, elegantè comparat duplicem Christi generationem, ut Verbi, & ut hominis, duplici verbi nostri generationi: Generatur, inquit, in corde, id est, interius in mente Verbum generatione quadam incomprehensibili atque incorporea: manetque intus incognitum. Ac secunda generatione corporea per labra generatur, tuncque omnibus innotescit: sed ab anima tenen quæ ipsum genuit, non auellitur. Vt per duplicem verbi nostri generationem manifestè duas Dei Verbi generationes secundum imaginem & similitudinem ediscamus. Genitus enim est indivisibilis, & inexplicabilis, atque incomprehensibili ratione; ex patre ante secula: eratque incognitus, tanquam in animo quadam apud patrem &c. Gregor. Nazianzen. orat. 36. non longè à fine. Verbum dicitur, quia ita se habet ad patrem, ut sermo ad mentem. Non modò propter generationem, passivè omnis expertem, Verum etiam propter conjunctionem ipsius cum patre, vimque enunciaticam. Quæ postrema verba notanda sunt. August. 15. de Trinit. cap. 6. sub finem: Illic intelligendo conspicimus tanquam dicentem, & Verbum eius, id est, Patrem & filium: atque inde procedentem charitatem utriusque communem, spiritum sanctum. Similia habent Hilarius in libro de Synodis esp. 5. vbi testatur Episcopos Orientales ita loca supra citata Sapientia, & Ecclesiastici, exposuisse; Irenæus lib. 2. contra hæreses, cap. 48. Eusebius, Athanas. Theodoret. Lactant. Ambros. Fulgent. Anselm. & alij, locis relatis à Bellarmino lib. 2. de Christo cap. 17. & à Didaco. Quis disp. 2. sect. 2. & disp. 55. sect. 4. & disp. 57. sect. 3.

18. Tertiò, dogma fidei, quod duas tantum esse processiones in divinis. Quarum prior est filij à patre solo; Posterior est Spiritus sancti à patre & filio. Adeoque illa est prima; hæc secunda. Nam filius, qui est principium Spiritus sancti, debet prius ratione esse productus, quam Spiritus sanctus quo prior est origine. Eademque de causa Patris, qui est improductus & principium cæterarum personarum, est prima persona Trinitatis: filius est secunda, Spiritus sanctus est tertia. Item prima est generatio; secunda non est generatio, sed spiratio. Atqui sententia Durandi & Nominalium non cohæret cum his fidei dogmatibus. Ergo rejicienda est, meritoque damnatur à Theod.

Cyrl.

Nyssen.

Nazian.

August.

Hilar.

Irenæ.

18.

Idem probatur ratione theologica.

17. Idem probatur ex Paulibus, Basil.

Chrysost.

Supra num.  
53.

logis supra citatis vt temeraria & erronea. Probatum minor. Nam posteo quod filius, & Spiritus sanctus, non procedant per intellectum & voluntatem; nulla potest reddi ratio efficax cur sint duæ processiones in diuinitis, nec plures, nec pauciores: vt fateatur Durand. in 1. dist. 10. q. 2. Neque cur productio filij sit à patre solo, & Spiritus sancti productio sibi ab utroque. Neque cur illa superior: hæc posterior. Nec denique cur illa sit generatio: hæc spiratio. Horum enim omnium ratio non potest aliunde reddi quam ex modo procedendi: filij per viam intellectus, & Spiritus sancti per viam voluntatis, vt patebit suis locis.

Durand.

19.

Fundamentum Nominalium euersum fuit supra dist. 3. sect. 5. 6. & 7. vbi ostendimus Scripturæ, Concilij, Sanctis Patribus, & rationi repugnare.

Soluta  
argumenta  
Durand.

Ad primum verò Durandi argumentum, Respondeo actus intelligendi & volendi non esse productiones ipsas, sed esse principia productionum per fecunditatem generandi & spirandi in illis proximè fundatam, seu per se primò illis identificaram. Falsum verò est nihil consequi ex actibus intelligendi & volendi. Nam in creatis producuntur habitus, & species impressæ, per huiusmodi actus, ad facilitatem operandi, & ad recordationem. In diuinis verò excellentissima infinitudo essentia diuinæ intelligentis & volentis, valè ad duplicem illam productionem verbi & amoris personalis, & ad communicationem essentia personis productis.

20.

Ad primam confirmationem Respondeo processiones diuinas esse ex fecunditate natura diuinæ, quatenus ex eius infinitate prouenit vt actus essentialis intelligendi & volendi sint proximè & immediatè fecundi. Nimirum quia illud intelligere & velle, sunt intelligere & velle natura diuinæ ipsi essentialis: natura, inquam, mirabiliter fecunda, communicabilis & identificabilis tribus personis realiter distinctis.

21.

Ad secundam & tertiam confirmationem, dico fecunditatem ad intra competere Deo per aliquid altius, quam conueniat creaturis. Nimirum per actus immanentes, quibus persona producens producit aliam in se ipsa manentem, & velut in sinu suo conceptam. Qui actus immanentes in natura pure intellectuali & immutabili, cuiusmodi est natura diuina, non sunt alij, quam actus intellectus & voluntatis. Porro licet actus illi immanentes sint communes tribus personis: non tamen propterea vis producendi ad intra omnibus competit. Quia vis & fecunditas generandi non est actus intelligendi simpliciter & absolute sumptus: sed prout est determinatus, seu modificatus, & fecundus per proprietatem generantis. Fecunditas quoque spirandi non est actus voluntatis præcisè sumptus, sed vt determinatus seu modificatus & fecundus per proprietatem spiratoris sibi proximè & immediatè

Fecunditas generandi non est actus intelligendi simpliciter &amp; absolute sumptus.

identificaram. Quo sensu debet intelligi, vt verum sit, id quod ait Scotus in 1. dist. 2. q. 7. filium procedere per actum notionalem intelligentia, qui est dicere, non autem per actum essentialem vt talem: & Spiritum sanctum produci non per amorem essentialem quæ talem, vt communem tribus personis: sed per amorem notionalem, id est, vt determinatum seu modificatum, & fecundum proprietate spiratoris. Alio qui verò falsum esset & superfluum, ponere actum intelligendi formaliter, proprium patris singulariter, vltra communem actum intelligendi, quo Deus intelligit perfectissimè omne intelligibile, & eo omni modo quo potest intelligi sine imperfectione. Falsum item est, patrem habere quicquam singulariter sibi proprium præter paternitatem seu proprietatem patris, quæ non est concipienda vt actus finalis intelligendi, sed vt hypostasis relatiuè opposita filio, relatione originis. Similiterque vis spirandi in Patre & filio non est concipienda vt actus formalis volendi: sed vt fecunditas constituens patrem & filium relatiuè oppositos ad Spiritum sanctum, per modum vnius spiratoris.

## SECTIO II.

Quomodo stet diuinitas personarum cum processibus?

Ratio dubitandi est primò, quia omne quod producit, ab alio producit. Nihil enim producit à seipso. At nullum ab alio productum est Deus. Deus enim est primum ens, à quo est omne aliud ens. Nullum verò productum est primum ens, sed eatenus est secundum & accessorium. Secundò, produci ab alio est mendicare existentiam & accipere ab alio, & indigere illo: quæ omnia sonant imperfectionem, & repugnant enti simpliciter infinito. Tertio, persona producens præsupponitur productæ prius ratione, dependentia, & constitutione: persona verò producta est posterior. Et licet necessariò sequatur productionem: tamen à posteriori tantum, & consequenter. Hoc autem repugnat Deo summe perfectò, & primo enti, nullum prius aut perfectius agnoscens: ergo &c.

Ad primum Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem, dico de ratione Dei esse, vt sit primum ens ratione essentia: & non ratione cuiuscunq; proprietatis personalis, nisi identice, quatenus illa, vt productionis, identificatur essentia diuinæ, quæ est primum ens, & omnino à se.

Dices, personas productas ne quidem ratione essentia esse primum ens, siquidem illam habent ab alio, nempe à producente.

Respondeo essentiam personarum productarum duobus modis spectari posse. Primò, ab-

solus & secundum se: & sic non est ab alio, ne quidem communicante. Secundò, ut identificata & veluti communicata proprietati personæ productæ: & sic quidem ab alio est, non ut producente, sed tantum ut communicante: unde etiam eatenus est ens à se negatiuè, id est, improductum ab alio: quamuis non primum omni ratione. Prior enim est essentia ut communicabilis, & veluti radix fecunditatis & communicationis, quam essentia ut communicata, id est, communicatio actualis & formalis essentia. Sed hoc non obest Deitati personæ productæ: quia non quicquid est Deus, debet esse primum omni ratione, & sub quacunque consideratione: cum vel in ipsa essentia quædam sint alia alij priora ratione, ut intellectus voluntate, & voluntas omnipotentia.

25. Processio personarum diuinarum est sine indigentia & dependentia.  
Ad secundum Respondeo esse quidem inter personam producentem, & productam, exigentiam mutua[m] absolute[m] necessariam; & rationem principij, & termini; dantis, & accipientis: at non indigentiam, emendicationem, & similes imperfectiones, quæ non sunt de ratione producentis, & producti, generaliter sumptâ prout à Deo & à creaturis abstrahit: & à Deo remoueri debent: tum quia non minori necessitate persona producta existit & habet essentiam diuinam, quam producens: tamque est necessarium esse tres personas diuinas, quam esse ipsum Deum: unde non est ibi indigentia & dependentia, sed mutua connexio personarum, æque vtrique necessaria absolute. Tum etiam quia, ut rectè ait Cyrillus, Alexand. in Synodo V generali p. 3. in apologia duodecim anathematismorum, anathematismo 1. §. *D. sensio Cyrilli*, Deus non gignit nisi diuinè & dignè Deo: semotis scilicet imperfectionibus dependentiæ, causalitatis, indigentia & similibus, propter quas sanctus Dionysius cap. 2. de diuin. nominibus. versus finem concipiendas esse ait, processionem istas cum infinita distantia à creatis, licet ipsæ exprimentur nominibus, & cap. 7. eiusdem libri affirmat *Diuina dignè Deo esse intelligenda.*

26. Generatio non obest perfectioni filij.  
Ad tertium Respondeo Patrem esse priorem origine, quam filium: itemque filium sequi à posteriori, sed posterioritate tantum originis, quæ in eo consistit, quod vnum sit ab alio. At hoc non obest perfectioni filij. Quia per productionem simpliciter & absolute[m] necessariam accipit diuinam essentiam, per quam absolute[m] spectatam est prior ratione & præsuppositione fundamentali, quam sit etiam pater ut pater, & ut distinctus à filio. Essentialia enim præsupponuntur personalibus, ut ratione priora. Neque ideo desinit persona quælibet esse summe perfecta, & nihil habere supra se. Quælibet enim continet formaliter, vel eminenter, omnem perfectionem. Et quamuis proprietates producentis non sit formaliter in producta, sicut vice versa proprie-

tas personæ productæ non est formaliter in producente: nulla tamen est perfectio in vna, quæ non sit saltem eminenter in alia, ratione essentia, in qua formaliter vel eminenter omnia continentur. Unde etiam fit ut persona producens non sit perfectior producta simpliciter: quoniam hæc vi processionis accipit, non tantum omnem perfectionem simpliciter simplicem, sed etiam eminenter ipsam perfectionem originis actiua, quæ est in producente. Licet producens habeat illam in duobus modis: & formaliter, per seipsam; & eminenter, per essentiam. Sicut etiam persona producta habet oppositam proprietatem terminatiua[m], seu passiuam originem, & formaliter per se, quo modo non est in producente: & eminenter per essentiam, quo modo vi essentia communis est personæ producenti.

27. Illud verò Christi Actus: 20. *Beatus est dare, quam accipere*, verum est quidem de datione libera & morali, de qua Christus: aut etiam de quavis datione & acceptione creata. Non enim de diuina, in qua ex absoluta necessitate datur essentia eadem, quæ accipientem constituit infinitum simpliciter in omni genere perfectionis. Nam illud ens, quod procedit quidem ab alio, sed ita tamen, ut ex intrinseca & absoluta necessitate existere debeat, non existit alterius beneficio, neque vlli alteri debet suam existentiam, magis quam sibi ipsi. Sed habet in seipso necessitatem existendi, & fundamentum suæ existentia, quoniam ab intrinseco determinatum est ad existendum, & non tantum ratione sui principij: nulloque modo est de se indifferens, ut existat vel non existat. Unde non est existimandum huiusmodi ens tantum existere necessario, quia habet principium determinatum & necessitatum ad sui productionem: Id enim esset habere tantum necessitatem ab extrinseco: sed potius dicendum est, quia per se, & quatenus tale est, necessario debet existere per processionem ab alio, ideo habere principium determinatum ad sui productionem. Et vice versa, quia necessario, & ab intrinseco necessitate absoluta aliquid est secundum; idcirco esse principium determinatum ad alterius productionem. Ita, ut sit ex æquo intrinseca & absoluta, necessitas, tam in principio, quam in termino. Neque magis persona producta debeat suum esse personæ producenti, aut illa indigeat, vel ab illa pendeat; quam persona producens pendeat à producta, vel debeat illi suum esse, aut illa indigeat. Sed in vtraque tantum sit mutua connexio, mutuaque exigentia: & æqualis vtrique absolute[m] essendi necessitas. Atqui persona producta quæ ita se habet respectu personæ producentis diuinæ, ut nihil magis illi debeat, quam illa sibi, neque magis illa indigeat, neque ab illa pendeat, sed æque necessario existat; debet esse æqualis perfectionis cum illa, adeoque debet esse diuina. Quare personæ per-

In diuina non est beatus dare, quam accipere.

Persona diuina producta non minus est eius necessarium ab intrinseco, quam personæ producentis.

TNO  
S  
part  
T



sonæ productæ in diuinis sunt æquales producentibus. Ac proinde in diuinis non est beatitudo & perfectio dare, quàm accipere; & producere, quàm produci.

## SECTIO IV.

De principio & termino formali processionum diuinarum.

28. **P**otencia generandi & spirandi est realis & physica. **S**uppono primo in diuinis esse verum æ reale principium formale; seu potentiam generandi & spirandi: esseque erroneum existimare has potentias esse tantum virtuales seu metaphysicas. Nam potentia virtualis tantum & metaphysica non sunt veræ & formales potentia; sed solum per modum potentiarum, siue per analogiam & proportionem ad veras potentias concipiuntur, propter æquivalentiam ad duo, quorum vnum est potentia in creaturis, & alterum est actus: suntque tantum nomine tenus & conceptu potentia. At dicere potentias generandi & spirandi non esse veras potentias formaliter & realiter producentes, sed tantum illa concipi propter æquivalentiam, est erroneum & hæreticum. Hoc enim est negare in Deo esse veras & reales productiones: ac proinde negare distinctionem realem, & pluralitatem personarum diuinarum, quæ fundatur in relatione originis, id est reali processione vnus ab alia. Quare grauius errauit Aureolus in 1. dist. 7. q. 1. art. 2. dicens potentiam generandi & spirandi, non nominare aliquod principium productiuum in diuinis.

29. **E**ius autem argumenta præcipua hæc sunt: **P**rimò, quia inquit, vbi productiones non sunt elicite, vanum est querere productiuam potentiam, aut principium producenti. Sed in diuinis generare & spirare non sunt productiones elicite: Pater enim nihil habet elicite: & possit illud quo constituitur formaliter in esse suppositi, non potest esse aliud; alioqui non esset suppositum improductum. Secundò, posse esse patrem non est posse potentia productiua, sed est posse connexionis necessaria, eo modo quo homo potest esse animal. Sed eadem est potentia quæ potest generare, & qua potest esse Pater: alioqui Pater produceretur in esse patris, quod est erroneum. Ergo generare non est posse potentia productiua. Tertio, illa potentia productiua esset perfectio simpliciter simplex, multò magis quàm potentia creatiua. Ergo aliqua perfectio simplex esset in aliqua persona, quæ non esset in alia.

30. **A**d primum respondeo, illud procedere ex falsa imagine, quod actio vel productio sit aliquid elicite ex ipso agente. Quod si ita esset, abiretur in infinitum. Nam eliceretur mediante alia actione, & hæc iterum mediante alia, & sic in infinitum. Ac si dicitur actio elici immediate ab agente, &

non egere actione intermedia, ab agente distincta: melius & verius est dicere terminum produci immediate ab agente, & non egere actione intermedia, distincta ab agente, ab eoque producta, ita vt actio nihil aliud sit, quàm agens se exercens circa terminum, suaque vi illum ponens.

**A**d secundum respondeo, posse esse patrem, seu posse generare, non esse posse potentia productiua, circa ipsum patrem aut paternitatem: sed circa filium.

**A**d tertium dico potentiam generandi, & potentiam spirandi, quamuis nobiliorem virtute creandi, non esse tamen perfectiorem simpliciter simplicem: quia relatiuè & incompatibiliter opponitur alteri æque bonæ. Licet autem potentia illa non sint formaliter in personis relatiuè oppositæ: sunt tamen in illis eminenter, ratione essentia diuinæ, contentis formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, alias eminenter.

**S**uppono secundò, cum communi sententia Theologorum, principium quo, seu potentiam productiuam in diuinis, distinguatur à principio producente vt quod. Similiter que terminum formalem productionis distinguatur à termino totali, id est, à persona producta. Quod nemo negat præter aliquos Nominales, vt Gregorium Ariminensem in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 2. conclus. 1. & Maiorem ibidem, quæst. vnica, sed à initio. Idcirco quia putant essentiam & proprietates personarum diuinarum ne ratione quidem & virtualiter distinguantur. Quod esse falsum ostendimus disp. 3. sect. 5. & 6. Addit Gregorius loco citato, principium producens filium, seipso primò producere, & non per aliud extrinsecum aut intrinsecum. Igitur non est aliquod principium quo, aliud à principio quod producit.

**D**einde, si Pater per aliud à se aliquo modo produceret, tanquam principio quo: esset aliquo modo illud tale causa patris. Quia omne quod agit per aliquid aliud: aliquo modo habet esse, vel tale esse, per illud. Tertio, si aliqua forma simplex substantialis, vel accidentalis, separata diuina virtute, aut naturaliter per se existens, ageret: ipsa seipso primò ageret, & non aliquo alio principio quo. Igitur sic est in primo producente, quod Deus est, non minus simplex, quàm illa forma. Neque dicas, inquit, quod non obstante summa simplicitate personæ, adhuc essentia, & similiter proprietates, aliquo modo distinguuntur à persona, saltem secundum rationem: & per consequens persona potest esse principium quod: & essentia vel proprietas, principium quo. Illud enim non valet, quia distinctio rationis aut conceptus nihil facit ad præpositum. Neque conceptus vel ratio est principium quo, nec quod, generandi filium: sed res extrinsecum in qua cum nulla penitus sit distinctio, non potest ibi talium principiorum distinctio assignari. Et confirmatur quia eadem

ratione in forma simplici creata posset assignari principium quo, aliud à principio quod: quod tamen nullus dicit.

33. **Diluatur.** Ad primum Respondeo, principium producens filium, seipso primò producere, sed non omni ratione sui, vt videbimus paulò post. Ad secundum dico Patrem non producere per aliud à se, adæquatè, ne ratione quidem, distinctum: sed per aliquam sui rationem intrinsecam, quæ non est causa, sed ratio virtualiter & metaphysicè constitutiva Patris. Ad tertium Respondeo formam simplicem physicè, sed virtualiter & ratione multiplicem, non agere secundum omnem sui rationem quidquid agit: Possèque in illa distingui principium quod agit, à principio quo agit. Ex. gr. anima rationalis non intelligit quæ est vegetatiua, id est, quatenus per vim vegetandi æquiuale formis plantarum: sed quatenus est intellectiua, id est, quatenus similis est Angelis in virtute intelligendi: quamuis duæ illæ rationes sint idem à parte rei in eadem simplici anima rationali. Itaque in anima rationali potest distingui ratione principium quod, & principium quo: Quamquam iuxta modum communem loquendi, à quo non est recedendum, principium quod, non dicitur, nisi de toto substantiali & subsistente, cui tribuuntur actiones omnes, licet sint tantum ab aliqua eius parte, aut modo, vel accedente adiuncto; iuxta vulgatum axioma: Actiones sunt suppositorum.

34. Ad replicam, dico conceptum quidem nostrum vel rationem nostram, non esse principium quo, vel quod, generandi filium: sed rem extra conceptum à parte rei existentem. In qua licet nuda penitus sit distinctio propriè dicta, intrinseca scilicet, & formalis seu actualis: est tamen amplitudo virtualis, & æquiuale ad multa, quæ præbet intellectui fundamentum formandi de re illa diuersos conceptus inadæquatos, attingentes rem diuersimodè prout æquiuale rebus diuersis. Estque verum quod sit principium, quatenus æquiuale vni, & non quatenus æquiuale alteri. Sicut de anima rationali verum est quod sit principium sentiendi & sentiat actu, quatenus æquiuale animæ brutorum: & non quatenus æquiuale animæ plantarum. Quodque intelligat quatenus habet principium intelligendi, vt Angeli, supra perfectionem sentiendi & vegetandi, in qua cum brutis & cum plantis communicat.

35. His præsuppositis difficultas est quomodo filius & Spiritus sanctus procedant per viam intellectus & voluntatis? seu quodnam sit principium formale, cuius terminus formalis huiusmodi processionum?

Quænam sint principia processionum diuinarum?  
Respondeo & dico primò, principium formale productionis filij esse actum essentialem intelligentiæ vt secundum: Spiritus verò sancti principium formale esse actum essentialem voluntatis vt secundum: ita vt Filius & Spiritus sanctus producantur

formaliter per actus essentialis intelligentiæ & voluntatis, non vt tales simpliciter, sed vt secundi sunt seu per ipsorum secunditatem mirabilem ad intra. Totale autem principium producens, esse Patrem respectu filij: & Patrem ac filium, per modum vnius spiratoris, respectu Spiritus sancti. Huius assertionis pars secunda, de principio totali, facilis est, & extra controversiam: fatique patet ex ipsa definitione principij totalis, quod est id totum cui competit virtus integra & completa producendi, quodque vere denominatur producere.

36. Prima verò pars eiusdem assertionis de principio formali est D. Bonauenturæ in 1. dist. 7. art. 1. q. 1. Durandi eadem dist. q. 2. num. 29. Carthusiani ibidem q. 2. sub finem, vbi etiam Henricum, & Antihodorensem in eandem sententiam citat. Est etiam Varronis apud Gregorium Arim. in eadem dist. q. 2. art. 2. & Valentini Herice disp. 13. de voluntate Dei num. 43. vbi affirmat volitionem communem in patre & filio esse principium communicationum & productionum Spiritus sancti, per relationem spiratoris. Ad eandemque sententiam propè accedunt Albertus Magnus in 1. dist. 7. art. 2. Ricard. ibidem q. 1. & Valentini q. 15. de Trinit. puncto 2. assertionem 2. affirmantes essentialitatem quidem & proprietatem constitutivam generandi & spirandi: sed principalitatem tamen proprietatem: Et Ioannes Delugo disp. 12. de Incarnat. num. 96. vbi sic habet: Natura diuina, prout præscindit à personalitate patris, non distinguitur realiter à persona filij. Quare vt sic non potest esse principium generandi filium. Principium enim & principiatum debent distingui realiter. Quare oportuit constitui in ratione principij per aliquid distinctum à filio: nempe per personalitatem. Huc vtque Delugo. Fauet etiam D. Thom. pluribus locis, quæ citabimus paulò post.

37. Probatur primò auctoritate Patrum, Athanasij in Dial. de Trin. contra Anomæos paulò post medium, vbi explicans illud Psal. 109. Ex utero ante luciferum genuisse, sic habet: Vteri nomine genitricem vim ipsius hypostases intelligo. Quod autem per hypostasim non intelligat essentialitatem, patet ex eo quod de ipso refert Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Athanasij, vbi sic ait: Cum à nobis essentia vna & tres hypostases piè dicerentur, & simili quidem modo apud Romanos intelligerentur: ceterum dum ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam hypostasim ab essentialitate distinguere non possent, tumque ob causam in illius locum, personarum indixissent nomen: D. Athanasius a vtriusque parte humaniter accersita, & vtriusque sententia diligenter & accuratè perpensa, postquam concordēs reperit, neque quoddam doctrinam quicquam inter se disidentes, ita negotium transigit, vt nominum vsu ipsi concedens, rebus eos constringeret. Hæc Nazianzenus. Sed neque etiam dici potest Athanasium per hy-

36.  
Bonauent.  
Durand.  
Charus.  
Gregor.  
Herice.

37.  
robatur  
propheta-  
tas esse  
principium  
formale.

TNO  
S  
part

postasim intelligere totum Patrem ut talem: alioqui enim quando ait Patrem ex vtero id est, ex vi genitricis hypostaseos sua gignere: sensus esset, Patrem ex vi genitricis patris sui gignere: quod est absurdum. In rigore tamen dici posset intelligere totam substantiam completam & individuum Patris, ut solent Patres antiqui, qui passim nomina hypostasis & personae confundunt. Ita ut sensus sit Patrem gignere ex vi genitricis suae substantiae completae, id est, suae personae. Aperiens verò fauet Epiphanius haer. 73. prope medium, ubi sic habet: *Vox, Pater, plus est quam nomen Ingeniti.* In Ingenito enim non apparet potentia patris: quae scilicet apparet in Patre, per id quod Pater addit supra Ingenitum. Nihil autem aliud addit, quam paternitatem. Quare ex mente S. Epiphanius paternitas est potentia patris ad generandum. Et Damasceni lib. de duabus Christi voluntatibus, paulò ante medium, ubi sic ait: *Omnia quae habet Pater, sunt filii, sola gignendi vi excepta:* id est, excepta paternitate, quae non potest communicari filio, cui opponitur relatiue: cetera verò omnia quae habet Pater, communicantur filio. Quare ex sententia Damasceni paternitas est gignendi vis.

38.

Idem probatur ratione. *Supra sect. 2.*

Probatum secundò ratione. Nam quòd in Deo sit fecunditas, seu vis generandi & spirandi, quòdque generatio sit per viam intellectus, & spiratio per viam voluntatis, ex dictis supra notum est. Hæc autem fecunditas non est ad producendum actum intelligendi aut volendi formaliter: cum Deus seipso sit intelligens & volens, citra realem productionem vultus actus, siue essentialis, siue contingentis. Neque etiam est præcisè intellectus aut voluntas in actu primo considerata, vel actus intellectus & voluntatis, præcisè sumptus: quia intellectus & voluntas, & actus intelligendi & volendi, possunt optime intelligi, etiam infiniti in perfectione intelligendi & volendi, sine fecunditate. Et uterque communicatur integrè & perfectè, non communicata fecunditate. Nam in Filio & in Spiritu sancto, non minus quam in Patre, est perfectissima intelligentia, & perfectissimus actus volendi: & tamen in filio non est fecunditas generandi, neq; in Spiritu sancto fecunditas spirandi. Ergo de ratione intelligentiæ aut actus volendi non est fecunditas, sed necessariò distinguenda est ratio, quandoquidem possunt illi actus communicari perfectissimè, absque fecunditate. Estque concipienda veluti consequens actus essentiali intelligendi & volendi: quia quòdammodo illi aduenit virtualiter, sequiturque Deum in esse perfectissimo intellectuali & volitivo constitutum essentialiter. Imò nec illos actus ita sequitur fecunditas, ut in quocunque est actualis intelligentia, aut actus volendi essentialis, sit etiam fecunditas illi respondens. Siquidem tota & per-

For anditas generandi & spirandi distinguuntur aliquatenus ab actu intellectus & voluntatis.

fecta ratio intelligentiæ est in filio, qui non potest esse genitor: & tota volitio est in Spiritu sancto, qui non potest esse spirator. Neque enim habent fecunditatem ad seipsos, cum idem à seipso produci nequeat. Neque ad alios, cum alij non sint possibles: potentia autem ad impossibile & ad nihilum, nihil est. Et quidem quòd alij filij, & Spiritus sancti, non sint possibles, manifestum est. Alioqui iam essent. Nam personæ diuinæ non sunt ex libertate, sed ex necessitate absoluta: ita ut idem sit reipsa in illis posse esse, & esse. Potentia etiam realiter & physicè productiua eiusdem ad seipsum esse nequit. Non solum propter realem præsuppositionem producentis ad productum: quæ si nihil aliud obstat, suppleri posset per reproductionem eiusdem à seipso aliter existente & præsupposito reproductioni suæ: Verum propter oppositionem realem necessariam inter producentem & productum immediatè, quæ sine reali distinctione esse non potest: alioqui quidni filius & Spiritus sanctus producant seipsos: ita ut bis producantur ab æterno, cum subordinatione quorundam: primò à persona distincta, secundò à seipsis, simul quidem tempore quo producantur ab alio, sed origine posteriori: ad eundem modum quo lumen ab alio productum, producit aliud tertium, eodem instanti quo ab alio producit: cum subordinatione tamen originis: quatenus ipsum prius debet esse & produci ab aliquo, quam producere aliud: & hoc ab illo est, non illud ab isto.

Idem non potest dici de ipsa.

Adde quòd si non esset necessaria distinctio realis inter producentem & productum immediatè, non esset ratio distinguendi realiter personas diuinas propter productiones: quia in diuinis omnia sunt vnum quantum fieri potest. Vnde vterius confirmatur responsum. Nam producentem, quæ producentem formaliter, & secundum, debet distinguere realiter ab eo quod producit. Atqui natura diuina, ipsaque intelligentia & voluntas, tam in actu primo, quam in actu secundo intelligendi & volendi considerata, non distinguitur realiter à personis productis: ergo &c. Confirmatur secundò ex D. Thom. qui licet contrarium sentire videatur quæst. 41. art. 5. verbis relatis in prohemio huius disput. alijs tamen locis aliqua tradit quæ non parum fauent nostræ sententiæ: ut quæst. 37. art. 1. in corp. ubi distinguit *Intelligere*, & *Dicere*: atque *Intelligere*, in diuinis dici solum essentialiter, quia non importat habitudinem principij: at verò *Dicere*, importare habitudinem principij: & q. 41. art. 1. ad 2. refert ex Magistro in 1. dist. 36. generationem esse paternitatem. Et in eadem solutione vniuersim asserit actum notionalem in diuinis non differre à relatione, nisi secundum modum significandi. Et art. 4. ad 3. tradit has propositiones: *Potentia significat principium. Principium autem importat distinctionem ab eo cuius*

est principium. Actio ab agente non distinguitur in Deo. Potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij. Et ideo sicut potentiam creandi ponimus in Deo: ita possumus ponere potentiam generandi vel spirandi. Intelligere & velle non sunt tales actus qui designent processionem alicuius rei à Deo distincta. Unde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentie. Hucusque D. Thom. iuxta quæ essentia & intelligentia diuina non potest esse formaliter potentia generandi. Nam potentia formaliter significat principium. Principium verò importat distinctionem ab eo cuius est principium. Sed essentia & intelligentia diuina non importat distinctionem ab eo quod generatur. Ergo essentia & intelligentia non est formaliter potentia generandi. Restat igitur vt generandi vis sit proprietas patris realiter distincta à filio, quæ est ipsa paternitas. Idem S. Thomas quæst. 41. art. 4. in corp. ait potentiam nihil esse aliud, quam principium alicuius actus. Item potentiam generandi significare id, quo generans generat. Ergo, si id quo generans generat, est potentia: & potentia est principium: & principium importat distinctionem ab eo cuius est principium: sequitur essentiam & intelligentiam secundum propriam rationem non esse potentiam generandi, cum non importet distinctionem ab eo quod generatur.

40. Concil. Lateranense. Confirmatur tertio ex Lateran. cap. 2. de summa Trinit. circa medium, vbi sic ait: *Illam res, scilicet naturam, non est generantemque genita: sed est pater qui generat, & filius qui gignitur.* Quibus verbis significat Patrem non per ipsam naturam siue essentiam, sed per aliquid sibi proprium generare, nimirum per paternitatem. Alioquin enim si Pater non proprio aliquo generat, sed naturam: certe natura ipsa proprie generat, quippe cuius actiue est generatio. Aut si ipsum formale constitutum naturam formaliter generat vt tale: ergo & ipsa natura, per quam tale formaliter constituitur. Sicut calor verè calefacit, & frigus frige facit, & lux illuminat: quamuis calor, frigus, & lux sint in concreto physico, id est, in aliquo subiecto quod constituunt formaliter calidum, frigidum, lucidum; non autem in abstracto. Denique quando aliquid conuenit alicui supposito, & alteri repugnat: debet illi conuenire secundum id quod illi proprium est, & in quo differt ab altero. Sicut v. g. visio & fructus Dei, quæ conuenit homini, & non brutis, conuenit illi secundum proprium hominis, per quod differt à brutis. Sed potentia generandi conuenit patri, & repugnat filio: ergo patri conuenit secundum id quod est proprium patris, & in quo differt à filio. Alias plures rationes addit Durand. loco supra citato.

41. Ex his collige primò, Deum non generari.

nerare per suum intelligere, nec spirare per suum velle, nisi remotè: proximè verò per fecunditatem, seu per intelligere & velle vt fecundum. Non tamen ita vt intelligere & velle materialiter tantum habeant; quoniam actus intelligendi, & volendi, non sunt tantum velut subiectum, sed etiam radix proxima fecunditatum quæ conueniunt illis per se. Quamuis non ita, vt sint à illorum ratione infensa: neque ita vt in quocunque est actualis intelligentia vel actus volendi, sit etiam fecunditas.

Collige secundò, Filium non gigni per actionem intelligendi, nec Spiritum sanctum produci per actionem amandi: quasi huiusmodi actiones sint formaliter ipsorum productiones. Etenim productio Filij & Spiritus sancti realis est, terminaturque ad aliquid realiter distinctum. Actio verò intelligendi & amandi in Deo non est realis: quia Deus non agit physicè & realiter, intelligendo & amando, sed per simplicem entitatem & substantiam suam sufficiens est, absque vlla reali productione, ad intelligendum & amandum. Neque vlla est distinctio inter ipsius intelligendi & volendi potentiam, & actum secundum intelligendi & volendi, nisi virtualis & per æquivalentiam ad intellectum aut voluntatem, & actum secundum creaturarum. Et hæcenus de principijs processionum diuinarum. Jam de terminis.

Dico secundò, terminos formales earundem processionum, vt productiones sunt, esse proprietates personarum productarum, per quas relatiue opponuntur producentibus. Totales verò terminos, esse easdem personas productas, filium videlicet, & Spiritum sanctum. Secunda pars conclusionis ab omnibus admittitur: & patet, quia terminus totalis productionis est totum illud quod per eam denominatur productum. Prima verò, est Henrici in Summa art. 54. q. 3. Durandi in dist. 5. qu. 1. iuncta dist. 7. qu. 2. n. 23. Aureoli ibid. q. vnica art. 2. propositione 3. Gabrielis qu. 3. art. 2. qui tamen postremus terminum formalem cum totali confundit, eò quod putet ne ratione quidem distingui proprietatem & personam.

Probat, quia terminus formalis cuiuscunque productionis generatiue est id, quod per se proximè & ratione sui producit, & ratione cuius reliquum totum dicitur produci: sicut principium formale proximum est id, quod per se proximè & ratione sui producit, & ratione cuius reliquum totum denominatur producus. At qui proprietates personarum productarum opposita producenti, est id solum quod per se producit, non autem natura: & ratione cuius tota persona denominatur produci: sicut ex opposito proprietates producentis est id quod per se proximè ac formaliter producit: & ratione cuius tota persona denominatur producus: ergo &c. Minor

42

43

Henric. Durand. Aureol. Gabriel.

Termin. formales processionum diuin. sunt proprietates personarum productarum.

ex dictis clara est. Maior probatur ex communi usu & definitione termini formalis. Quamvis enim varij variè utantur hac voce, unde existunt quaestiones de nomine communius tamen, teste Suare tomo 1. in 3. part. disput. 8. sect. 2. columna 2. terminus formalis productionis aut actionis dicitur esse id quod proximè per illam inducitur & fit in rerum natura. Hic est enim, inquit, usus istius vocis, ut ex omnibus Philosophis constat, & ex ipsa ratione termini, quæ in hoc consistit ut ad ipsum tendat actio. Actio autem maximè tendit ad id quod per ipsam proximè fit. Hæc Suares.

Qui nihilominus lib. 6. de Trinit. cap. 6. num. 2. vult essentiam communicatam esse terminum formalem originis, seu productionis realis Filii, & Spiritus sancti. Sed hoc non satis conuenit cum priori eius dicto. Sic enim argumentor: Terminus formalis productionis est id quod proximè per illam inducitur & producit, aut fit in rerum natura. At essentia ut communicata non producit: ergo essentia ut communicata non est terminus formalis productionis. Maior est Suaris loco prædicto citato. Minor est certa, quia essentia ut communicata nihil est aliud, quam essentia ut existens in persona producta, ut productionis proprietatis, quæ ex parte sui identificatur inseparabiliter cum essentia. At non propterea producit ipsa essentia: sicut neque propterea distinguitur realiter à persona producente & communicante.

Dixi terminos formales processionum, ut productiones sunt, esse proprietates personarum productarum, per quas relative opponuntur produceribus; non autem absolute omni alia ratione. Notandum enim est primò, in processione & totali constitutione personarum procedentium duo considerari posse, ratione distincta, & modo vel non mutuo præcisa, iuxta diuersas opiniones circa distinctionem proprietatum ab essentia diuina, de quibus dicemus disput. sequenti sect. 5. Vnum est productio proprietatis personæ productæ: Alterum est communicatio essentia, seu potius identificatio proprietatis cum essentia diuina. Quæ identificatio est omnino & absolute necessaria. Illa verò intellecta, intelligitur esse persona intere & perfecte constituta ex proprietate & essentia. Differunt tamen aliquatenus ratione productionis & communicationis. Nam proprietates personæ productæ, realiter & physice producit, non autem communicat. Contra verò essentia non producit, sed tantum communicat, propterea quod id quod realiter producit, est necessariò idem realiter cum essentia, & ab illa inseparabile, ex parte sui. Sicut igitur actio conueniunt personæ productæ dupliciter potest considerari; quatenus scilicet est productio proprietatis, & quatenus est communicatio essentia: ita duo termini formales eiuſdem actionis distingui

possunt per rationem. Productio enim videtur, proprietates communicationis verò, essentia ut communicata. Quamquam illa communicatio non est actio realis aut exercitium reale distinctum à productione: sed ipsamet productio proprietatis est etiam communicatio essentia, propter necessariam identificationem proprietatis cum illa: ita ut realiter eodem modo producit proprietates, & communicat essentia, realiter eadem, & inseparabiliter proprietate, eo modo ut cuiusque conuenit illa proprietates necessariò conueniat essentia: licet non vice versa.

Nota secundò essentiam seu naturam diuinam prout conuenit ad constitutionem personæ productæ, spectari posse dupliciter. Primò, velut extrinsecò, per modum eius ex quo quodammodo proprietates producit, siue quasi ex materia, ut Durand. Henricus, & quidam alij volunt: siue quasi ex natura & totali forma, determinabili, non ut materia per formam, sed ut natura per modum aut terminum substantialent, ut melius dicunt plures alij cum Suares lib. 6. cap. 6. num. 6. Secundò, spectari potest ut communicata, & per modum veluti partis intrinsecè constituentis cum proprietate producta personam diuinam, constantem ex illa proprietate, & ex natura ipsi communicata seu potius identificata. Priori modo essentia prior est proprietate producta, & ad illam præsuppositiue se habet, ut id ex quo proprietates quodammodo existit. Posteriori modo essentia ut communicata, se habet quasi posterioris ordine rationis ad productionem proprietatis, quæ productio est: quatenus ratio cur communicetur essentia, est quia producit proprietates quæ illi necessariò identificatur, & inseparabiliter ex parte ipsius proprietatis, quæ nulli potest conuenire, cui non conueniat natura diuina.

## SECTIO V.

Refutantur contraria sententia, & respondetur earum argumentis.

Contra id quod diximus in prima conclusione sectionis præcedentis, potentiam generandi & spirandi formalem & proximam, seu principium quo, esse proprietatem patris & spiratoris, sentiunt non pauci. Quorum aliqui putant ipsam essentiam diuinam, prout est intellectio & volitio essentialis, esse potentiam generandi & spirandi formalem & proximam. Alij dicunt essentiam non solam, sed adiuncta proprietate. Et isti in tres sententias diuiduntur. Aliqui enim volunt proprietatem adiungi ut principaliorem, Alij, ut æqualiter complementem & constituentem potentiam. Alij denique, ut minus principalem, & veluti connotatum quoddam.

45. In processionibus diuinis est productio & communicatio.

Essentia  
sola non est  
potentia  
generandi

Sed qui volunt essentiam solam esse potentiam generandi & spirandi, non loquuntur conformiter cum Concilio Lateranensi cap. 2. de Summa Trinit. affirmante essentiam non generare, neque generari. Nam potentia est quæ primò & per se ac formaliter generat; & ratione cuius, subiectum, aut totum cui inest, dicitur generare. Sicut quando aqua calida calefacit; calor est qui primò & formaliter ac per se calefacit: Aqua verò tantum denominatur calefacere à calore. Ergo si essentia diuina est potentia generandi, essentia diuina primò & per se ac formaliter generat, neque potest verè de illa negari quòd generet.

48.  
Nec essentia  
cum pro-  
prio  
patris

Contra alios verò qui adiungunt essentia proprietatem, vrget argumentum quod antea proposuimus. Nimirum quòd quicquid producit immediatè, debet distinguì realiter à producto. Alioqui si essentia potest producere immediatè, & non distinguì à producto: quidni & alterum quòd essentia adiungitur ad producendum? Sanè nulla necessitas distinctionis reddi potest ex productione. Et tamen in diuinis tota necessitas distinctionis peritur à productione. Item, quicquid producit immediatè, refertur per se ad productum, relatione originis, quæ relatio nihil est aliud, quàm principium & originatio actiua. Ergo si essentia est per se potentia partialiter, & principium generandi filium; opponitur relatiuè filio. Ergo non potest illi communicari & identificari, quod est hæreticum. Tertio, proprietas est efficiens ad productionem. Ergo frustra illi additur essentia, & patris potentia, vel connotatum. Probo antecedens: quia proprietas patris est aequalis perfectionis cum proprietate filij, & aequè identificata essentia diuina: Ergo sufficit ad producendam proprietatem filij, & ad communicandam illi essentiam, propter necessariam identitatem proprietatis cum essentia.

49

Quarto, speciatim contra eos qui dicunt proprietatem adiungi vt minus principale & quasi connotatum, argumentor quia, Vbi distinctio fundatur in productione, ideòque vnum distinguitur ab alio, quia producit ab illo; illud maximè producit, quod maximè distinguit: est enim principium distinctionis, in quantum est principium productionis. Atqui proprietas personæ producens est maximè, imò & sola principium distinctionis. Ergo est maximè, imò & sola, principium formale productionis. Item Lateranense cap. cit. absolute pronunciat essentiam non generare. At secundum istos Doctores essentia verè generat, præsertim verò si magis principaliter generat.

50

Respondent aliqui Concilium ita esse exponendum, *essentia non generat, sola supple.* Sed hæc concilii expositio facit eius defini-

tionem valde alienam à communi vsu loquendi, imò etiam illi contrariam. Hoc enim perinde erit, ac si quis absolute diceret, sol non illuminat, supple solus, quia non sine Deo, concurrente, nec sine propria luce, aliam emittente. Ignis non calefacit, supple solus, quia non sine calore partialiter saltem concurrente. Angelus & anima beata non vident Deum, soli supple, quia non sine lumine gloriæ eleuante. Peccator non conteritur de peccatis, quia non sine auxilio gratiæ. Quis autem credat Concilia sic loqui in fidei definitionibus? Sanè contrarium his duobus postremis exemplis Theologicis, definitum est simpliciter à Concilio Vannensi, & à Tridentino sess. 6. can. 3. & sess. 14. cap. 4.

Obiiciunt primò Dionysium cap. 2. de diu. nom. prope finem, vbi IESVM & Spiritum sanctum vocat *secundam diuinitatis, si ita fas est loqui, gemmas seu gemina.* Et Athanasius, lib. 2. contra Anomæos: *Pater, inquit, quoniam Deus est ipsaque maiestas, splendor non habet, cum videlicet quem genuit cum in se subsistentem.* Quæ etiam de causa dicit vocari *splendorem gloriæ patris* Hebr. 1. vers. 3. Splendor autem est à luce, vt sic: & Pater ipsamet diuinitate est maximè lux. Ergo & illa filium, seu gloriæ splendorem, emittit. Et Cyrillus, Alexandr. lib. 1. Thesauri cap. 7. prope finem, vocat *generatiuam virtutem, & generatiuam essentiam Dei.* Et Damascen. 1. de fide cap. 3. *Generatio, inquit, ignara principii sempiterna est, vt que natura opus sit, atque ex ipsius essentia producat.* Et Hilar. lib. 5. de Trinit. prope finem, *Non per defectiorem, inquit, aut protensionem, aut per deriuationem ex Deo Deus est: sed ex virtute naturæ in naturam eandem diuinitate subsistit.* Et denique dimissis aliis multis quæ congerit Ruis disput. 100. sect. 2. Anselm. lib. de processione Spiritus sancti capite 10. contrariam sententiam irrationabilem & fatuam vocat his verbis, *Nisi aliquis dicat Spiritum sanctum non procedere de Deitate patris, sed de paternitate: nec per deitatem filij, sed per filiationem. Quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat.*

51.  
Argumenta  
contraria  
sententiæ

Respondeo ad primum locum Dionysij filium & Spiritum sanctum esse gemmas seu gemina diuinitatis secundæ non per se formaliter, sed radicaliter, quatenus est radix fecunditatis generandi & spirandi, quæ intelligens & volens essentialiter.

52.  
Explicit  
testimonia  
SS. Patrum

Ad secundum Athanasij, Respondeo primò eius verba non fideliter referri: & patere ex dictis numero 37. ipsum alibi affirmare hypostasim esse virtutem generandi. Secundò dico filium qui est splendor gloriæ patris, produci ab ipsius luce, id est, à diuinitate quæ genus intelligens est, non proximè, propter realem indistinctionem: sed radicaliter. Sicut autem pater

St 2

est maxime lux ipsa diuinitate: ita filius est maxime splendor gloriae patris ipsa diuinitate. Et tamen non generatur secundum diuinitatem, quia essentia non generat, neque generatur, ut definit Lateran. capite cit. Ego neque pater generat per diuinitatem.

Ad tertium Cyrilli, Respondeo vocare essentiam Dei generatiuam, radicaliter & remote modo supra explicato. Alioqui enim de fide est essentiam non generare, neque generari: atque ita non esse formaliter generatiuam, neque generabilem.

Ad quartum Hilarij, Respondeo fecunditatem intelligentiae & voluntatis esse virtutem naturae, quae intelligens est & volens essentialiter: quatenus scilicet virtualiter & metaphysice in illa fundatur: ab eaque promanar. Sicut calor est virtus ignis à quo procedit. Eodemque sensu Damascenus ait generationem aeternam esse opus naturae.

Ad quartum Anselmi, Respondeo nimis probare & aduersarios ipsos suffocare. Nam Anselmus ibidem paulo ante affirmat Spiritum sanctum non procedere de patre, nisi de Deitate: ita ut, iuxta illum, sola Deitas sit principium formale à quo procedit. Quod tamen negant Aduersarii, & ferè omnes alij Theologi. Nam testatur Ruis disput. 100, sect. 3, num. 1. solus Occam distinct. 7, qu. 2, & Gabriel ibidem quest. 1. in fine, contrarium tenent. Speciatim verò id negat Ruis ipse, qui huc locum Anselmi nobis obicit. Vult enim proprietatem personae producentis adiungi essentiae ad complendam potentiam generandi & spirandi. Verum essentiam Spiritum sanctum non procedere de paternitate & filiatione, ut principio formali: sed de virtute spiratiua, quae pater & filius constituntur vnus spirator. Sed non est verum quòd procedat de sola Deitate patris & filij. Nam essentia diuina non spirat neque spiratur: sed non generat neque generatur, neque procedit, ut ait Concilium Lateranense cap. cit. Absit autem ut quis existimet Concilij illius definitionem sua se patienti fatuitate suffocare.

Obiiciunt secundo, Patres & Concilia dicere, filium procedere ex substantia Patris, & de substantia patris, iuxta illud Psalm. 109. *ex utero eius Luciferum genuit* id est, ut exponit Hieronym. *ex medullis meae diuinitatis*. Et quod magis est: in Concilio Florentino sess. 18. §. *Dixi equidem*, sic habetur: *Patris generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat. Diuina verò substantia non quidem generat, sed est principium quo generatio fit. Et sess. 19. §. Ut exemplum*, sic ait: *patris substantia principium est, per quod generat pater. Et §. In genere*, sic habet: *Hae substantia (ut ita dixerim) absolute simplicitateque considerata, quae generandi potestis est, principium est quo vel per quod. Quod quidem à patre, filio communicatur.*

Respondeo quando Patres & Concilia di-

cunt filium procedere de substantia patris, intelligere tanquam de totali forma, seu de forma totius, ut loquuntur Philosophi, determinabili per proprietatem personalem & hypostaticam personae productae, ut supra diximus cum Suarez lib. 6, cap. 6, num. 6. Caetera quae obiiciuntur, sumpta ex Didaco Ruis supra, non sunt Concilij definitiones, sed verba Ioannis Theologi disputantis cum Marco, & ex propria opinione sic loquentis. Qui quamuis magna fuerit eruditio: errauit tamen in quibusdam dictis eadem disputatione. Ut cum dixit sess. 18. processionem in Deo esse *non ab vno in aliu*. Nam in Trinitate non est vnus & aliud, sed tantum alius & alius, ut definit Lateranense capite Damascenus, circa medium. Et videtur implicare in terminis id quod ait ille Theologus, essentiam diuinam quidem non generare, sed esse principium quo generatio fit. Perinde ac si quis diceret calorem non calefacere, sed esse principium quo calefactio fit. Quasi verò esse principium calorem calefactionis, non sit idem re & conceptu, atque calefacere. Et quasi non id proprie & formaliter calefaciat, quod per se proprie ac formaliter est principium calefactionis, & producit immediatè calorem. Adde quòd male idem Theologus asserit, *generationem diuinam fieri*. Si enim loquitur de actiua: illa non fit, sed est ipsum principium generans actus. Sed de passiua, quae est ipse filius genitus de fide est ipsius, non fieri, sed gigni. *Genitum non factum*, inquit symbolum Concilij Niceni. Et, *Non factus, nec creatus, sed genitus*, ut habetur in symbolo Athanasij. Adde praeterea Concilium Lateranense capite Damascenus, affirmare essentiam diuinam non generare: eodem sensu scilicet, quo ibidem immediatè ante affirmat essentiam diuinam esse principium vniuersorum. At essentia diuina est principium vniuersorum ut quo, Deus autem trinus in personis, ut quod: ergo affirmat essentiam diuinam non generare ut quo.

Obiiciunt tertio aliqui Recentiores, proprietatem Patris concipiendam esse ut modum, cuius officium penè adaequatum sit terminare naturam & reddere substantiam. Si autem esset principalis virtus generatiua, nulla esset ratio eam non computandi in substantia & natura patris proprie dicta, saltem aequè ac potentiam creandi. Consequens autem est absurdum. Nam Lateranense in capite Damascenus, definit non solum totam essentiam diuinam communicari filio, sed etiam totam essentiam & substantiam patris. At proprietates non communicantur. Confirmatur, inquit, quia si potentia principalis generandi non concipitur, ut substantia, saltem deberet concipi ut qualitas. Sed sacri Doctores, ut Athanasius in symbolo, dicunt, quod qualis est pater, talis est filius, talis Spiritus sanctus: hac solum distinctio

ne relicta, ut qui est pater, ille non sit filius: & qui est filius, non sit Spiritus sanctus. Et apponunt in patre & filio nullam esse distinctionem potentiae: alioqui non qualis est pater, talis esset filius, esse enim potentem pertinet ad esse talem.

38. Respondeo proprietatem patris non tantum terminare naturam & reddere subsistentem quocunque modo: sed reddere subsistentem speciali modo, essentiae inadaquato, relinquendo locum alteri subsistentiae realiter distinctae per oppositionem originis actiuae: atque ita reddere simul seu constituere patrem & generantem. Id autem quo formaliter constituitur pater, & generans est vis generandi & actualis ipsa generatio. Ratio vero quare non computetur in essentia patris est, tum quia non est perfectio simplex, cum repugnet oppositae aequae bonae: tum etiam quia est modus & ultimus terminus naturae diuinae, complens tantum illam in esse hypostatico, & relatiuo ad aliam personam, & explicabilis sicut. 26. Concilium autem Lateranense cap. cit. non distinguit essentiam a substantia diuina sed pro eodem sumit aperte, cum sic ait: *Quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina, quae sola est vniuersarum principium.* Eodemque sensu illam sumit, dum ait paulo post, *patrem totam suam substantiam communicasse filio*, id est, totam essentiam siue naturam diuinam.

39. Ad confirmationem Respondeo Doctores illos sacros id intelligere excepta proprietate cuiuslibet personae, per quam differt ab aliis. Et Athanasius seipsum explicat, cum post verba relata, immediate addit, *Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus. Aeternus pater, aeternus filius aeternus spiritus sanctus. Imensus pater, imensus filius, &c.* Adde totum hoc argumentum retorqueri posse in eos a quibus obicitur. Quia putant essentiam solam non esse potentiam generandi & spirandi, sed compleri per proprietatem, ut per partem potentiae minus principalem. Nam si ita est: non terminat tantum & reddit subsistentem naturam. Et quare ab illis potest, cur haec potentia, licet minus principalis, non computetur in natura & substantia patris proprie dicta, aequae virtus creandi quae longe nobilior est. Item illa potentia minus principalis, si non concipitur ut substantia, erit saltem concipiendae ut qualitas: quia esse potentem, quamuis minus principaliter, est esse qualem.

60. Obijciunt quarto ex D. Thoma quaest. 41. art. 5. in corp. potentiam generandi dicere principaliter & in recto essentiam diuinam: & id quo generans generat quae si forma, esse naturam ipsam. Ibidemque ad 1. & 3. affirmat S. Thomas essentiam esse potentiam & esse principium, non ut id quod

agit, sed ut id quo agit. Quare quod supra ex eodem retulimus num. 39. intelligi debet de principio quo, non autem de principio quo, cum dicit principium importare distinctionem &c. Accedit denique ratio D. Thomae: nam illud est principium formale, in quo generans assimilatur sibi genitum, Atque pater filium sibi assimilatur in natura, non in proprietate: ergo &c.

Respondeo potentiam generandi radicalem & remotam dicere, ut primum & principale, essentiam diuinam sub ratione actualis intelligentiae: & id quo generans generat, quasi forma principali quidem sed remota, esse naturam ipsam sub eadem ratione. Est quidem essentia diuina sub ratione intelligentiae principium remotum productionis filij, quatenus fecunditas generandi ex ea sequitur, & virtualiter emanat. At eadem non potest esse principium formale proximum, & realiter influens per se: cum ut sic non distinguatur a persona producta. Distinctio vero quod & quo, est ita potius applicanda, ut suppositum quidem, quod totum denominatur agere, dicatur principium quod: forma vero, seu proxima seu remota, qua agit, dicatur principium quo. Ratio denique D. Thomae est similiter intelligenda de principio formali remoto. Itaque id quo generans assimilatur sibi primo & perfecte genitum, sit principium formale remotum, non autem proximum. Dixi, primo: quia cum generans diuinum assimilatur sibi genitum in tota essentia, id est in intelligentia, voluntate, omnipotentia, & aliis attributis: sequeretur quod tota essentia, adeoque & voluntas, & omnipotentia, essent principium formale generationis, si illud omne esset principium formale, in quo genitum assimilatur generanti. Vnde praeterea formale principium generationis non distingueretur a principio formali spirationis. Dixi etiam, perfecte: propterea quod si sermo sit de similitudine imperfecta inter principium proximum, & terminum generationis: multiplex est convenientia inter illa in ratione entis, substantiae spiritualis, diuinae, relatiuae ad intra, hypostasis, & modi terminantis naturam diuinam.

61. Opponit quinto Suarez lib. 6. cap. 5. numero 4. & sequentibus, personam increatis, non agere per suam personalitatem, sed per naturam. Et relationem non esse actiuam. Paternitas autem est relatio. Item in omni productione illud esse principium, quo producendi, in quo productum producenti assimilatur. Hoc autem est natura in personis diuinis: ergo &c. Confirmatur quia alioqui productio verbi esset aequiuoca: & ita non esset perfecta generatio. Et enim filius non est similis patri in principio producendi. Talis quoque productio non esset formaliter perfectum intelligendi, si principium formale eius est relatio: quia



relatio, ut sic, non est intellectio. Confirmatur denique, quia pater per id formaliter est potens ad generandum, per quod est fecundus. Habet autem fecunditatem, non à relatione, quæ incommunicabilis est: sed ab essentia, quæ propter suam infinitatem est communis. Ergo essentia est formale principium.

63. Ad primum Respondeo personam diuinam agere proximè per suam personalitatem, aut proprietatem ut fecundam: remotè verò per naturam sub ratione intelligentiæ, aut voluntatis. Ad secundum Respondeo relationes purè categoricas, si quæ sunt in diuinis aut in creatis, non esse actiuas: quippe quæ ponuntur ad purè respiciendum terminum: secus autem transcendentales, quales sunt fecunditates diuinæ, & omnipotentia ad extra, & virtutes creaturarum ad agendum. Ad tertium Respondeo distinguendo maiorem propositionem: Illud est principium quo, in quo productum assimilatur producenti, proximum, semper & vniuersaliter: nego: remotum saltem, esto. Tamen si ne id quidem vniuersaliter verum est. Nam in creatis substantia non est principium agendi, neque in his: licet substantiæ & accidentia in eo sibi assimilent substantiæ & accidentia à se producta.

64. Ad confirmationem Respondeo satis esse ut generatio sit vniuersa, quòd principium rectorum, & terminus, sint eiusdem naturæ; aut quòd terminus totalis, & principium totale, sint eiusdem naturæ, ut sunt pater & filius in diuinis. Quòd ipsum D. Thomæ illi quæ omnibus fatendum est, qui cum illo dicunt substantias non producere per se immediatè, sed per accidentia. Si istas essentiam rei esse radicem & principium omnium operationum ei conuenientium. Respondeo esse radicem proximam vel remotam: & vel secundum se totam, aut secundum vnam aliquam sui rationem. Quo pacto essentia diuina sub ratione intelligentiæ est radix fecunditatis generatiuæ proximè: & ipsius generatiuæ actualis, remotè.

65. Ad quartum Respondeo talem productionem esse formaliter per actum intelligendi: sed remotè proximè verò, per fecunditatem intelligentiæ, seu per intelligere ut fecundum. Ad vltimam confirmationem dico Patrem esse formaliter, & proximè potentem ad generandum, per id, per quod formaliter proximè ac per se fecundus est. Hoc autem est fecunditas ipsa & proprietates patris, non essentia à qua tantum radicaliter fecundus est. Licet autem essentia sit incommunicabilis, non tamen est productiua per se formaliter, & proximè, nec communicatiua. Proprietates verò generatiuæ ex opposito non est quidem incommunicabilis: est tamen productiua, & consequenter communicatiua. Communicatio enim sequitur quodammodo rationis ordine productio-

nem, & vi illius est, propter necessariam identitatem, & veluti adiunctionem inseparabilem proprietatis productæ in natura, ratione distincta à proprietate.

Idem Suarez lib. 1. cap. 6. num. 15. ait Verbum procedere per actum intelligendi ut talis est. Capite autem septimo num. 11. affirmat patrem producere Verbum per intelligere commune, quatenus illud à se habet. Quod primò mutat priorem assertionem. Nam intelligere ut tale, non est; intelligere prout illud à se habet pater. Deinde intelligere prout illud à se habet pater, non distinguitur realiter à filio: alioquin distingueretur etiam essentia prout illam à se habet pater. Ergo ut sic non est principium formale proximum. Tertio, vel per illud, à se, intelligit Suarez relationem & proprietatem patris: vel tantum negationem existendi ab alio. Sed primum: nobiscum sentit, sed minus clarè & minus propriè loquitur. Si secundum: negatio non potest esse vis & principium generandi, sed ad summum requiratur ut conditio sine qua non. Ergo iam sola essentia generaret, contra Concilium Lateranense, definiens essentiam non generare: quia hoc posito sola essentia est principium, & sola generat ut quo. Illud autem quod producit ut quo, est propriè principium. Sicut quando album disgregat vitrum, aut calidum, calefacit: albedo maximè propriè disgregat, & calor maximè propriè calefacit, & albedo & calor dicuntur esse principium quo, respectu albi & calidi. Denique hæc doctrina Suarez tollit modum probandi distinctionem filij à patre propter oppositionem originis. Si enim essentia non distinguitur realiter ab illo, quamuis illum producat per se immediatè, multò minus pater, qui non nisi per illam producit.

66. Sexto denique, contra id quod diximus in secunda conclusione sectionis præcedentis, proprietatem personæ productæ esse terminum formalem, opponit Vasq. disp. 162. cap. 3. num. 10. In productione personæ creatæ terminum formalem esse naturam non personalitatem. Addunt alij terminum formalem actionis principij cuiuslibet, esse id in quo procedens assimilatur principio producenti. Personæ autem procedentes assimilantur in natura, non in proprietate.

67. Ad primum Respondeo in productione vel constitutione personæ, ut personæ, terminum formalem non esse naturam sed potius modificationem naturæ, & quasi adiunctionem personalitatis ad naturam quam terminat: siue, ut magis propriè loquamur, proprietatem productam ut identificatam naturæ.

68. Ad secundum Respondeo non id omne in quo procedens producenti assimilatur, esse formalem terminum productionis. Nam v. g. in generatione viuientium creatorum, generans confert materiam genito, & in ea

assimilatur, sicut & in subsistentia: quæ tamen non sunt formalis terminus generationis ut sic, sed potius unio materiæ cum forma, quæ unio per generationem proximè fit, & per ipsam immediatè existit, genitum seu compositum substantiale. Et quamvis semper aliqua sit similitudo inter principium & terminum, saltem in ratione entis individui, cum proportionem productivi & producibilis: non tamen semper est perfecta vel uniuoca: alioqui nullæ essent causæ acquiuocæ. Quare non ex similitudine, sed ex ratione tendendi productionis, ratio formalis termini spectari debet.

SECTIO VI.

Ex quonam actu intelligendi, & volendi, procedam Filius, & Spiritus sanctus?

69. **R**atio dubitandi est, quia licet actus intelligendi & volendi ut in Deo realiter vnicus, tamen ratione multi sunt: alij essentialis, alij extra essentialiam quidam necessarii, alij contingentes. Difficultas ergo est an filius & Spiritus sanctus procedant per omnem actum diuinum intelligendi & volendi? an per aliquem tantum, & per quem?

Filius & Spiritus sanctus non procedunt ex cognitione vel amore contingenti.  
70. Respondet & dico primò filium & Spiritum sanctum non procedere ex scientia vel amore contingenti & libero: cuiusmodi est scientia media contingentium futurorum conditionatè, & scientia absoluta futurorū absolutè: item quæ scientia & voluntas liberè non futurorū, ut scilicet: æquè enim contingens est quod liberè non sint futura, quam quod liberè sint futura: item etiam cognitio & voluntas creaturarum existentium, ut talium.

70. Probatur, quia id quod præsupponit ratione prius constitutionem personarum in esse personali, nequit fundare processionem illarum. Atqui tales sunt actus contingentes & liberi. Quæcunque enim pertinent ad personarum diuinarum constitutionem, sunt absolutè necessaria, & consequenter sunt priora contingentibus & liberis. Priora, inquam, saltem ex parte subiecti, per maiorem necessitatem vel præsuppositionem secundum subsistentiam consequentiam. Nam omnia personalia necessariò essent, & Deus esset trinus & vnus, quamvis non essent huiusmodi actus contingentes, sicut absolutè potuerunt non esse. Item quamvis non fuissent huiusmodi cognitiones & volitiones diuinæ: tamen fuisset processio personarum tota quanta est, quippe quæ tota est absolutè necessaria, æquè ac substantia tota personarum productarum. Ergo non pendet neque oritur ab huiusmodi cognitionibus & volitionibus liberis, neque ab vno contingenti, nequidem ut à principio partiali. Totum enim principium debet esse

proportionatum principiatio, ita ut non minus necessarium, quam principiatum; quia principiatum non potest esse magis necessarium, quam principium, cuius est, & sine quo non esset.

71. Respondet Cungi, qui contrarium sentit disp. 9. de Trinitate dub. 7. membrum 4. num. 1. licet personæ procedentes nequeant esse magis necessaria, quam sua principia: tamen Deum non potuisse carere omni scientia & voluntate libera. Quia Deus v. g. non potuit carere scientia & volitione libera mundi futuri vel non futuri: sed necessariò habet alterutram. Ac proinde personæ non potuerunt non procedere ab alterutra. Et sic procedunt non minus necessariò ab illis, quam à scientia & à voluntate necessaria.

Sed contra: quia si personæ diuinæ procedunt à scientia & à volitione libera: non procedunt ab alterutra indeterminatè: sed determinatè ab illa quæ fuit ab æterno (altera enim quæ nunquam fuit, principium non fuit) At illa determinatè non est necessaria: ergo non est tam necessaria, quam processio & personæ procedens.

72. Respondet secundò, Verbum, & Spiritum sanctum, licet nequeant esse magis necessarij, quam aliqua eorum principia: sed tamen quàm alia libera à quibus procedunt, & à quibus potuerunt non procedere.

Sed contra: quia vel potuerunt Verbum & Spiritus sanctus procedere sine illis principijs liberis & contingentibus: vel non potuerunt. Si secundum: ergo sunt æquè necessaria. Si primum, hoc est, si sine illis principijs contingentibus potuit esse processio filij & Spiritus sancti: fuit de facto. Quia in essentia, & in personis diuinis quoad substantialem constitutionem consideratis, idem est esse, & posse esse. Item si absque illis principijs contingentibus potuerunt esse processionis diuinæ, ergo illa fuerunt superflua. Sed in diuinis processionibus nihil superfluum admitti debet: ergo &c.

73. Respondet tertio Verbum & amor productum, id est, Filium & Spiritum sanctum, non esse necessariò, prout sunt Verbum & amor creaturarum ut existentium determinatè, vel exituram: id est, quæ liberos & contingentes secundum quædam, seu aliquo modo: secundum quem modum procedunt à cognitione & à volitione libera creaturarum. Sicut enim si cognitio & amor formæ produceretur à Deo: produceretur necessariò, quæ necessarius circa se & circa possibile: liberè verò, quæ liber est circa futura vel existentia liberè: sic verbum & amor notionalis producit necessariò, quæ necessarius: & liberè, quæ liber.

Sed contra: primò, à Sanctis Patribus datur in Euzoianis hæc propositio: Pater voluntate accidenti, id est, contingenti & libera filium generat: ut videre est apud Augusti, lib. 15. de Trinit. cap. 20. damnatur.

Prima contra sententia refutatur.

72.

Responsum secundum.

73. Tertia responsio imputatur.

Inquam, hæc propositio simpliciter, & in nullo sensu permittitur. Eundemque loquendi modum velut ab Arianis profectum impugnat S. Thom. quæst. 41. art. 2. c. affirmatque fuisse damnatum & anathematizatum in Concilio Sirmienfi, vt videre est apud S. Hilariam in lib. de Synodis, quem librum citat idem D. Thomas, tacito nomine Concilij Sirmienfis. Secundò productiones diuinæ filij, & Spiritus sancti, sunt productiones substantiales, quæ pro termino suo adæquato habent personam in suo esse substantiali & hypostatico constitutam: non autem liberam tendentiam ad obiecta contingentia, per volitionem aut scientiam contingentem de iisdem obiectis. Sicut generatio hominis, & aliarum substantiarum creaturarum productio, est actio substantialis, habens pro termino adæquato substantiam in suo esse essentiali, & hypostatico, seu completè, constitutam: non autem actus accidentales, vitales aut non vitales. Atqui persona diuina, vt in esse suo substantiali completè constituta, est vndequaque & omnino necessaria absolute, tam ex parte hypostasis & proprietatis, quam ex parte essentia. Ergo etiam productio & processio illius est vndequaque necessaria. Propter quod sancti Patres dicunt filium procedere à patre natura, non voluntate: id est, non liberè, sed naturaliter & necessariò. Quod etiam specialiter affirmat S. Thomas loco supra citato.

74.  
Alterum argumentum ad idem concludendum.

Denique si cognitio absoluta futurorum, & eorum volitio libera, essent principium, vel potius radix fecunditatis generatiuæ & spiratiuæ, sequeretur radicem fecunditatis generatiuæ non esse virtualiter & ratione priorem radice fecunditatis spiratiuæ. Consequens est falsum. Ergo & antecedens. Maior probatur, quia cognitio absoluta futurorum non est prior libera eorum volitione & decreto efficaci ea faciendi, aut permittendi vt vult. Deus enim non decreuit hoc aut illud facere, quia sciuit absolute se illud facturum: sed potius præsciuit ab æterno se facturum, quia decreuit facere. Minor autem probatur, quia sicut generatio filij est prior productione Spiritus sancti: ita fecunditas generatiua, & consequenter radix illius fecunditatis, debet esse prior fecunditate spiratiua, quæque radice: id est, fundari debet in aliquo, quod sit ratione prius. Ita vt principium generandi sit ratione prius completè potens ad generandum: quam principium spirandi, ad spirandum.

Scot.  
Caiet.  
Cunel.  
Molin.  
Suar.  
Vasq.

Consentiunt in hac conclusione Scotus in 1. dist. 32. in fine. Et in 2. dist. 1. q. 1. art. 2. Caietan. q. 34. art. 3. circa medium. Cunel. & Molina ad 2. sem articulum, Suar. lib. 9. cap. 7. & lib. 11. cap. 2. & Vasq. disp. 143. in initio.

75.

Dico secundò filium procedere ex cognitione creaturarum vt possibile, & ex notitia perfecta & intuitiua essentia diuinæ &

personarum, id est, ex toto actu essentiali intellectus adæquate sumptò: & Spiritum sanctum procedere similiter ex solo actu essentiali diuinæ voluntatis, tam circa Deum, quam circa alia obiecta. Ita D. Thom. q. 34. art. 1. ad 3. Caietan. & plures alij interpretes ibidem, vel ad art. 3. Torres q. 27. art. 5. in fine disput. Ferrariens. 4. contra Gentes cap. 13. Suar. lib. 9. cap. 4. num. 4. & cap. 6. num. 4.

Probatur primò de possibili: quia nemo negat Verbum procedere ex notitia perfecta & adæquata essentia diuinæ. Et cesset si fecunditas vlli Dei notitia conuenit, debet maximè illi, versanti circa obiectum notitia perfecta. Atqui notitia perfecta & adæquata essentia diuinæ, est etiam notitia possibilem indiuisibiliter. Est enim impossibile cognosci perfectè & adæquate essentiam diuinam, absque eo quod cognoscat esse radix omnium possibilem. Et specialim est impossibile cognoscere adæquate omnipotentiam diuinam Deo essentialem, nisi eodem actu indiuisibiliter cognoscat omnia possible. Correlatiua enim, quæ talia, sunt simul cognitione. Confirmatur ex D. Thom. q. 34. art. 1. ad 3. quæ vt minimum id docet verbis inferius referendis num. 78.

Secundò, de notitia perfecta & intuitiua personarum diuinarum probatur simili argumento. Quia scilicet notitia perfecta & adæquata essentia diuinæ, est etiam necessaria notitia personarum diuinarum. Nam communicabilitas ad intra, & radix logica personalitatum, ac proprietatum, est essentialis: & nequit cognosci vt talis, absque eo quod eodem actu indiuisibiliter attingantur personalitates & proprietates, adeoque personæ ipsæ. Attinguntur autem perfectè sicuti sunt à parte rei, ac pròinde notitià intuitiua, & non tantum abstractiua: tum quia existunt actu, & attinguntur secundum suam actualem existentiam: tum etiam quia notitià abstractiua dicit imperfectionem, vel ex parte obiecti, si obiectum abstrahit ab existentia, & potest esse purè possibile: vel ex parte cognoscentis, si non cognoscit vt existens, id quod actu existit. Tertium repugnat personis diuinis, quæ sunt eas absolute necessarium. Secundum autem repugnat perfectioni diuinæ intelligentiæ, quæ attingit vnumquodque sicuti est.

Tertio denique, filium procedere per cognitionem essentialem adæquate sumptam, & Spiritum sanctum per actum volendi essentialem adæquate sumptum, probatur, quia si cui actui intelligendi, & volendi, fecunditas tribui debet: perspicuum est quod maxime essentiali: qui & primus & nobilissimus est, & prior personalitatis diuinis. Essentia enim & essentialia omnia sunt priora personalibus, tum subsistendi consequentia, quia in quocunque est proprietas quæuis, est essentia, non vice versa: tum quia sunt fundamentum personalium: & genera

Filius procedit ex cognitione essentia diuinæ vt possibilem.

76.  
Ex ex notitia diuinæ personarum diuinarum.

77.  
Filius & Spiritus sanctus procedunt ex cognitione essentia diuinæ vt possibilem.

ita essentia cuiusque rei est primum ac vultur radix & fundamentum proprietatum, & aliorum omnium ipsi convenientium. Atqui actus, quo Deus perfecte & intuitiue cognoscit suam essentiam, & personas, quone perfecte & quidditatiue intelligit possibile, est Deo essentialis: quia est perfectio simplex, nulli alteri aequè bonè aut meliori repugnans, idemque dico de actu voluntatis circa essentiam, personas, & possibilia, quæ talia. Ergo fecunditas generalis, & spirandi, illis actibus totis & adæquate sumptis tribuenda est. Nulla enim est ratio, cur aliqua pars actus essentialis excludatur à ratione fundandi processiones prædictas: & aliud de convenientius est dicere actum essentialem, totaliter & adæquate sumptum, esse rationem fundandi, & quasi radicem fecunditatum. Nec debet vlla cognitio diuina excludi, nisi repugnè specialiter fecunditatem in ea fundari. Id enim perfectius est. Et sic melius redditur ratio cur processio filij vnica sit, & Spiritus sancti vnica. Nempe quia qualibet exharit adæquate totum actum essentialem intelligendi, & volendi. Sicut etiam sunt tantum duæ processiones, idèd quia Deus ad intra fecundus est, non per potentiam executiuam, quæ ad extra operatur: sed per potentias vitales immutabiliter solum operantes, quæ in viuentibus spiritalibus duæ tantum sunt, intellectus nimirum & voluntas. Denique processiones perfectius concipiuntur, si per eas intelligamus communicari formaliter, ad intra omnem rationem vitæ essentialis, secundum eam rationem quæ procedunt. Quod si Auctores loquentes de Spiritu sancto, tantum meminerunt amoris: ratio est quoniam actus voluntatis à potissimè & communiore, qui est amor, denominari solent. Item quia ipsummet odium aliquatenus, & virtualiter saltem, est amor contrarij eius quod odium habetur. Vnde facillè intelligitur nomine amoris, amplissimè sumpti pro formali & virtuali. Confirmabitur ampliùs hæc conclusio respondendo argumentis contrariæ sententiæ, quæ proponemus sect. 8.

SECTIO VII.

Refutatur prima opinio contraria.

78. **C**ontra primam assertionem, qua diximus filium non procedere ex cognitione contingenti, neque Spiritum sanctum ex actu libero voluntatis sentiunt Valentia q. 8. de Trinit. p. 2. Cuniga disp. 9. dub. 7. & Ruis disp. 63. sect. 4. affirmantes Patrem producere Verbum secundum intelligentiam omnium contingentium. Similique modo philosophantur de processione Spiritus sancti. Probant primò auctoritate S. Augusti. lib. 15. de Trinit. cap. 13. & 14. vbi ait; Verbum diuinum esse de omnibus que

sunt in scientia Dei. Creatura autem contingentes, vt tales, sine dubio sunt in scientia Dei. Et, Quicquid est, inquit, in scientia de qua natum est Verbum, in ipso est. Quod autem in ea non est: neque in ipso est. Atqui scientia contingentium est in Verbo. Ergo Verbum natum est de scientia contingentium. Probant secundò auctoritate Sancti Anselmi in Monologio, vbi à capite 28. v. quæ ad 35. ostendit Deum vnico suo verbo omnia dicere, quod verbum ait esse perfectissimum & verissimum respectu omnium creaturarum. Et D. Thom. q. 34. art. 1. ad 3. Pater, inquit, intelligendo se & filium & Spiritum sanctum, & omnia alia que eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & eam omnis creatura. Vbi notant Aduersarij primò, particulam, intelligendi, non solum concomitantè, sed causaliter: id est, in intellectu vt principio gignendi, concipit & generat Verbum. Alioquin non magis conciperet intelligendo, quàm amando se & alia omnia: quoniam amor non minùs comitatur generationem, quàm intellectio. Notant secundò, particulas illas, omnia alia & omnis creatura, complecti non modò creaturas possibles, sed etiam existentes. Quod confirmant ex eodem D. Thoma q. 37. art. 2. ad 3. vbi sic habet: si ut pater si ut se omnem creaturam verbo: ita diligit se & omnem creaturam spiritu sancto. Itaque essentia sanctorum Augustini, Anselmi, & Thomæ, Verbum exprimit contingentiæ. Atque non exprimit nisi ea quæ sunt in scientia ex qua procedit: sicut verbum mentale creatum non plus representat in actu secundo, quàm species ex qua procedit in actu primo: nec verbum vocale, plus quàm cognitio ex qua oritur.

79. Soluuntur argumenta eorum qui volunt filium procedere ex notitia contingentium.

Ad primum Respondeo Verbum diuinum esse de omnibus que sunt in scientia Dei, etiam de contingentibus, quàmuis non sit ortum ex illa scientia prout est de contingentibus. Ad secundum dico similiter nihil esse in Verbo, quod non sit in scientia de qua natum est. Nihil enim intelligit filius, quod pater non intelligat. Sed hinc non sequitur Verbum natum esse ex illa scientia, prout est scientia omnium quæ attingit, adeoque etiam contingentium.

Ad tertium Respondeo Deum vnico suo Verbo omnia dicere, etiam contingentiæ, eo sensu (quod attingit ad contingentiæ) quo creat omnia Verbo suo, & amat Spiritum sancto: id est, creat per potentiam Verbo suo communicatam, & amat per amorem communicatum Spiritum sancto: qui amor per liberam Dei, id est, totius Trinitatis, voluntatem extenditur ad contingentiæ: sicut scientia essentialis, communicata filio per generationem, extenditur ad obiecta contingentia, posita eorum veritate & cognoscibilitate.

Ad quartum Respondeo S. Thomam ibi loqui de scientia Dei circa seipsum, perfe-

Valent. Cuniga. Ruis.

Augusti.

nas, & possibilis: simili modo loqui de amore respectu Spiritus sancti. Neque aliud asserere, quam Verbum procedere secundum cognitionem Trinitatis, & creaturarum omnium, quatenus necessaria est, & essentialis, & prior ratione originibus ad intra: sed non prout est libera seu contingens. Neque contrarij us indicatur à D. Thoma verbis relatis ex quaest. 37. art. 2. ad 3. ubi ait Patrem dicere omnia Verbo, sicut diligit omnia Spiritu sancto. Falluntur enim qui putant Deum non diligere creaturas ut possibiles, ideoque D. Thomam eo loco debere necessariò intelligi de creaturis ut existentibus. Quòd verò ibidem scientiam illam vocat factivam: non obest: quia scientia illa creaturum, prout est necessaria & essentialis, est practica & effectiva in actu primo: licet non sit effectiva in actu secundo, id est, non efficiat actu, nisi quando voluntas actu operatur secundum illam scientiam. Imò scientia visionis contingentium non est effectiva ut talis, sed simpliciter speculativa sui obiecti aliunde existentis.

His auctoritatibus addit Gregorius rationes quae sequuntur, dub. cit. membro 2. Prisca est, quia per simplicem creaturarum ut possibilem intelligentiam non est pater sufficienter constitutus in actu primo ad loquendum cum filio de rebus contingentibus, quas non cognoscit simplici intelligentia. Neque enim loqui de incognitis. Ergo per scientiam visionis contingentium constituitur in actu primo ad producendum Verbum. Nam locutio est productio verbi, quod est ipsa locutio.

Respondeo Patrem non aliter loqui cum Filio de rebus contingentibus, quam dando illi formaliter scientiam essentialem & radicaliter contingentem: quatenus scientia essentialis, per simplicem velut modificationem, fit ratione post scientiam contingentium, supposita eorum veritate. Ut patet Pater sit sufficienter constitutus in actu primo ad ita loquendum cum filio de rebus contingentibus sufficit, patrem esse in actu primo constitutum ad dandum filio scientiam essentialem circa Trinitatem & possibilis, qua scientia est necessariò notitia contingentium, supposita eorum veritate.

Secunda ratio est, quia de ratione Verbi procedit ex scientia omnium quae ipso dicuntur, atque ideo quorum est expressivum. Sed filius est Verbum expressivum contingentium: nam Pater Verbo exprimit & declarat contingencia ipsimet filio, tanquam personae cui loquitur.

Respondeo negando. Maiorem, intellectam univ ersaliter de omnibus quae quomodocumque dicuntur & exprimiuntur Verbo. Quaedam enim dicuntur tantum & exprimiuntur Verbo non nisi consequenter, ut contingencia, quatenus scientia essentialis, accepta formaliter per generationem Verbi, ad illam extendit per habitudinem non necessariam absolute, quam filius accepit in radice à patre,

accipiendo scientiam essentialem, quae per se ipsam sufficiens est ad exprimenda omnia contingencia, illaque necessariò exprimit supposita eorum cognoscibilitate.

Tertia ratio est, quia Verbum procedit ex notitia Trinitatis ut perfectissime comprehensiva. Ergo procedit ex illa ut se extendit ad contingencia: quia non est comprehensio, nisi attingat quicquid determinatè est futurum, vel non est futurum determinatè. Quodvis enim illorum est aliquid spectans ad eius voluntatem & liberum Dei decretum. Quod nisi cognoscatur, non comprehenditur Deus: quia non cognoscitur aliquid Dei, atque ita Deus non cognoscitur quantum cognoscibilis est: meliusque ac magis cognoscitur per illam scientiam, quae non solum attingeret essentiam, & necessaria Dei attributa proprietatesque: sed etiam libera eius decreta, & cognitiones contingentes, quae sunt reales & intrinsecae perfectiones Dei.

Respondeo processionem Verbi fundari in scientia comprehensiva, quae essentialis est: non autem adequate sumpta, quatenus etiam se extendit ad contingencia. Quia ut sic non est prior generatione Verbi, sed posteriori ex parte subiecti: neque est illi proportionalis, cum sit contingens & simpliciter non necessaria, processio autem Verbi sit necessaria absolute. Idemque dico de amore proportionaliter, respectu Spiritus sancti. Addo illammet scientiam essentialem, sine vlla reali additione cuiuspiam in re distincti, transire in comprehensionem absolute, & attingere omnia contingencia, sed ratione posteriori quam sint processionem, ordine necessitatis, & subsistendi quantitatis.

Quarta ratio est, quia omnis cognitio quae est in Verbo, & omnis amor qui est in Spiritu sancto, est in illis vi sua processionis. Sed scientia contingentium, & amor liber creaturarum, sunt in Verbo, & in Spiritu sancto: sunt enim attributa communia tribus personis. Ergo sunt in illis vi sua processionis. Ergo procedunt processionem, vi cuius insunt & communicantur personis productis.

Respondeo omnem cognitionem, quae est in filio, & omnem amorem ac volitionem in Spiritu sancto, esse per processionem, vel formaliter, vel consequenter & virtualiter. Formaliter quidem, essentialiter, consequenter autem & virtualiter, contingentem, quatenus scientia essentialis, processionibus praesupposita, transit posteriori ratione in contingentem, supposito obiecto contingentem futuro absolute vel hypotheticè. Quatenus etiam quicquid persona producta scit, scit per virtutem intelligendi communicatam in processione: idque sine nova entitate realiter superveniente, sed per simplicem usum virtutis intellectivae sibi communicatae, de se ad omnia sufficientis. Idemque de amore & volitione respectu Spiritus sancti cum proportione

81.  
Respondetur rationibus contingentiae.

Solutio prima ratio.

82.  
Secunda ratio.

dicendum

85.  
Occurrit  
instantia.

Infrabis, cum Auctore citato, respon-  
sionem illam non esse consonam Florentino  
licenti patrem, genuisse filio omnia quæ ha-  
beret, præter esse patrem. Ergo dedit illi  
actus etiam contingentes & liberos. Debet  
autem intelligi de formali datione, & non  
de radicali solum: alioqui etiam dici posset  
patrem dare filio formaliter Deitatem, &  
radicaliter attributa, nempe in radice Dei-  
tatis, & postea filium habere illa formaliter  
à seipso. Item Ioan. 8. 14. & 5. Filius, &  
Spiritus sanctus dicuntur loqui non à seipsis,  
sed quæ audierunt, filius à patre, & Spiritus  
sanctus ab utroque. Loquebantur autem  
non solum veritates necessarias, sed etiam  
contingentes, ut patet ex verbis sequenti-  
bus Ioannis 16. *Quæ ventura sunt, annun-  
ciabit vobis.* Atqui non à seipso loqui, sed  
ab alio, non est habere notitiam eorum ab  
alio in radice: alioqui quocumque scimus &  
loquimur, diceremur loqui & audire à Deo,  
à quo accepimus radicem sciendi & loquen-  
di de illis, videlicet intellectum. Ergo est  
habere formaliter notitiam illorum ab alio  
communicatam.

86.

Ad primum Respondeo, Florentinum de-  
bere intelligi de datione non formalitè tan-  
tùm, neque radicali tantùm: sed partim  
formali, & partim radicali: modo scilicet  
possibilibus quæ data sunt, & modo perfec-  
tissimo quo dari poterunt. Nam proces-  
siones diuinæ sunt perfectissimæ, & ordi-  
natissimæ. Nulla verò est ratio cur attri-  
buta essentialia non potuerint dari formaliter:  
sicut est ratio de contingentibus, quam  
suprà declarauimus.

Ad secundum Respondeo, Filium & Spi-  
ritum sanctum rectè dici loqui ab alio con-  
tingentia, quia ea sciunt & loquuntur per  
scientiam acceptam in radice, non quomo-  
documque, neque eo modo, quo nos à Deo,  
vel à parentibus accepimus intellectum &  
potentiam loquendi: sed quia acceperunt  
eundem numero intellectum, & eandem  
numero scientiam possibilem, quæ seipsa,  
sine villo reali distincto adueniente, com-  
pletè sufficiens est ad intelligenda perfectis-  
sime omnia contingentia, eaque intelligit  
necessariò, posito quòd sicut vera obiectiue  
& intelligibilia.

SECTIO VIII.

*Resolvuntur alie due sententia contrarie.*

87.  
Sect. &  
Vasq. ne-  
gant Ver-  
bum pro-  
cedere ex  
cognitione  
possibilem.

Contra secundam assertionem, quæ di-  
ximus Verbum procedere ex cognitione  
possibilem, sentiunt Scotus in 1. dist. 1.  
1. art. 2. & Vasq. disp. 143. cap. 3. afir-  
mantes Patrem non producere Verbum per  
fecunditatem intelligentiæ, quatenus in-  
telligentia est rerum possibilem, sed tan-  
tùm quatenus est essentia diuina. Ratio

eorum est, quia prius est Deum producere  
Verbum, quàm cognoscere creaturas. Ete-  
nim cognitio diuina est prius essentia diui-  
næ, quàm rerum possibilem. Et secundum  
illam cognitionem Deus est fecundus ad  
producendum Verbum, cum illa cognitio  
sit perfectissima & infinita.

Responde-  
tur eorum  
argumen-  
tis.

Respondeo primò, intelligentiam diui-  
nam non prius esse essentia adæquatè, quàm  
sit possibilem quibuscumque essentia diuina  
multiplicem habet connexionem, vbi alibi  
ostendimus. Secundò, licet intelligentia  
esset prius circa essentiam, quàm circa pos-  
sibilia, sicut est aliqua ratione, v. g. quate-  
nus Deus mediatè in essentia sua ut est cog-  
nitio, vel causa & radix creaturarum, cog-  
noscit possibilem: nihilominus illam cog-  
nitionem esse vnicam, & indiuisibilem in duas  
rationes, quarum vna sit tantùm circa essentiam  
ut cognitionem, vel causam, & radicem  
possibilem: altera circa ipsa possibilem: &  
illa sit radix adæquata fecunditatis, non ista.  
Et quamuis posset ita ratione distingui, non  
esset dicendum solam priorem rationem esse  
totam radicem processionis generatiuæ:  
sed potius totam intelligentiam essentialiam  
adæquatè sumptam, esse radicem & adæqua-  
tum fundamentum illius.

88.

Obicit etiam Vasques, magis esse neces-  
sariam processionem personarum, quàm  
cognitionem & possibilem creaturarum:  
ideòque quàmuis hæc non essent, tamen  
Verbum procederet. Item etiam magis ne-  
cessariam esse essentiam diuinam, quàm per-  
sonas: in ut licet non essent personæ, non  
sequeretur per locum intrinsecum non fore  
Deum.

Disput. 10.  
sect. 3.

Sed hæc, & alia id genus, suprà soluta sunt  
disputando de scientia Dei, vbi ostendimus  
tam esse necessariam creaturarum possibili-  
tatem aliqua ratione, ac Deum ipsum, prop-  
ter necessariam connexionem quam habent.  
Idemque dico de necessitate singularum per-  
sonarum, quæ sequitur ex essentiali com-  
municabilitate trisubstantiali his tribus  
personis in individuo sumptis. Si autem  
esset impossibile aut creatura vlla, aut vlla  
persona diuina: foret etiam impossibile  
Deus, qualis nunc est, & qualis solum esse  
potest, perfectissimus scilicet, & omni-  
potens ad omnia & angula possibilem, tripli-  
que modo subsistens excellentissime in tri-  
bus personis essentia identitate.

89.

Testimonia verò D. Anselmi, quæ Vas-  
ques addit his rationibus, sunt intelligentia  
de creaturis ut existentibus, vel ut futuris,  
non autem ut possibilem. Imò Anselm.  
ut rectè notat Suar. lib. 9. cap. 6. num. 5.  
nobiscum sentit in Monologio cap. 28. &  
sequentibus vsque ad 44. à Vasque citatum.  
Vt enim Deum vnicò Verbo suo omnia di-  
cere. Quod Verbum tunc est perfectissi-  
mum, & verissimùm respectu omnium crea-  
turarum. Cum autem alicubi negat Ver-  
bum diuinum esse Verbum creaturarum:  
intelligendus est, ut D. Thom. explicat.

Anselm.  
Suarez.

An Filius  
sit Verbum  
& ipse  
creaturam

non quod non sit de creaturis, sed quod non sit de creaturis: id est, quod non sit creaturarum productivus, sed tantum obiectivus, quod verum est. Quamvis enim cognitio essentialis, a qua Verbum procedit, sit etiam creaturarum ut possibilem stamen non est ipsa creaturae possibilis: neque ipsa propterea sit principium Verbi, sed cognitio ipsarum, quae multum differt ab obiecto. Neque enim fecunditas est in Deo secundum actum intelligendi: ratione obiecti, sed ratione ipsius actus, ut diligenter notandum est. Unde licet fecunditas, & persona per illam producta, sit a cognitione, vel ab amore creaturarum: non propterea est ab ipsis creaturis, sed a cognitione & amore, qui est plane divinus & essentialis Deo. Et quamvis necessarium atque essentialiter intelligentia sit alicuius intelligentia: tamen non debet esse id cuius est intelligentia. Hinc etiam fit ut Verbum, seu filius, non sit imago creaturarum: quia non procedit ab illis: est autem de ratione imaginis ut procedat ab eo cuius imago dicitur, & cuius est expressio vel similitudo. Eademque de causa Verbum non est imago sui ipsius, vel Spiritus sancti: sed patris: quia non procedit a seipso, neque a Spiritu sancto, sed a solo patre: licet procedat ex cognitione sui, & Spiritus sancti, aequè ac patris. Dico igitur aliud esse Verbum, aut Spiritum sanctum, a creaturis possibilibus, quae sunt obiectum cognitionis: & aliud, ipsorum cognitionem & amorem. Et illa quidem non esse fundamentum fecunditatis ad intra: quod de creaturis manifestum est, cum non fuerint actu ab aeterno, & tamen fuerit actu fecunditas & productio, ac consequenter illius radix & fundamentum actu esse debuerit. De personis etiam patet: quia visus persona non potest esse principium sui ipsius: nec persona procedens, principium personae producens ipsam. Quare haec obiecta non sunt radix fecunditatis, sed illorum cognitio & amor, ad quae illa se habent tantum, terminativè & obiectivè, sine causalitate.

Secundò, contra id quod diximus in eadem assertione, Verbum procedere ex cognitione intuitiva personarum, sentiunt Molinæ ad q. 34. art. 3. disp. unica in fine, & aliqui Recentiores, quorum confusio meminimus Summ. lib. 9. de Trinit. cap. 5. num. 8. & Vasq. disp. 242. cap. 2. §. secunda sententia: docentes, cognitionem illam, secundum quam Verbum procedit, non esse intuitivam, seu visionem personarum, consideratione illa quae prior est origine logica ipsis personis, tanquam radix fecunditatis generandi, prior ipsa paternitate, & consequenter filiatione, ac spiratione activæ & passivæ. Ad quod cum proportione dicendum est de amore personarum ut existentium, respectu fecunditatis ad spirandum.

Primum eorum argumentum est, quia radix fecunditatis est ratione prior ipsa fecunditate, prioritate vel origine logica.

At visio personarum, & amor earundem ut coexistentium, non est prior fecunditate: ergo &c. Maior clara est. Minor probatur, quia visio personarum, & amor earundem ut coexistentium, non est prior personis ipsis ut actu existentibus, & constitutis in esse actuali per fecunditates, aut per earum terminos seu passivas origines: ergo non est prior fecunditate. Probo antecedens: quia visio personarum non praexistit personis, neque supponitur illis ut existentibus: sed potius contra supponit illas ut existentes, cum omnis notitia intuitiva supponat existentiam obiecti: in eoque differat à notitia abstractiva. Unde sic argumentor: Scientia, ex qua procedit Verbum, praesupponitur ordine rationis, & praexistit Verbo, cum sit illius principium. Sed notitia intuitiva Verbi non praesupponitur ordine rationis neque praexistit Verbo ut existenti, cum potius supponat illud ut sibi praexistens. Ergo scientia ex qua procedit Verbum, non est notitia intuitiva Verbi.

Ad maiorem primi argumenti Respondeo, radicem fecunditatis esse priorem fecunditate ipsa, prioritate tantum rationis à quo: non autem reali prioritate in quo. Minor autem falsa est, quod scilicet visio personarum, & amor earundem ut coexistentium, non habeat talem prioritatem à quo, respectu fecunditatis. Ad probationem Minoris, nego similiter visionem personarum & amorem, non esse priorem ipsis personis ut actu existentibus, prioritate à quo: atque eo sensu illis praexistere, seu potius esse id à quo sunt personae. Quamvis in nullo instanti reali sint visio & amor personarum ut existentium, in quo non sint personae, ideoque non sit prioritas realis in quo: Neque Deus in vilo instanti videat essentiam, in quo non videat personas, ut actu coexistentes. Quod autem additur, visionem seu notitiam intuitivam praesupponere existentiam obiecti: verum est tantum de prioritate à quo, & de ijs tantum obiectis, quae per se, vel per speciem sui impressam, concurrunt ad sui cognitionem: ut sit in omni intuitione creatas, de qua intelligendum est illud D. Augusti, Augusti lib. 9. de Trinit. cap. 12. Ex obiecto & potentia datur notitia. Secus autem de intuitionem divina, quae non pendet à concursu obiecti, ac ne quidem postulat eius coexistentiam. Deus enim habuit ab aeterno notitiam intuitivam perfectissimam eorum omnium quae in tempore futura erant. Neg; melius enovit quado actu sunt, quam cum erant futura.

Secundum illorum argumentum est, quia Verbum non coexistit in illo priori, quo pater generat: alioqui pater non cognosceret, prius quam generaret. Ergo Verbum non cognoscitur ut praesens in illo priori, sed ut futurum in posteriori rationis.

Respondeo, hoc argumentum laborare communi vitio, quo à prioritate à quo, transferri solet ad prioritatem in quo. Quasi vero,

Aliqui sententiam filium non procedere ex visione personarum, dixerunt.

verò, licet vnum ab alio sit, ac proinde sit posterius *in quo*; non possit illi coexistere, & in nullo instanti esse vnum quin sit aliud, adeoque non esse posterius *in quo*. Cum ergo dicitur in antecedente obiectionis, Verbum non coexistere in illo priori quo Pater generat: si sermo sit de prioritate *in quo*, & de coexistentia illi opposita; negandum est esse vllum prius, in quo Pater generet, & Verbum illi non coexistat. Neque enim ibi est vllum prius, aut vllum instans, in quo Pater generet, & Filius non sit. Estque euidenter impossibile Patrem generare in aliquo instanti, in quo Filius non generetur. Si autem generatur, est. Si verò sensus sit, Verbum non habere eandem prioritatem *à quo*, quam habet Pater: verum est. Quia Verbum non habet prioritatem originis respectu sui, sicut habet Pater: id est, Verbum non procedit à seipso, sicut procedit à Patre. Sed ille sensus male exprimitur per verba proposita in antecedente obiectionis.

64. Dupl. est prioritas realis: in quo, & à quo.

Prioritas rationis seu virtualis est duplex: in quo, & à quo.

Ad maiorem huius obiectionis, & similia sæpe in variis materiis occurrentium, declarationem. Nota cum Cunica disput. 2. de Trin. dub. 10. duplicem esse prioritatem: realem scilicet, & virtualem, seu rationis cum fundamento in re. Et rursum utramque duplicem esse: *in quo*, & *à quo*. Prioritas realis *in quo*, est, quæ vnum est prius tempore quam aliud: vt Pater, & Filius, in humanis. Prioritas realis *à quo*, est quæ vnum est realiter principium alterius. Vt in diuinis Pater est principium Filij: & in creatis sol est principium lucis. Prioritas virtualis aut rationis *in quo*, quæ aliter vocari solet prioritas in subsistenti consequentia, est inter illa quorum vnum potest concipi sine alio; quamuis non vice versa: perindeque se habet respectu cognitionis, ac si tempore prius esset quam aliud, quia potest concipi sine illo vt coexistente: quamuis istud non possit concipi sine illo, velut sibi præsupposito. Quo pacto se habent animal & homo, qualitas & calor, quantitas & superficies. Prioritas denique virtualis seu rationis *à quo*, est quæ vnum est logicè, seu virtualiter & per æquiuocantiam principium alterius ratione sola distincti: ita mirum se habentis, vt si realiter ab alio distingueretur, realiter ab illo procederet. Quo modo se habent intellectus diuinus, & cognitio contingens: voluntas diuina, & voluo liberæ: actus essentialis intelligendi & volendi, ac vis generandi & spirandi. Porro prioritas ista rationis *in quo* non postulat, vt id quod prius est, possit concipi sine posteriori: sicut prioritas realis *à quo*, non postulat vt id quod prius est, possit existere sine posteriori. Hoc enim pertinet ad prioritatem *in qua*: & est imperitens ad prioritatem *à quo*, quæ in eo solum consistit, quod vnum sit principium alterius realiter aut virtualiter: siue possit

existere sine illo, siue non possit: & siue possit concipi sine illo, siue non possit.

Instabis: quia prius est rem esse contingenter futuram, quam Deus sciat esse futuram. Ideo enim Deus scit esse futuram, quia futura est: non vice versa, id est est futura, quia Deus scit esse futuram. Ergo pari ratione prius est obiectum esse existens, quam cognosci à Deo vt existens. Idem enim Deus cognoscit illud existere, quia existit: non vice versa, id est existit quia Deus cognoscit illud existere. Ergo prius est personas diuinas existere, quam cognosci vt existentes, id est, attingi notitia intuitiua.

Respondeo, obiectum cognitionis diuina esse duplex. Vnum est contingens: ad quod intellectus diuinus est de se & indifferens & indeterminatus: ita vt de se sit æquè aptus ad intelligendum oppositum. Alterum est simpliciter & absolute necessarium, & ad quod intellectus diuinus est essentialiter determinatus. Obiectum primi generis debet supponi ratione prius quam cognoscatur: quia debet aliquo modo (sine causalitate tamen & imperfectione) determinare intellectum diuinum; vt hoc intelligat potius, quam oppositum: offerendo illi hanc veritatem, p[er] se alia, quæ loco istius esse & intelligi potuit. Obiectum vero secundi generis non debet supponi ratione prius quam cognoscatur, neque cognoscitur quia est ante, sed quia diuinus intellectus est essentialiter determinatus ad illud cognoscendum, ad quam cognitionem obiectum illud se habet tantum determinatiuè & purè obiectiue.

Non est prius esse personas diuinas, quam videtur à Deo.

Tertium argumentum aliquorum Recentiorum est huiusmodi: Patres negant scientiam Dei intuitiuam creaturarum in se intrinsecè sumptam, esse causam rerum futurarum, & nominatim S. Augustin. lib. 3. de libero arbit. cap. 4. que videntur Boëtij, libro. 2. de consol. prosa 4. & 6. Et Beda quæst. 13. ex variis, comparat illam Dei scientiam, visioni nostræ oculari, quæ videmus obiecta vt existentia & coram obuersantia, quam implicat efficere obiectum quod dumtaxat intuetur. Esti verò Patres hoc dicant de illa scientia visionis, quæ Deus videt futura libera: eadem tamen ratio vniuersaliter probat nullum simplicem intuitum vllius obiecti existentis, vt talis, posse esse principium illius existentie. Non enim dicunt Deum, metu præiudicandi nostræ libertati, cohibuisse suam scientiam ne esset causa futurorum; sed supponunt id esse impossibile, quia hæc Dei scientia dumtaxat intuetur obiecta. Et quidem res non minus esset, quamuis non videretur. Ergo intuitus eius immediatus, non est necessarius vt illa sit. Ergo non est eius principium, sed est planè superfluous.

August. Boëtij, Beda.

Respondeo, Patres meritò id asserere, quia obiectum illud contingens est, & præsupponitur esse futurum ratione prius

NO  
S  
par



Visio et  
rursum  
potest esse  
illorum  
principium  
secundum  
visio perso-  
narum di-  
uinarum.

quàm Deus sciat esse futurum, & quàm eius intellectus, de se indifferens ad hoc vel ad oppositum determinetur ad cognoscendum illud potius, quàm illius oppositum. In eoque visio Dei circa futura contingenter similis est visioni nostræ oculari, quæ præsupponit existere obiectum à quo determinatur, ut ipsum videat potius, quàm aliud, quod æquè videret, si ipsi proponeretur, & si ipse indifferenciam determinaret ad sui visionem. Neque potest tum illa Dei scientia, tum visio ocularis, efficere obiectum quod intuetur: quia necessarid præsupponit illud existere, & determinare potentiam ad sui intuitionem, per suam existentiam, ordine rationis vel naturæ præsuppositam. Estque hæc vera ratio nullius impotentia. Eademque est causa cur hæc visio sit simplex intuitus, ut dicunt sancti Patres. Non potest autem simplex intuitus esse principium vel causa eius, quod purè intuetur. Sed non est par ratio de notitia intuitum personarum diuinarum, quæ sunt obiectum simpliciter necessarium intellectus diuini, neque debent præsupponi ut illum determinent: quippe qui seipso est essentialiter determinatus ad perfectam earum cognitionem. Consentiant hæc in parte Suarez. lib. 9. cap. 5. num. 8. Grano. Ruis. Cuniga & alij communiter ad art. 2. q. 2. art. 34.

Denique contra id quod diximus, totum actum essentialem cognitionis, & volitionis, adæquatè sumptum, esse radicem fecunditatis generatiuæ & spiratiuæ, obijci potest, radicem fecunditatis generatiuæ debere necessarid esse priorem radice fecunditatis spiratiuæ: sicut generatio est prior spiratione: & Pater & Filius sunt priores Spiritu sancto. Atqui tota cognitio essentialis non potest esse prior toto actu essentiali voluntatis: ergo &c. Probatur Minor: quia visio totius actus essentialis voluntatis, est cognitio essentialis. Sed illa non est prior, imò est posterior. Visio enim obiecti, ut existentis, supponit suum obiectum existere, & ad illud terminatur ut per se præsens secundum suam realem existentiam. Ergo, visio totius actus essentialis voluntatis ut existentis ab æterno, supponit totum illum actum essentialem existere. Ergo visio illa, quæ tamen est essentialis, non est prior toto actu essentiali voluntatis, sed potius est illo posterior.

Respondeo, totum actum intelligendi essentialem, esse priorem prioritate virtuali à quo, quàm actum volendi essentialem: cum voluntas nihil velit essentialiter quod intellectus non cognoscat essentialiter, & quidem prius ratione & præsuppositiuè: quia vna de cogitacionibus prærequisitis ut voluntas velit, est cognitio intellectus & propositio obiecti. Ac licet in multis reflexionibus actum intellectus & voluntatis, si Deus illis habet, procedatur in infinitum: Nam voluntas amat actum

intellectus, & intellectus cognoscit illius amorem: & rursus voluntas amat illam cognitionem: & intellectus rursus videt amorem istum: & sic in infinitum: Semper tamen priores partes sunt intellectus, quatenus omnis & quilibet actus voluntatis supponit actum præuium intellectus circa obiectum quod amplectitur aut respicit. Verum illæ reflexiones in Deo sunt inutilles & sine fundamento excogitatae. Nam Deus vnico actu directo intellectus cognoscit perfectissimè actum voluntatis quod est eiusdem actus amor: multoque perfectius quàm nos cognosceremus per infinitas illas reflexiones. Et vnico actu voluntatis amat perfectissimè eundem actum intellectus, qui est sui cognitio & visio. Ita ut non sit opus infinitis illis reflexionibus, sed omnino sint in Deo superflua: ut alibi ostendimus, disp. 9. sect. 1. num. 5. Visio autem Dei circa actus suos necessarios, non præsupponit obiectum suum existere ratione prius: quia non cauatur ab obiecto illo mediata vel immediata, determinante scilicet intellectum diuinum, vel per se immediate, vel mediata per sui speciem: quippe quod terminatiuè tantum se habet ad Dei visionem, & purè obiectiuè: iuxta ea quæ paulò ante diximus de obiecto necessario diuinæ cognitionis, num. 95.

## SECTIO IX.

Cur processio Verbi sit generatio, non autem processio Spiritus sancti.

QVOD sola secunda persona diuina, seu Verbum diuinum, sit Filius, certum est de fide: nam in Scripturis dicitur *Unigenitus Patris*, Ioan. 1. vers. 14. & 18. & cap. 3. v. 16. & 18. & 1. Ioan. 4. v. 9. & in symbolo Apostolorum *Filius vnicus*: in Nicæno iterum, *Unigenitus*: & in symbolo Athanasij dicitur in Trinitate vnus esse Filius, non factus, nec creatus, sed genitus: & vnus Spiritus sanctus non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Et quidem Pater, qui à nullo procedit, Filius esse nequit: cum de ratione filij sit ut ab alio procedat in similitudinem naturæ. Sed de Spiritu sancto difficultas grauis est. Nam si generatio est tantum origo viuientis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ specificæ, ut vulgò definitur: cur processio Spiritus sancti non est generatio, cum sit etiam ipse à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ diuinæ? Neque enim minus ipse vi suæ processiois accipit naturam & essentiam diuinam primò sub ratione volitionis essentialis, consequenter secundum alias: quàm Filius illam accipiat primò sub ratione intellectiois, & consequenter secundum alias.

99.  
Totus  
actus esse  
etialis co-  
gnitionis,  
est prior  
actu essen-  
tiali voli-  
tionis.

Ratio illa  
filius  
& vnus  
conueniens

100. **Epilius.**  
De Basil. lib. 3. contra Eunomium capit. 12. ait, Spiritum sanctum non esse dicendum Filium, ne in Trinitate sit Filius Filij, nascatur inde suspicio, num sit infanti Filij. At hæc ratio difficilis est. Nam hæc in Deo sit procedens procedentis, & productus producti: non propterea suspicatur esse productus & procedentes finitos. Sic ergo &c.

**Athanas.**  
D. Athanas. in epistola ad Serapionem Episcopum Tmuseos, paulo ante medium, dicit Spiritum sanctum non esse Filium, quia Filius non potest esse Pater: nec potest esse alius Filius, præter eum qui est integra & perfecta imago Patris. At hoc ipsum est quod queritur, cur vñs tantum Filius esse possit? Ecce Filius non sit Pater Spiritus sancti, ac Spiritus sanctus non sit Filius, cum sit imago naturalis, & simillimus natura Patri & Filio, à quibus producitur?

102. **August.**  
Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 14. affirmat Spiritum sanctum non esse Filium: quia exit à Patre non ut natus, sed ut datus. Lib. autem 9. cap. 12. ait Verbum esse Filium, quia procedit per intellectum: quod autem per intellectum producitur, illud quasi parturit & paritur in quatione. Quod autem per voluntatem producitur, non est tale. Ideoque Spiritus sanctus non est Filius: quia procedit per voluntatem. Lib. verò 15. cap. 26. & 27. asserit Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit à duobus: ac Filius in Deo non potest procedere à duobus, sed ab vno ut Patre, cum non possit in Deo esse mater. Sed neque hæc tollunt difficultatem. Nimò enim, hoc ipsum queritur, quod pro prima ratione asserit, cur Spiritus sanctus non procedat ut natus, sed tantum ut datus, cum tamen procedat ut viuens à viuente &c. Secundo, Deus non inquirat intelligendo, non magis quam volendo. Et illa intellectus parturitus metaphorica est. Hic autem sermo est de propria & naturali, quæ dicitur in eo consistere, ut producatur viuens à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ: quod Spiritui sancto, æquè ac Filio convenire videtur, cum uterque sit Deus vi suæ processionis. Tertiò, Spiritus sanctus non procedit à Patre & Filio, ut à duobus; sed ut ab vno spiratore, & per vnicam spirandi virtutem ac spirationem, ut in Concilio Lugdunensi definitum fuit, & refertur in sexto Decretalium, capit. vñco de summa Trinit. Neque difficultas soluitur cur hæc duæ personæ, sicut concurrunt per modum principij, non concurrant per modum Patris, siue vnius, siue duplicis, cum producant viuens à viuente principio coniuncto in naturæ similitudinem.

103. **Responsio D. Thom.**  
D. Thom. quæst. 27. artic. 4. & alij plerique dicunt processionem, quæ est secundum intellectum, vocari generationem, quia est secundum rationem similitudinis: quate-

nus intelligens constituitur per id, quod habet rei intellectæ similitudinem. Processionem autem Spiritus sancti non esse generationem, quia non est secundum rationem similitudinis: eò quod volens non constituitur per id, quod habet similitudinem voliti: sed per id quod habeat quandam inclinationem in volitum.

Sed contra, similitudo requisita in definitione generationis non est similitudo intentionalis, de qua D. Thomas: sed naturalis, ita ut, id quod producitur, sit eiusdem naturæ cum eo, à quo producitur. Vnde et vera generatio cum homo producitur ab homine, aut equus ab equo, propter illam similitudinem naturalem: quamvis non sit intentionalis siue obiectiua. Atqui Spiritus sanctus est eiusdem naturæ cum Patre & Filio vi suæ productionis. Cur ergo non producitur per generationem, æquè ac Filius?

104. **Respondent Thomistæ,** intellectionem ex genere suo tendere naturæ suæ, & per se, ad assimilationem cum obiecto, in Deo verò tendere ad similitudinem naturalem: quia cognitio Dei perfectissima & comprehensiva esse nequit, quæ non sit ipse Deus & eiusdem naturæ cum Deo.

Sed neque hæc responsio satisfacit: pari enim facilitate, & probabilitate dici potest, amorem ex natura sua tendere generatim ad vnionem cum re amata, & ad quandam vnitatem cum illa: & in aliis eundem tendere ad vnitatem affectiuam per adhesionem voluntatis: in Deo verò tendere ad vnitatem & identitatem naturalem: quia non potest esse amor Dei perfectissimus, & adæquatus amabilitati obiecti, qui non sit Deus & eiusdem naturæ cum Deo.

105. **Alij denique,** ut Canariensis quæst. 27. art. 2. & Valq. disp. 113. cap. 6. & 7. dicunt ad rationem Filij non sufficere similitudinem in natura, etiam ex vi processionis: sed requiri similitudinem per modum imaginis: imaginem verò non esse tantum similitudinem ex vi processionis: sed etiam similitudinem productam & expressam ad representandum id cuius est imago. Verbum autem diuinum non modò procedere, ut simile producat, in natura, ex vi productionis: sed etiam imaginem productam & expressam ad ipsam representandum cum procedat per intellectum. Nam intellectus producit Verbum ad representandum suum obiectum. Obiectum autem Verbi diuini est ipsemet Pater, à quo procedit. Ergo producitur ad Patrem representandum: ac proinde ut illius imago & Filius. Secus autem Spiritus sanctus.

106. **Sed contra:** quia si ea quod Filius procedat ut Verbum per viam intellectus, non habeat aliud speciale præ Spiritu sancto, quam quod procedat ad representandum intentionaliter ex vi & speciali ratione suæ processionis. Atqui simi-

litudo intentionalis neque sufficit, neque necessaria est ad rationem generationis, sed similitudo naturalis cum suo principio, quæ conuenit etiam Spiritui sancto, quippe qui vi suæ processiois procedit ut persona diuina eiusdem essentia cum Patre & Filio, actione æquè immanente, & ad terminum immanentem ac substantialem æquè per se primo terminata: nempe ad hypostasim Spiritus sancti identificatam diuinæ essentia per se, & ex propria ratione, inseparabiliter & absoluta necessitate. Ergo ista ratio non satisficit.

107.  
Generatio  
viventium  
ad fit?

Ut soluantur difficultas, Nota primo, generationem videntium propriam, de qua hic sermo est, definiti à Dico Thom. quæst. 27. artic. 2. in corp. *Productionem videntium à viuente coniuncto in similitudinem naturæ.* Vbi particula, *productio*, denotat exercitium virtutis actiua in generante, quale non fuit in Adamo, respectu Euz. Particula verò, *coniuncto*, denotat genitum manare ex substantia genitoris, & esse illi coniunctum eatenus, ita ut constet aliquo, quod fuerit acceptum idipsum à Patre. Sic quæ sunt ex semine, deciduntur à generante secundum principium materiale, quo constant, ita ut ex parte saltem fuerint coniuncta. Particula verò, *in similitudinem naturæ*, denotat conuenientiam in natura secundum speciem seu rationem ipsam. Quæ definitio est clara, si sermo sit de generatione propriissima & perfectissima, quæ tendit ad summam assimilationem, maximeque perfectam similitudinem. Quamquam etiam est generatio videntium in similitudinem naturæ genericæ: ut cum equus, aut canis mulum gignit. Porro tota hæc definitio intelligenda est in sensu formali, ut etiam explicatur à Dico Thoma quæst. 27. artic. 2. & libro 4. contra Gentes cap. 11. aliisque Theologis. Ita scilicet ut vi formalis processiois sit similitudo naturæ, id est, ex propria, & formali ratione eius quod secundum talem processioem communicatur, & ex formalissima ratione talis communicationis.

108.

Nota secundo, filium esse suppositum productum per generationem videntis, generaliter sumptis. Nisi potius sit hæc vox restringenda ad generationem videntis cognoscens. Vix enim & raro granum vocatur filius grani, aut spica filia spicæ. Cum autem secunda persona procedat à prima ut viuens à viuente cognoscente, nempe à Patre; coniuncto, id est, dante suamque substantiam; idque in perfectissimam similitudinem naturæ: dubium non est, quin eius productio sit generatio. Sed non apparet, quidnam ex illa definitione generationis desit Spiritui S.

109.  
Pro. est  
Filij differt  
in ubi?

Nota tertia, processioem Spiritus sancti differre à processioe Filij in duobus. Primo enim, processio Filij est per fecunditatem intelligentiæ: altera verò est per fecunditatem actus voluntatis.

Et sicut Filius procedit per fecunditatem actus intelligentiæ: ita formaliter, & immediatè per suam productionem accipit naturam secundum rationem intelligentiæ. Quæ tamen natura, quia realiter vna & simplex est, nullamque habet oppositionem cum Filio, communis est tota, sicut perfectè, & adæquatè communicabilis est. Spiritus verò sanctus sicut procedit per fecunditatem actus volendi ita formaliter & immediatè per suam productionem accipit naturam communicatam secundum rationem actus volendi. Vnde Filius specialiter appellatur sapientia, Verbum, imago, Spiritus verò sanctus specialiter appellatur amor, dilectio, caritas. Differunt secundo, quia Filius habet cum Patre commune, præter totam essentiam, ut sit principium Spiritus sancti vnus cum Patre, utque naturam accipiat simul cum fecunditate communicandi eandem Spiritui sancto per spirationem: quod non habet Spiritus sanctus, cum iam nulla sit amplius fecunditas ad intra. Ex his differentis, aut earum aliqua petenda est ratio, cur processio Filij sit generatio, non item processio Spiritus sancti.

Quo de re dico duplicem esse rationem cur Spiritus sanctus non sit Filius, & cur eius processio non sit generatio. Prima est, quia non accipit vi productionis formaliter & immediatè essentiam diuinam secundum primariam rationem vitæ & essentia Dei ut viuens, id est, secundum intelligentiam: sed tantum secundum secundariam, scilicet rationem volendi, quæ fundat proximè & formaliter processioem Spiritus sancti. At verò Filius accipit primariam rationem vitæ, nempe intelligentiam. Et quod dicitur in definitione generationis, *in similitudinem naturæ*, intelligendum est de formali processioe in similitudinem primariæ vitæ, primò & per se acceptæ. Hanc rationem insinuat D. Thom. quæst. 27. artic. 2. in corp. dicens, idè procedere Filium secundum naturam similitudinem & essentia, quia Deo intelligere est esse, primarium scilicet, seu ratio vitæ primaria, vi productiois primò illi communicata. Eandem reddit suar. libro 11. cap. 5. num. 16. ubi docet, Verbum esse Filium, idè quia vi suæ processiois communicatur illi essentia, ut primariò coniuncta in esse talis essentia & naturæ: id est, secundum primam essentialem rationem vitæ perfectè constitutam & plenam: nimirum secundum rationem intelligentiæ completam essentialiter in actu secundo. Spiritus verò sanctus accipit primò essentiam sub ratione amoris seu volitionis, quæ est ratio secundaria, & posterior intelligentiæ, sicut omnipotentia posterior est vitæ. Cum enim in viuentibus spiritualibus tres sint gradus seu rationes vitales, secundum quas operantur vitaliter, intelligentia, voluntas, & potentia executiua: sicut potentia subordinatur volunta-

ti; ita voluntas intelligentiæ, quæ idcirco est prima.

III.  
Secunda  
ratio.

Secunda est, quia de ratione generationis viventium est, ut sit productio per se tendens ad communicandam naturam fecundam: ita ut id quod generatur propriè, existat per actionem eò per se tendentem, ut det producto naturam cum fecunditate, seu virtute communicandi eandem naturam. Eòque per se tendunt generationes viventium creatorum, licet per accidens impediri possint. Sed hoc præter naturam & monstruosum est, quando in creatis viventibus producitur vivens à vivente eiusdem speciei sine fecunditate quam deberet habere. Divina verò generatio, vtpote perfectissima, non potest impediri. Quia ergo secunda persona accipit naturam cum fecunditate, idèd Filius est. Et è contrario, Spiritus sanctus non est Filius, quia non accipit fecunditatem. Neque enim ad seipsam, neque ad Patrem aut Filium, neque ad alias personas divinas, cum nulla alia possibilibus sit. Sed neque eò per se tendit productio Spiritus sancti, ut sit ipse secundus ad intra. Nam alioqui tenderet ad impossibile simpliciter & absolute, cum tamen ordinatissima & perfectissima sit. Et licet in definitione generationis supra tradita à Divo Thomæ, non exprimitur communicatio fecunditatis, sed tantum naturæ similitudo inter principium & terminum: potest tamen optimè sub nomine naturæ comprehendi aut subintelligi fecunditas ad communicandam eandem naturam: tum quia naturæ nomine intelligitur principium motus & quietis, eius in quo est primò & per se, & non secundum accidens, ut definitur ab Aristotele 2. Phys. capit. 1. id est, principium operationum, quarum præstantissima in divinis est productio alterius personæ divinæ. Tum etiam quia fecunditas generandi producendo sibi simile, continetur vel formaliter, vel saltem, ut maluit aliqui, radicaliter, id est, tanquam in principio & radice, in natura eorum animalium quorum generationi definitio illa primò fuit attributa, & deinde ad Quisita translata. Atque ita naturæ viventium creatorum necessariò ac per se convenit, ut ad illam fecunditatem per se tendat naturæ productio & communicatio in productione viventium creatorum. Ne ullus est eorum qui filij vocantur in creatis, qui non sit per se potens formaliter aut radicaliter producere alium sibi in natura similem, tanquam principio coniuncto: licet per accidens impediantur aliqui, ut multi v. g. quanquam multos esse in Asia fecundos, & producere sibi similes, testatur Theophrastus, ut refert Vitisq. disp. 1. 3. capit. 1. in fine. Sicut & simia infecunda in Europa, fecunda sunt in Asia & Africa. Nomen autem Filij, primò creatis impostum, fuit ad Verbum divinum translatum, propter maiorem aliquam con-

venientiam cum illis, quam non habet Spiritus sanctus. Porro Deus ultra communicationem naturæ cum fecunditate, habet aliam communicationem sine illa: quamvis in animalibus, eiusdem speciei fecundæ, natura ipsorum semper eò per se tendat, ut in eorum productione communicetur simul natura & fecunditas: licet interdum, & per accidens, impediat formalis fecunditas, vel eius visus.

Hanc secundam rationem reddunt Ricard. Victorin. lib. de Trin. cap. 18. Alensis p. 1. q. 42. membro 2. §. 1. & membro 3. art. 3. ad 3. Bonaventura in 1. dist. 13. art. 1. quest. 2. in conclusione. Maior in 1. dist. 13. unica, & Cuniga disp. 2. de Trin. dub. 20. membro 9. & sequentibus, ubi fufius tam è posit. Et membro 16. rectè notat vocem, natura, dictam esse à nascendo, & initio impositionis significasse originem actualem viventis à vivente, quæ modò naturitas appellatur. Et quia hæc origo est à principio intrinseco seu coniuncto: idèd tale quoque principium appellatum esse naturam. Tum, quoniam in creatis viventibus tale principium est ipsamet illorum essentia: nomen naturæ extensum est ad significandam essentiam eorum. Quæ significatio licet sit propria, id est, non metaphorica: non est tamen stricta & propriissima, primòque illi non imponitur, sed amplior & extensior. In definitione autem generationis viventium, vox natura debet intelligi eo sensu, quo primò strictè & propriissime illi fuit imposita. Ex quo sequitur eum non procedere in similitudinem naturæ strictè & propriissime sumptæ, qui non procedit in similitudinem essentiæ fecundæ ad producendum ex se, tanquam ex principio intrinseco seu coniuncto: licet procedat in similitudinem naturæ latius sumptæ, pro essentia. Quo secundo sensu Spiritus sanctus procedit in similitudinem naturæ divinæ: sed non priori sensu sicut Filius. Propter quod definitio generationis non convenit Spiritui sancto, quia non procedit in similitudinem naturæ ut fecundæ, id est, accipiendo simul fecunditatem producendi aliam personam divinam.

Contra priorem rationem obicitur primò, Amor præsupponit intellectum in eodem supposito. Ergo Spiritus sanctus est prius intelligens, quam amans. Ergo prius accipit naturam sub ratione intellectus, quam sub ratione amoris.

Respondeo, distinguendo antecedens. Amor secundum se spectatus, absolute, aut secundum ordinem essentialem (qui nimirum, est inter essentialia ratione essentiæ) supponit intellectum, seu cognitionem eius obiecti quod amatur, concedo. Amor spectatus notionaliter, siue secundum ordinem notionalem, & prout

112.  
Ricard.  
Alensis.  
Bonavent.  
Maior.  
Cuniga.

Natura vnde dicta, & que complaciter sumitur.

113.

4.  
Spiritus sanctus est amans notionaliter quam intelligens.

inest vi processionis, supponit intellectio-  
nem, quasi non possit natura primò com-  
municari vt volens, & secundum eam rationem primò ac per se identificari termino  
formali productionis: nego. Similiter-  
que Spiritus sanctus est prius intelligens,  
quàm genans, si intellectio, & amor spe-  
ctentur secundum essentiam: in essentiali-  
bus enim cognitio prior est. Non autem  
si spectentur secundum notionalia, sive  
prout insunt formaliter vi productionis. Sic  
in mysterio Incarnationis communicatur  
primò & immediatè hypostasi Verbi, non  
verò natura seu essentia: licet essentia sit  
prior hypostasi secundum modum essendi.  
Sed non est necesse, vt modus communi-  
candi sequatur modum essendi.

114. **Q**uoniam secundò Cunica disput. 2. dub.  
20. membro 8. num. 5. rationem illam sup-  
ponere vt necessarium, & vniuersaliter ve-  
rum illud principium, quod omne produ-  
cens vniuersum assimilat sibi productum  
formaliter ac primariò in illa perfectione,  
quæ sibi est ratio ac virtus producendi: in  
alijs autem materialiter & secundariò. Hoc  
autem non est verum. Nam homo genera-  
rans hominem, illum sibi assimilat pri-  
mariò, non modò in forma quæ est prin-  
cipium generandi: sed etiam in materia:  
quonia intendit illum sibi assimilare in  
tota specie. Deinde quamuis esset verum  
in creaturis, non sequeretur esse verum in  
Deo, in quo omnes perfectiones sunt quid-  
datiua & æquæ primariæ.

**Q**uomodo  
Agens in-  
tendit assi-  
milare sibi  
passum?

**R**espondeo, verum esse vniuersaliter,  
agens vniuersum intendere sibi assimilare  
productum primariò in ea ratione quæ est  
illi ratio producendi, remota vel proxima.  
Nego autem solam animam esse totam rationem  
& totum principium generandi. Generatio enim est actio compositi, & non  
vnius partis dumtaxat. Nego etiam om-  
nes Dei perfectiones quidditatiuas esse æ-  
quæ primariæ. Est enim inter illas aliquis  
ordo prioritatis virtualis seu rationis, par-  
tim à quo tantum, quatenus vna est virtualiter  
ab alia: partim etiam in quo quatenus  
vna potest concipi sine alia, non vice ver-  
sa, quia concipitur vt necessariò illi præ-  
supposita. Porro idem auctor disput. 16.  
dub. 5. num. 4. statuit in Deo intellectio-  
nem esse radicem virtuales volutatis.  
Quod est admittere illam esse priorem vir-  
tualiter, prioritate saltem quo.

115.

**I**nstabis, quia homo generans assimilat si-  
bi filium in hypostasi: quæ tamen non est  
ratio seu principium agendi, quemadmo-  
dum neque in hærio in occidentibus, vt pa-  
ter in Christo, & in mysterio Eucharistiæ.  
Nam hærio Christus non minus agit na-  
turaliter, quàm si haberet propriam hypo-  
stasim: & hærio Eucharistica perinde  
agunt, ac si subiecto inhaerent. Respon-  
deo, hominem sibi quidem assimilare geni-  
tum in hypostasi, sed non primariò. Axi-  
oma autem supra allatum loquitur solum

de eo, in quo productum primariò assimi-  
latur producenti ex vi & ratione formali  
productionis.

**T**ertio, contra secundam rationem obij-  
cit Vasquez disput. 113. capit. 21. & 22. ra-  
tionem imaginis & similitudinis, quæ re-  
quiritur ad esse filij, non consistere in virtu-  
te communicandi eandem naturam, sed in  
ipla tantum naturæ communione. Secundò,  
si Spiritus sanctus produceret aliam perso-  
nam, tamen non esset filius. Tertio, in humanis  
si filius potest alium producere, potest produ-  
cere per generationem, quod in Filio Dei  
non reperitur. Ergo non inde est filius in  
Deo. Quarto, addit Suarez lib. 11. capit. 6.  
num. 4. similitudinem inter personas diui-  
nas non esse attendendam secundum pro-  
prietates principij, aut procedentis à prin-  
cipio: alioqui Verbum non esset filius ne-  
que imago Patris, qui non est illi similis  
in propria ratione filij. Ergo sufficit simili-  
tudo in natura.

**A**d primum Respondeo negando antee-  
dens. Generatio enim hoc per se postulat,  
vt naturam communicet cum fecunditate,  
licet per accidens possit hoc impediri in re-  
bus creatis, sicut in illis potest esse defectus  
& modicum, seu peccata naturæ. At in  
Deo est perfectissima generatio, defectus in-  
capax & impediens.

**A**d secundum Respondeo, Si Spiritus san-  
ctus produceret aliam personam, non tamen  
fœt filius defectu primæ rationis, si in ge-  
neratione eius habenda est ratio, vt probabile  
est. Id est, si ad generationem requiritur,  
vt sit origo viuens à viuente coniuncto  
in similitudinem naturæ, secundum ratio-  
nem vitæ primariam, per se primò acceptam  
vi generationis. Sed nihil inde sequitur con-  
tra vobram sententiam.

**A**d tertium Respondeo, generationem di-  
uinitatis esse vnicam: & hoc ex perfectione ge-  
niti, qui totam in se absorbet generatio-  
nem diuinam. Et quemadmodum generatio  
diuina hoc habet proprium, vt sit in ea  
naturæ communicatio, non productio, licet  
in creatis natura etiam producarur: ita pro-  
prium quoque habet vt sit vnicam. Neque il-  
lud est in ratione filij generati, vt habeat  
& ipse fecunditatem ad alium filium, qui nempe  
& ipse fecundus existat: sed sufficit vt suo  
principio sit similis, & in natura, & in fecun-  
ditate ad communicandam eandem naturam.

**A**d quartum Respondeo, in diuinis neces-  
sariane esse differentiam & distinctionem: alio-  
qui neque principium in Deo esse posset, ne-  
que aliquid procedens. At inde non sequitur  
quod si vnum procedens habeat aliquid fecun-  
dum suam processionem, quod alius non ha-  
beat: non possit in eo differre tum vnum pro-  
cedens ab alio, tum vna processio ab alia.  
Est autem discrimen inter proprietatem pro-  
cedentis & omnino propriam, partim  
propriam: quod omnino propria con-  
stituat simpliciter & omnino distinctum ab alia

verò partim simile, partim distinctum & distinctum. Et quatenus constituit simile, facit ad rationem generationis. Filius autem diuinus non tantum cum generatione & aliquo modo per generationem, habet naturam sibi communicatam: sed & fecunditatem seu rationem principij: non ad seipsum, neque ad Patrem: sed ad Spiritum sanctum: quam rationem Spiritus sanctus non potest habere.

SECTIO X.

Cur processio Filij & Spiritus sancti non sit creatio, vel effectio: & cur non plures in diuinis processionibus quam duæ?

119. Quid processio Filij & Spiritus sancti non sit creatio, vel effectio, fide diuina certum est. Nam de utroque dicitur in Symbolo Athanasij: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: & Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in Symbolo Nicæno: *Genitum non factum, consubstantialem Patri &c.* Ratio uero generalis hæc est: quia creatio, & effectio qualiscunque, significant deductionem rei à non esse ad esse: secus autem generatio, & spiratio diuina, quarum termini non sunt non-ens, neque actu, quasi aliquando non sint reipsa antequam producantur: neque in potentia, quasi aliquando potuerint non esse reipsa, licet de facto semper fuerint. Vnde inter diuinas processionibus, & creationem vel effectioem quamlibet, illud etiam discrimen est, quod illæ sint absolute necessaria: istæ uero, saltem respectu Dei sint liberae. Eademque de causa Pater, & spirator non sunt causæ Filij & Spiritus sancti: quia non producant aliquid absolute possibile non esse. Et Filius, ac Spiritus sanctus non pendunt à Patre & à spiratore: quia quod absolute necessarium est, nõ est per dependentiam ab alio: sed si est ab alio, est per absolute necessariam connexionem cum illo: ita ut tam necessarium sit esse personam productam, quam esse personam quæ producit: neque magis pendeat producta à producente, quam producens à producta: sed utraque neque propter alteram, seu ad alteram sit.

120. Alij aliam rationem addunt: quia nimirum in quavis creatione, vel effectioe, causa influit aliud esse, quam idipsum quod habet, datque producto essentiam seu naturam numero saltim à sua diuersam. Quod in diuinis processionibus non fit. Procedens enim ipsamet numero essentiam producentis accipit. Verum hæc ratio ualere non potest apud eos qui tenent modos non distinguendi à re modificata. Fiunt enim quauis non habeant neque accipiant aliud esse, distinctum ab esse rei seipsam modificantem. Ut quando quis se localiter mouet: quando anima rationalis seipsam vnic partibus ali-

menti dispositis ad nutritionem. Ex eo uero quod generatio Filij & processio Spiritus sancti non sint creatio vel effectio: fit, ut producens in diuinis non uocetur causa à Latinis, licet à Græcis dicatur *aitios* ut à Basilio, Gregorio Nysseno, Nazianzeno, Damasceno, Theophylacto, & aliis. Sed isti sumunt *aitios* seu causam, remotis imperfectionibus contingentiae, & dependentiae, seu prioritatis naturæ: neque plus dicunt nomine causa, quam Latini nomine principij. Et hæc de prima parte quæstionis propositæ.

De secunda uero, Cur in diuinis non sint plures processionibus reales quam duæ, ratio est, quia diuinæ processionibus, quæ sunt ad terminos immanentes, & uelut receptos in ipsa essentia diuina, fundantur in operationibus ex natura sua propriaque ratione immanentibus, quæ in natura purè spirituali duæ tantum sunt, nempe intelligere & uelle: & in natura diuina perfectissimè infinita non multiplicantur. Ea enim est uirtus intelligentiæ, & uoluntatis diuinæ, ut unico actu realiter omnia intelligat: omnia item unico actu uelit quæcunque uult. Vnaguæque uero harum operationum, quatenus essentialis est, & prior proprietatibus personalibus (qua sola ratione potest esse fundamentum fecunditatis, ut supra uisum est) habet ynam fecunditatem & ynam processionem sibi adequatam. Et vnaguæque fecunditas & processio habet etiam ynum terminum sibi adequatum. Vnde non potest talis processio quasi numero multiplicari intra eandem speciem, cum qualibet totam suam radicem & fundamentum adequatè exhauriat. Ita Alexius, Bonauent. Richardus, Scotus, Gabriel, Marsilius, Henricus, & Recentiores communiter cum Suarez, lib. 1. capite 9. num. 6. Consentit etiam D. Thomas quæst. 27. artic. 5. ubi præterea rationem reddit, cur potentia Dei executiua, quæ intellectum & uoluntatem sequitur, & essentialis est, non habeat suam processionem, ut intellectus & uoluntas: quia, inquit, processionibus diuinarum personarum debent esse ad intra: potentia uero est principium tantum productuum ad extra, & ad transeuntem operandum.

122. Dixi, reales processionibus: per quas nimirum aliquid realiter & uerè producatur, cuiusmodi sunt processionibus personarum. Alioqui enim, si sermo esset, etiam de logicis seu virtualibus processionibus, illa plurimæ sunt in Deo. Nam attributa multa, etiam absoluta, alia ab aliis emanant logicè: & paternitas ipsa, aliæque omnes proprietates personales, emanant virtualiter ab essentia diuina, non tamen proprie & realiter. Nam in emanatione reali seu physica debet esse realis distinctio inter producens & productum: quæ non est inter attributa absoluta, nec inter essentiam & proprietates personales. Nihilominus

Pa. le nos. est uerè causa Filij, nec uterq. Spiritus S.

119. Cur in diuinis duæ tantum processionibus?

Suar. S. Thom.

122.



inter illa est virtualis quaedam emanatio & processio. Nam essentia diuina continet in se virtualiter relationes personales: ac proinde concipi possunt relationes virtualiter manare ab essentia. Sicut quia possunt concipi attributa quaedam communia manare ab illis: v. g. actus omnes intellectus & voluntatis, tam essentielles, quam contingentes, procedere quodammodo ab intelligentia, & voluntate, considerata per modum potentiae & actus primi, vt recte docent inter Recentiores Molina quaest. 27. art. 3. disp. 4. & Becan. cap. de Trinit. quaest. 3. in fine, vbi expressè admittit quod de emanatione relationum ab essentia diximus.

123.

Potest licet intellectio & volitio diuina essentielles non distinguantur nisi virtualiter; atque etiam fecunditates, quae illas sequuntur, non distinguantur realiter inter

se quoad id quod habent formaliter ex parte principij: differunt tamen realiter ex parte terminorum. Producent enim terminos realiter diuersos. Quod non est difficultus, quam potentiam executiuam, licet reynicam & simplicissimam in Deo, producere ad extra terminos specie & numero realiter diuersos. Eadem enim virtus potest ad multa numero & specie diuersa valere. Neque propterea debet in plures rationes distingui, nisi sit tanta, vt eius eminentia siue amplitudo virtualis aequiueat multis virtutibus diuersis. Ex qua etiam virtuali amplitudine & distinctione fit, vt quod emanat secundum vnam rationem, non emanet secundum vnam formaliter, sed tantum identice. Sicut in diuinis, Filius non procedit a voluntate formaliter, nec Spiritus sanctus ab intellectu, sed identice tantum.

## DISPV TATIO

### VIGESIMA QVINTA.

#### De relationibus personarum diuinarum.

- Sectio I. *Sintne inter personas diuinas relationes reales?*  
 Sectio II. *An relationes personarum diuinarum sint transcendentales, vel Categoricae?*  
 Sectio III. *Quomodo relationes personarum diuinarum distinguantur ab essentia?*  
 Sectio IV. *An relationes seu proprietates personarum diuinarum includantur in essentia formaliter?*  
 Sectio V. *An relationes seu proprietates diuinarum personarum includant formaliter essentiam?*  
 Sectio VI. *Respondetur argumentis contrariae sententiae.*  
 Sectio VII. *An relationes seu proprietates personarum diuinarum distinguantur realiter inter se?*  
 Sectio VIII. *Utrum in creaturis respiciatur similis identitas cum distinctione reali?*  
 Sectio IX. *An relationes, seu proprietates personarum diuinarum, sint perfectiones: & quales?*  
 Sectio X. *Soluuntur argumenta contrariarum opinionum.*  
 Sectio XI. *An relationes, seu proprietates personarum diuinarum sint modi diuinae essentiae?*  
 Sectio XII. *An relationes diuinarum personarum sint plures res, & plures entitates relatiuae?*



**D**E Relationibus diuinis agit S. Thomas tota quæst. 28. & art. 1. docet esse realiter in diuinis relationes: quia cum aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, necessarium est produens & productum habere respectus reales ad inuicem. 2. Relationes diuinas esse idem ac essentiam secundum rem: quia non sunt accidentales, & extrinsecus aduenientes, vt malè existimauit Gilbertus Porretanus, in Concilio Rhemensi damnatus: differre tamen secundum rationem ab essentia: quia relatio importat respectum ad terminum relatiuè oppositum, quem respectum non importat essentia. 3. Relationes illas realiter distingui ab inuicem: quia relatiua oppositio in sui ratione includit distinctionem realem. Quare in Deo est realis distinctio: non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa vnitas, & simplicitas: sed secundum rem relatiuam. 4. In Deo quatuor tantum relationes esse: Paternitatem, Filiationem, Spirationem actiuam, & processionem, seu spirationem passiuam. Quia relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones ad intra: quæ duæ tantum sunt. Quarum vna accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi. Altera secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas: quarum vna sit procedentis à principio: alia, ipsius principij. Quare ratione primæ processionis dantur inter Patrem, & Filium, duæ relationes, paternitatis, & generationis passiuæ, seu filiationis. Et ratione secundæ, dantur aliæ duæ, spirationis actiuæ in Patre & Filio, & processionis passiuæ in Spiritu sancto. Huc vsque Diuus Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus explanabitur.

### SECTIO I.

*Sintne inter personas diuinas relationes reales?*

**R**espondeo, non posse negari sine temeritate, & sine errore in fide, dari veras & reales Relationes inter personas diuinas productas & productas. Hoc enim Diuus Thomas disertè affirmat esse alienum à fide orthodoxa, quæst. 8. de potentia artic. 1. in corp. Cuius censuræ subscribunt Recentiores eruditissimi, affirmantes esse de fide, aut esse certissimum secundum fidem Catholicam, dari huiusmodi relationes: adeoque oppositum esse errorem aut hæresim: vt Molin. 1. p. quæst. 28. art. 1. in titulo commentarij, Cuius & Bañez ad eundem artic. Suar. lib. 5. de Trinitate capit. 1. Grano tract. 3. de Trinitate disput. 1. num. 2. Ruis disput. 9. de Trinitate sect. 1. num. 5. & plures alij.

Probatur primò ex Concilio VVormatiensi in professione fidei in titulo, vbi sic habetur: *Quod pater est, non ad se, sed ad filium est: & quod filius est, non ad se, sed ad patrem est.* Quod idem antea dixerat Tolertan. XI. in confessione fidei in titulo, vbi paulò post hæc addit: *In relatione personarum numerus cernitur: in diuinitatis vero substantialia, quid numeratum sit non comprehenditur.* Ergo hoc solo numero insinuat, quod ad inuicem sunt: & in hoc numero cernitur, quod in se sunt. Ex quo concilij dicto sumptum est axioma Theologorum, quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obicit oppositio relationis. Quodque sola relatio sit causa distinctionis realis inter personas Trinitatis. Idemque tractatur expressè in Florent. sess. 18. §. Dixi equidem: vbi Ioannes Theologus sic loquitur: *Sola relatio, apud omnes Græcos & Latinos Doctores, diuina processionis personas multiplicat, ita vt non ulla alia ratione, quam vi relationis, pater à filio, ac vna persona ab alia differant.* Vbi Nota Ioannem Theologum asserere omnes Græcos & Latinos Doctores ita sentire: vt

Probatur ex Concilio de Trinitate relationes reales.



minemque Græcorum aut Latinorum Patrum, aut Doctorum, qui Concilio intererant ipsi refragatum esse. Et pauld superiorius *J. Divina Substantia*, sic ait: *Proprietates nequequam communicabiles sunt, quod ex relationis vi creditur evenire.*

3. Quæ verba Conciliorum non possunt sine intolerabili violentia, & abusu, detorqueri ad nomina sola, vel conceptus formale relativi. Nam aperte docent, non tantum nomina, sed & res esse relativas: ita ut nominibus illis Patris, Filij, & Spiritus sancti, subsint veræ relationes. Cùm VVormatiense non dicat, *Quod Pater nominatur, aut concipitur: sed, Quod Pater est non ad se, sed ad Filium est.* Et Toletan. *Quod ad invicem sunt*, inquit: non zelum, *Quod ad invicem dicuntur aut concipiuntur.* Et Florent. *Non alia ratione quam vi relationis una persona ab alia differt.* Nempe vi relationis realis & intrinsecæ. Nam absurdum & hæreticum esset, existimare non alia ratione distinguam, quam vi nominis, aut vi nostri conceptus relativi. Cùm enim evidenter sit impossibile nomina vel conceptus nostros ponere realem distinctionem, ubi non est: personæ divinæ non distinguuntur realiter, si non aliter distinguantur, quam vi nominum & conceptuum nostrorum, quibus relativi significantur & concipiuntur. Nomina quoque, & conceptus nostri, non sunt id vi cuius proprietates sunt incommunicabiles: quare relatio, vi cuius sunt incommunicabiles, ut ait Florentinum, non est nomen aut conceptus.

4. Idem probatur ex Partibus.

Simili modo loquuntur sancti Patres communi consensu. Licet enim interdum loquantur de nominibus (quod Ruis & alij quidam non satis distinguunt) sapissimè tamen affirmant perspicuè personas divinas non tantum dici aut concipi, sed esse quoque relativas, & habere relationem & ordinem inter se, atque esse alterius id quod sunt. *Quid enim non tantum quam tu, si alicuius es quod es*, inquit Divus Augustinus loquens de Verbo divini tract. 29. in Ioan. Sed & quando loquuntur de nominibus, intelligunt per ea nomina significari id quod in re est proprium huius aut illius personæ divinæ, illique substantiæ tale. Et sine eo perfectè concipi non possunt, sicut est, ac distingui ab alijs personis divinis. Alia multa similia Patrum testimonia videri possunt apud Vasq. disput. 158. cap. 3. & Didacum Ruis disput. 9. de Trin. sect. 2. & 3. Sufficiet iterum adlungere ex Athanasio Dialogo 1. de Trin. prope finem, ubi sic habet: *Nomen Dei naturam indicat. Nomen Patris, eam rationem quam ad Filium habet.* Quibus verbis perspicuè docet Athanasius rationem illam Patri convenire à parte rei, non autem solum à nobis ita concipi aut significari: sicut natura, Dei nomine significata, verè & intrinsecè illi convenit à parte rei. Propter quæ omnia censeo contrariam sententiam,

quam aliqui Recentiores proponere ausi sunt, secti Ocamum & Gabrielem in 1. dist. 30. q. 4. art. 1. concl. 5. merito ab alijs rejici, & damari erroris in fide, à gravissimis Theologis, quos initio sectionis citavimus.

In contrarium citantur primò ab illis multi Doctores, sed non satis fideliter, vt consulti loca patebit. Nullus enim Catholicorum huic errori adhæsit omnino, ac ne quidem Ocamus & Gabriel supra citati. Nam Ocamus in prædicta dist. q. 4. concl. 1. in fine, ait debere concedi in divinis relationes, propter auctoritatem Patrum. Patres autem loquuntur de relationibus realibus & intrinsecis, supra ostendimus. Gabriel verò loco supra citato dicit se cedere, quicquid sibi videatur, seniori sententia.

Secundò, imponunt manifestè Suariquod dixerit lib. 5. de Trin. cap. 1. num. 3. non consistere vilo testimonio Scripturæ, Patrum, vel Conciliorum quæ sint in Deo relationes reales. Nam ipse planè oppositum asserit nempe ex testimoniis à se relatis certè consistere, esse in Deo relationes, & eas esse reales: licet enim testimonia relata non habeant expressè nomen realis: satis tamen in illis contineri, & virumque æquè certum esse.

Tertiò, conantur eludere auctoritates Conciliorum, & Patrum, supra relatas, dicendo esse quidem veras & reales relationes activè sumptas, id est, conceptus nostros referentes unam personam ad aliam: & nomina illis conceptibus relatiuis significandis imposta, esse verè nomina relatiua, id est, relatiuè significatiua: itemque personas divinas esse relationes passivas, id est, posse referri, vel actu referri conceptibus nostris, & significari nominibus relatiuis quæ respondent nostris conceptibus. At non per se propriè & intrinsecè referri ad se invicem. Sic, inquit, licet substantia improducta sit planè idem, quod pater aut paternitas: non refertur tamen per conceptum aut nomen substantiæ improductæ, sed per conceptum aut nomen patris.

Sed contra: quia hæc evasio manifestè repugnat verbis Conciliorum, & Patrum, relatis & expensis numero 2. 3. & 7. Aijunt enim personas divinas, id quod sunt esse ad aliam: & constitui ac distingui realiter per relationes. Evidens autem est quod personæ divinæ non sint conceptus nostri, aut nomina conceptibus nostris significandis imposta, quodque non constituantur & distinguantur realiter ab invicem per nomina, vel per nostros conceptus. Iisdem testimoniis patet esse falsum pariter quod aijunt, Patres & Concilia asserere tantum, Patrem dici relatiuè ad filium, non autem per se intrinsecè referri. Nam Concilium VVormatiense supra citatum dicit Patrem id quod est, esse ad filium. Pater autem est

intrinsecè id quod est. Et Toletan. XI. *Quod ad invicem sunt*, inquit: non autem, quod ad invicem dicuntur. Et sanctus Augustinus *Quid magis non unum quam tu, si alicuius es quod es?* Nota, si alicuius est non autem: si alicuius esse diceris aut conciperis. Quare hæc explicatio, seu potius corruptio Conciliorum & Patrum, non satisfacit.

Quod si aliquando Patres afferunt personas divinas dici relativè: intelligunt verè dici, quia verè tales sunt. Sicut iidem & Scriptura dicunt Christum vocari Dei Filium unigenitum, quia verè talis est. Et hoc patet, quia tum Scriptura, tum Patres, dant utriusque nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti, tanquam propria & substantialia illarum personarum, significantia id quod sunt propriè & substantialiter: aiuntque non posse unam personam sine altera cognosci. Quod falsum esset, si tantum essent extrinsecè relativæ per voces, aut per conceptus nostros. Quamvis enim possent à nobis concipi relativè & comparativè: non tamen necessariò deberent, sed possent etiam perfectè concipi absolute. Sicut album v.g. potest perfectè concipi, quamvis non concipiatur esse simile alteri, per conceptum comparativum. Aiunt etiam sancti Patres, unam personam non posse esse sine altera. Indeque probant contra Arianos Filium esse ab æterno, quia Pater est ab æterno. Supponentes nimirum personam, quæ est Pater, esse Patrem substantialiter: & eodem esse personam, quo est Pater & generans: ideoque sine Filio sibi coæterno esse non posse.

Quarò, obliunt has præcipuè rationes, quibus, tum generaliter relationes omnes, tum speciaiter divinas impugnant. Prima est, quia si darentur relationes, non possent cognosci sine termino distincto. At consequens est falsum. Ergo antecedens. Probatur minor. Nam quicquid realiter ab alio distinguitur, potest ad illud per cognitionem comparari. Ergo cognitione quæ fertur in unum secundum id quod differt ab alio, non feretur in aliud. Respondeo, concessa maiore, nego minorem. Ad cuius probationem dico nullam esse consequentiam, quæ inferret ex vero antecedente. Nam potius impossibile est comparare unum cum alio, absque eo quod utriusque cognoscatur actu illo comparativo.

Secundà ratio: Si darentur huiusmodi relationes inter personas divinas, darentur quoque inter creaturas producentes & productas. Consequens est falsum. Ergo & Antecedens. Minorem probant, quia principium productivum creatum non habet ullam relationem realem ad effectum. Nam omne principium productivum, per id formaliter est productivum principium, vi cuius potest ponere effectum. Atqui principium productivum, potest ponere effe-

ctum vi suæ entitatis absolute: ergo principium productivum est aliquid absolute. Ex. gr. ignis, quæ ignis, est principium productivum alterius ignis: Alioqui non esset causa vniuoca. Nomen autem, ignis, significat rem absolute. Similiter male finguntur tales respectus propter rerum dependentias. Nam per id ipsum formaliter res pendet ab alia, per quod seu secundum quod formaliter est ab illa. Sed quælibet res creata absolute, vt distincta à quocunque alio, secundum id quod absolute est, est à sua causa: ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, nego minorem, cum eo quod assumitur, ad eius probationem. Nullum enim principium creatum productivum alterius ex natura sua, est absolute: sed hoc ipso est respectivum per se formaliter, & tendit naturam suam ad effectum. Atque ita ignis v.g. à parte rei est quid relativum transcendentaliter, licet nomine ignis non significetur relativè. Nomina enim non exprimunt quicquid res est. Similiterque res quæ ex natura sua pendet ab alio, vt creatura à Deo, accidentia à subiecto, &c. sunt hoc ipso relativæ transcendentaliter, per seipsas formaliter, non per aliud superadditum. Ita vt quicquid sunt à parte rei, sit relativum intrinsecè, seu ratio ad aliud à quo se totis pendet. Possunt nihilominus res illæ cognosci imperfectè conceptu absolute. Quia licet sint à totis accidentia v.g. creatura: attinguntur tamen confuse & imperfectè non cognoscendo quod sint accidentia, vel quod sint creatura. Nam visio Ex. gr. non cognoscit albedinem, tanquam accidens: & nihilo minus, neque aliter cognosceret, ac nunc cognoscit, si substantia per seipsam formaliter alba esset. Et quamvis albedo se tota inhæreat: non tamen oculus videt inhærentem. Similiter tactus non discernit an frigus vel calor sit accidens. Et cum actus nostros vitales experientia ipsa evidenti cognoscimus, non discernimus sintne materiales an spirituales: & sintne realiter distincti à principio vitali tanquam accidentia phisica: an cum illo identificentur, sintque realiter ipsa substantia principij viventis taliter se habent?

Tertia ratio: Si quæ sunt, quæ per se intrinsecè referantur ad aliud, maxime actus cognitionis, & amoris, tam in Deo quam in creaturis; quippe qui dicuntur esse vitales tendentia in obiectum. Sed hoc dici non potest: quia cognitio, & amor Dei, est ipsa eius essentia. Ergo si est intrinsecè relata ad obiecta, quæ cognoscit & amat, non potest cognosci nisi cognitis simul, & visus illis obiectis: relatio enim non potest cognosci sine suo termino. Sed hoc posito nullus Beatorum videret Deum sicuti est, quod tamen est de fide: quia nemo videret cognitionem & volitionem essentialem, quæ non pos-

9. Solutur primum argumentum contra sententiam.

10. Secundum argumentum.

vent videri, nisi cognitis obiectis infinitis, ad quæ haberent ordinem. Nullus autem Beatorum potest cognoscere infinita: ergo &c. Quomodo autem qui non videt animam rationalem & corpus, non videt hominem ita qui non videt totam essentiam diuinam, non videt Deum. Addunt male colligi cognitionem referri ad obiectum, eo quod sit illius expressio: quia imago picta non est relatio transcendentalis ad prototypum, quamuis illud exprimat. Illud enim representat per colores, & lineas seu figuras, quæ nullum ex natura sua dicunt ordinem ad prototypum.

13. Respondeo primò, actus intelligendi & volendi esse essentialiter & ex natura sua tendentias vitales in obiectum: & esse experientia ipsa manifestum: quod nunquam actus nostri intelligendi & volendi cognoscantur à nobis, (vt certe cognoscuntur experimentaliter) nisi comparatiuè, & in ordine ad obiectum, esseque omnino inintelligibile, quomodo possint aliter concipi. Si autem sunt tendentia ad obiectum ex natura sua, sunt respectus & relatio ad obiectum ex natura sua. Tendere enim ad aliud, est ferri seu referri ad illud. Sic actus voluntatis v.g. qui dicitur in intentio finis, est intentio seu tendentia in finem: cumque ex natura sua propriaque ratione essentiali intendit finem, tendit in finem: adeoque habet tendentiam huc ordinem & relationem ad finem. Fatai autem vnum ex natura sua tendere ad aliud, & negare referri ad ordinari ad illud, est admittere apertam contradictionem in terminis.

14. Respondeo secundò, Beatos videre Deum sicuti est, id est, in seipsa, & non per alienam speciem: & videre Deum totum physicè, sed non totum virtualiter, id est, secundum totam virtuales amplitudinem, intensiuam, & extensiuam, cognitionis, volitionis, affectionisque Dei attributorum. Verum epim est quod ait Minutius Felix in Octauio, *Soli sibi quantum est, notus est.* Et est de fide, vel fidei proximum, Deum à nullo Beatorum comprehendi, id est, cognosci quantum cognoscibilis est, ita vt nihil eius lateat cognoscentem, vt offendimus disput. 8. sect. 6. Cum autem dicitur non posse cognosci relatum sine omnibus iis ad quæ refertur; verum illud est de cognitione perfecta & adæquata: sed nullus Beatorum habet talem de Deo cognitionem.

15. Respondeo tertio, cognitionem referri intrinsicè ad obiectum, non ex eo quod sit illius expressio vel similitudo qualiscunque: sed ex eo quod sit vitalis tendentia ad obiectum ex natura sua, sine quo etiam obiectiuè terminante, nec esse, nec intelligi potest cognitio, vt cognitio est à parte rei, siue sit entitas, siue sit modus se habendi principii vitalis. Imago autem Regis v. g. secundum id quod est à parte rei, potest sine Rege intelligi & esse;

neque ad illum per se, & ex natura sua ordinatur: sed denominatur illi similis, propter colores & lineamenta eiusdem rationis & proportionis cum externa Regis figura.

## SECTIO II.

*An relationes diuinarum personarum sint transcendentales, vel categoricæ?*

16. Respondeo, esse transcendentales, cum **R**aniga disput. 3. de Trinitate dub. 3. num. 2. vbi addit neminem posse id diffiniri, quamuis Auctores id expressè non dicant, quia hoc dubium non tractant. Ratio est, quia relationes categoricæ dicuntur esse illius naturæ, vt purè terminum respiciant, neque vllum aliud munus circa illum exercent, aut ab illo patiantur. At qui relationes personarum diuinarum nos respiciunt purè terminum: sed relationes quidem personarum producentium produunt suos terminos, illosque respiciunt tanquam à se productos; relationes verò personarum productarum respiciunt terminos suos tanquam principia à quibus producantur. Ergo non sunt categoricæ; sed transcendentales.

17. Habent tamen hæ relationes multa quæ assertores relationum categoricarum illis conuenire dicunt. Primò, quod totum id quod sunt, ad aliud sunt. Nam Pater, totum id quod est substantialiter quæ Pater, ad Filium est. Et spirator, ad Spiritum sanctum: ac vice versa Filius est ad Patrem; & Spiritus sanctus, ad spiratorem. Secundò, quod impossibile est existere relationem categoricam non existente termino, & vnum relatum esse sine alio correlato. Nam absolute impossibile est Patrem esse sine Filio, & spiratorem sine Spiritu sancto. Tertio, quod sint simul cognitione. Nam impossibile est cognosci perfectè & adæquate Patrem sine Filio, & spiratorem sine Spiritu sancto: ac vice versa, Filium sine Patre, & Spiritum sanctum sine spiratore: non tantum conceptu respondente nominibus illis relatiuis, quod manifestum est: sed etiam conceptu personas ipsas substantialiter attingente, secundum id quod sunt substantialiter à parte rei.

Auctore verò citatus dub. 2. eiusdem disput. numero 3 & 4. cepit. Altera relationes transcendentales, admittendas esse categoricæ inter personas diuinas. Ratio eius est, quia in Deo est vera paternitas & filiatio, imò magis proprie quàm in creaturis, iuxta illud Ephes. 1. *Et quo omnis paternitas in celis & in terra nominatur.* Sed

14. Beati non vident Deum totaliter.

15.

Sed paternitas & filiatio sunt veri respectus prædicamentales: ergo &c. Idemque est de relationibus spiratoris & spirati: quia non est, aut magis inter patrem & filium sint relationes prædicamentales, quam inter spiratorem & spiratum. Confirmat, quia inquit, si productionem creatam necessario comitatur prædicamentalis relatio inter producens & productum, ipsa distincta à productione; etiam in Deo productionem ad intra comitatur relatio prædicamentalis, saltem ratione distincta à productione: quia non magis dicit imperfectionem, quam productio.

19. Re. rationes categoricas non sunt vere & realiter

Verum melius sentiunt illi, quorum ipse confute meminit ibidem num. 2. relationes illas categoricas non esse veras & reales relationes: sed tantum esse denominationes extrinsecas, & relationes rationis, vel secundum dici. Ita ut in creatis paternitas & filiatio non sint alia relatio realis, quam generatio activa & passiva, quibus Pater & filius se mutuo respectant respectu transcentuali, ut producens & productum: ac proinde esse Patrem & Filium, non sit aliud in re, quam esse genitorem & genitum. Quod si tractata generatione vocantur adhuc Pater & Filius: illud non est propter relationem categoricam resultantem ex generatione, perseverantemque quamdiu persone illæ existunt: sed citra talem resultantiam, superfluum & fictitium, potest denominari Pater, eo ipso quod filium genuit, & ille adhuc existit. Adde ut nomen Patris significet in re personam quæ genuit, & connotet generationem, & filium vi eius existentem: significetque hunc qui dicitur filius, genitum esse ab alio qui dicitur pater, & ambos existere in rerum natura. Illeque est conceptus quem naturali lumine formant omnes non præoccupati contraria opinione. Idem est iudicium de omnibus alijs relationibus categoricis quæ dicuntur fundari in actione & passione.

Probat. præd. de relationibus quæ dicuntur fundari in actione & passione

20. Probat. 1. de illis quæ fundantur in unitate vel multitudine.

Alia verò duo earum genera, quæ dicuntur fundari in unitate vel multitudine seu diversitate, & in mensura, non minus evidenter apparent superflua. Frustra enim finguntur, & improbabilius respectus intrinseci respondententes his conceptibus & nominibus, idem vel diversum, simile vel dissimile, æquale vel inæquale, maius vel minus, coexistens, distans, præsens &c. Nam qualibet substantia, hoc ipso quod est talis speciei, pura quod homo; est idem essentialiter, id est, non dissimilis essentia, cum qualibet alia existente quæ sit etiam homo. Est idem, inquam, per seipsam, & non per aliquam relationem accidentalem, per quam potius constitueretur diversa, quæque est plane superflua, ut res sit & dicatur eadem: quasi verò nisi ipsa resul-

taret, hic homo foret dissimilis essentia ab altero. Adde quod plane improbabilius fingitur resultare illa relatio in homine existente in Oriente, nascente altero in extremo Occidente, aut creato longissime procul in spatijs imaginarijs. Quomodo enim vnus in alterum influit aut determinat ex tanta distantia?

Adde præterea quod illæ relationes identitatis, resultantibus in utroque, non minus sunt eiusdem essentia inter se, id est, non dissimilis; quam duæ natura. Vel ergo sunt idem per seipsas, vel per alias relationes identitatis. Si primum: ergo & duæ nature humanae sunt idem per seipsas, quippe quæ non minus conveniunt inter se per se ipsas, quam duæ illæ relationes. Si secundum: Datur processus in infinitum: quia illæ alia relationes, per quas priores sunt idem, sunt quoque idem inter se; per alias scilicet, & hæc per alias, & sic in infinitum.

21. Confirmatur pluribus argumentis

Adde tertio, neminem esse qui non videat duos homines esse natura similes, quamvis non videat relationem identitatis, neque de illa cogitet: de qua tantum cogitant homines contraria opinione præoccupati. Qui si consulant seipsos, facile intelligent, hominem unum esse eiusdem natura cum altero, non esse idem formaliter, atque unum pure respectu alterum, quemadmodum ipsi male imaginantur.

Similiter homo seipso formaliter est diversus & dissimilis leoni, & cuicumque alteri non eiusdem speciei. Per id enim formaliter unum quodque differt ab alio, per quod est id quod est: & non per relationem superadditam re vel ratione, quæ ad hoc plane superflua & inutilis est. Imo si daretur, res ab illa differret per seipsam. Item quod patres sit mihi dexter, est mera denominatio extrinseca à coexistentia patris in parte illa, in qua est mera dexter. Per duo quanta distans se ipsis ab invicem, hoc ipso quod inter illa immota aliquid interijcitur aut interijci potest. Sicut verò præsentia immediate, siue corrigua formaliter, hoc ipso quod inter ipsa immota nihil potest interijci. Et duo homines coexistunt, eo ipso quod uterque existit in eodem tempore. Uterque autem per seipsum existit, & implet tale tempus sua duratione formaliter, non autem per relationem quæ si interveniret, uterque illi coexistere per se ipsum.

Duo verò alba esse similia, vel duo quanta esse æqualia, nihil aliud est, quam utrumque habere albedinem, aut utrumque habere v. g. palmarem extensionem. Hoc enim ipso quod utrumque habet albedinem, aut palmarem extensionem; est simile, & æquale, quocumque alio dempto re vel ratione distincto. Quare non constituitur simile, aut æquale, per aliquid re vel ratione superveniens per modum respectus realis: sed utrumque absolutum est, album & album, palmare & palmare. Dicitur verò simile, vel æquale, nominis

22.



comparatio & connotatio, propter actum intellectus utrumque comparantis. Relationes autem categoricae, quae dicuntur aduenire, non modo sunt superfluae; sed & valde importunae, ac per se incredibiles. Superfluae quidem: quia res illa, sublata omni relatione, distincta re vel ratione non minus sunt seipsis similes aut aequales: ac prius sunt similes aut aequales per se ipsas, quam resilet aut concipiatur resultare in ipsis relatio similitudinis aut aequalitatis. Quando autem res habet aliquid per se formaliter; perpetuo nec additur illi alia forma distincta, quae dicatur constitui talis. Sunt vero per se incredibiles: quia per se improbable apparet, posita vel unicare noua in rerum natura resultare in omnibus alijs relationes similitudinis vel dissimilitudinis, per quas sint illi similes vel dissimiles, excepto solo Deo, qui tamen non minus est per se dissimilis aut diuersus à tali creatura, sed multo magis. Et qualibet res, hoc ipso quod est talis natura, est se ipsa formaliter similis omnibus tali natura constantibus: & dissimilis, seu diuersa rationis ab omnibus habentibus aliam naturam: estque plane impossibile non esse diuersa rationis, sublata quacunque ratione vel formalitate, quae fingitur aduenire.

Dei que relatio scientiae ad scibile, & intellectus ad intelligibile, non est alia quam transcendentalis, estque ipsamet natura intellectus & scientiae, per se tendens ad obiectum. Idemque dicitur de alijs huiusmodi relationibus tertij generis, quae dicuntur fundari in mensura. Concludo itaque nullas esse nec in diuinis, nec in creatis, relationes veras & reales, praeter transcendentales. In quo habemus consentientes Aureolum in 1. dist. 30. art. 2. Durand. eadem distinct. quaest. 2. Gabriel. ibidem q. 1. & sequentibus, Gregor. dist. 28. Ocamum dist. 30. quaest. 2. & sequentibus, & alios, quibus è Recentioribus accedit Hurtadus disp. 15. Metaphys. sect. 2. vbi fufius exponit & confirmat hanc sententiam.

## SECTIO III.

An, & quomodo relationes personarum diuinarum distinguantur ab essentia?

25.  
Relationes diuinae distinguuntur ratione ab essentia.

Respondeo distinguuntur, non realiter quidem, seu quouis alio modo à parte rei formaliter aut modaliter: sed virtualiter tantum, seu ratione cum fundamento in re.

Et primo quidem quod distinguantur aliquo modo, ratione saltem, & virtualiter, manifestum est primo, & per experientiam Gentilium Philosophorum, qui naturali lumine Deum esse agnouerunt, Roman. 1. v.

20. & tamen relationes personarum diuinarum non agnouerunt, sed perinde illas ignorarunt ac si non essent: quippe quae non possunt cognosci formaliter vt tales, ne reuelatione, iuxta illud Christi Math. 11. *Quis nouit filium nisi pater, neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.*

Patec secundò euidenti ratione. Nam essentia diuina non solum in suo conceptu non includit formaliter relationes & proprietates personarum; sed etiam re ipsa est formaliter in vna persona, sine relatione seu proprietate alterius. Ita vt verum sit dicere, essentia communicatur Filio à Patre, paternitas vero non communicatur. *Omnis enim que habet Pater dedit Filio, praeter esse patrem, vt ait Florentia. in Vteris Vnionis.* Item essentia non generat, neque generatur, neque procedit: Pater vero generat, Filius gignitur, & Spiritus sanctus procedit, vt definit Lateranense cap. *Damnatus.* Atque ea de quibus verificantur duo contraeclia, debent saltem ratione distingui. Est enim euidenter impossibile posse idem, secundum idem omnino re & ratione, vere affirmari & negari simul: & non sufficere solati, nominum diuersitatem ad vitandam contradictionem. Posito enim quod ensis, & gladius v. g. idem omnino significent, vt Graecum *Deus*, & Lat. *Deus*; impossibile est quidquam vere negari de ente, quod vere affirmatur de gladio. Et a quo impossibile est quidquam vere affirmari de ente, quod non tam vere affirmetur de gladio. Quare tam verum est dicere, essentia generat, quam, Pater aut paternitas generat: & Paternitas communicatur filio, & que ac, essentia communicatur filio. Et, essentia distinguitur realiter à filio: aequae ac, Pater distinguitur realiter à filio. Et, essentia diuina est triplex realiter; aequae ac, Persona est triplex realiter. Euidens item est hoc ipso quod dicitur essentiam communicari filio, & paternitate non comunicari filio, praescindendi per mentem essentiam à paternitate. Nam praescindere per affirmationem, est praescindere per mentem affirmantem. Affirmare autem de essentia quod communicatur, & non idem affirmare de proprietate, est praescindere per affirmationem. Sicut enim praescindere per apprehensionem, est apprehendere vnum, & non apprehendere aliud cum quo realiter idem est: Ita praescindere per affirmationem est affirmare de vno, & non affirmare idem de alio, quamuis realiter identificato.

Probatu tertio ex Concilio quae manifeste docent aliquam esse distinctionem virtuales saltem & rationis inter essentiam & proprietates personarum diuinarum, Nam Concilia Tolerana, sextum & vndecimum in ipsa fidei professione affirmant solum filium assumpsisse humanitatem, in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati, id est, in proprietate filij, non in essentia quae est communis. Ergo admittenda est

VI. synod.

distinctio rationis inter essentiam & proprietatem Filij, fatendumque esse in Filio aliquid proprium, & aliquid commune. In sexta Synodo generali actione XI. in epistola Sophronij quæ approbatur actione XIII. clarè docetur, distinctionem esse rationis inter essentiam diuinam & proprietates, his verbis: *Et iuxta quod Deus est, id ipsum existit unumquodque, id est, vnaquæque persona quæ Deus est, siue secundum Deitatem, vnum & idem est cum alijs personis, quia non differant secundum diuinam essentiam: dum seorsim consideratur, id est, dum præcisè concipitur persona diuina quatenus Deus est, siue secundum Deitatem, ipsa intelligentiâ, quod non separabile, separante, id est, separante per conceptum præcisiuum intellectu nostro id quod realiter non potest separari, nempe Deitatem à proprietate personali, à qua non potest auelli realiter: ut Pater tamen & Filius, & Spiritus sanctus, aliud, & aliud, & aliud non dicantur, id est, non ceantur differre essentiâ, quamuis differant proprietatibus. Quia enim vox, aliud, significat diuersum in essentia: non possunt dici aliud & aliud, sed tantum aliis & alijs, id est, alia & alia persona. Eadem distinctio aperte supponitur ab eodem Concilio generali sexto, actione 8. sub finem, §. Discreta est autem; tom. 5. nouæ editionis pag. 109. afferente Patrem & Spiritum sanctum in Incarnatione, nihil habere commune præter benignissimam voluntatem. Hinc enim clare sequitur, non totam Verbi entitatem secundum se totam, id est, quæ essentiam & quæ proprietatem, terminasse vnionem. Alioquin enim Pater & Spiritus sanctus habuissent aliquid commune in illa terminatione, nempe essentiam, quæ ipsis æquæ ac Filio conuenit. Si autem Filius terminauit secundum proprietatem, non secundum essentiam: est manifestè præcisio & distinctio rationis inter essentiam & proprietatem. Quia quod affirmatur sine includitur in affirmatione, præscinditur ab eo quod non affirmatur, seu non includitur in affirmatione, sed ab ea excluditur. Estque impossibile prædicari verè contradictoria de aliquo sine aliqua distinctione reali vel rationis. Affirmatur autem de proprietate quod terminet: idemque non affirmatur, sed negatur de essentia: Ergo &c.*

28. Florétiu.

Item in Florétiu sess. 18. §. Diuina substantia, Ioannes Theologus Ecclesia Latinæ doctrinam exponens, approbatam à Marco Theologo nomine Græcæ Ecclesiæ, toto Concilio ecclitè consentiente, imo expressè locis mox citandis ex sess. vltima, sic ait: *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectiōnis nostræ differre videntur. Nam persona ex substantia proprietatibus se constitit: quæ tamen ratione ac secundum nostram intelligentiam (ut supra dictum est) differant: ipsa tamen substantia cum personis communicat, proprietates verò nequaquam communicabiles sunt.* Et sess. vlt. in fidei confessione missa à Latinis ad Græcos, sic dicitur:

*Ne substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus & personis differre credere videamur: Idcirco &c.* Quibus verbis significant Patres Ecclesiæ Latinæ se credere quidem distinguere substantiam diuinam à personis, ideoque velle videri id credere, seu non refugere hanc existimationem Græcorum quod id credant: & non credere distinguere in re, ideoque nolle videri id credere. Et eadem velt. in literis vnionis, id est, in fidei definitionibus, sic dicitur: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem.* Vbi Concilium manifestè distinguit tum essentiam communem à Paternitate, affirmans illam dari Filio, non istam; tum etiam ipsa attributa essentialia. Qui enim dicit, *Omnia*; dicit multa. Qui autem dicit *multa*, dicit distinctionem aliquam, sine qua impossibile est esse multa. Ex his facile est iudicare quàm sit à vero aliena contraria sententia.

29. Occurrit obiectio.

Perperam verò nobis obijciunt aliqui illud Concilij Rhemenfis, *In Theologia inter essentiam & personas ratio non distinguat.* Nam ut ostendimus disp. 3. num. 47. Concilium Rhemense intelligit & damnat illam propositionem in sensu quo asserebatur à Gilberto Porretano, qui per distinctionem rationis in Theologia, intelligebat veram distinctionem existentem in re: non autem solam distinctionem conceptuum obiectiuorum per extrinsecam denominationem ab intellectu nostro in eam quæ concipitur, quam vocabat distinctionem rationis in Mathematica, separantem scilicet per mentem eas quæ sunt indistincta à parte rei, quemadmodum Mathematici separant conceptu extensiones in longum, latum, & profundum, à rebus extensis: & numerum à rebus numeratis: cum tamen res extensæ sint formaliter realiter per se ipsas extensæ, hoc ipso quod habent partes extra partes singulariter, circumscripto quouis alio à parte rei distincto: & res quæ numerantur, sint se numerus per se ipsas formaliter realiter, non autem per formam superaditam ab ipsis distinctam.

Plura contra hunc errorem videri possunt disp. cit. Non omittam tamen hic addere, id quod notat Didacus Ruis disp. 12. sect. 1. Nominales habere pro dicibus Arianos & Eunomianos, qui acriter impugnant distinctionem rationis, quia videbant illam necessariam esse Catholicis ut consubstantialitatem Filij, & Trinitatis mysterium defenderent.

30. Grauis difficultas.

Difficilius verò est illud alterum quod initio diximus, relationes & proprietates personarum non distinguere realiter ab essentia, neque vilo alio modo, seu formaliter, seu modaliter à parte rei. Ratio difficultatis est, quia illa distinguuntur actu à parte rei, de quibus actu à parte rei, nempe cogitante, verificantur duo contradictoria. Atqui essentia diuina, & relationes personales sunt huiusmodi, ut de illis actu à parte rei nempe

INO  
S  
PART

ne cogitante verificentur duo contradictoria: ergo &c. Probatur Minor, quia essentia non generat actu à parte rei, neque generatur: Pater verò generat actu à parte rei, & Filius generatur. Essentia comunicatur actu à parte rei Filio, & paternitas non comunicatur actu. Secundo, ea quorum vnum est in re sine alio, distinguuntur in re. Atqui natura & proprietates ita se habent: ergo distinguuntur in re. Probatur Minor: quia natura comunicatur in re sine proprietate, & reperitur in aliquo sine illa. Nam in Filio v.g. est natura diuina eadem numero quae est in Patre: proprietates verò Patris non est in Filio formaliter alioquin illum constitueret esse patris. Tertio, tres illi, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non possunt esse tres distincti, nisi ultra naturam consent aliquo reali, quo distinguantur. Ergo addunt aliquid reale. Atqui quod est idem re cum alio, non addit aliquid reale: ergo &c.

31. Relationes personales non distinguuntur in re à natura.

Propter hæc & similia Gilbertus Porretanus, damnatus in Concilio Rhemenfi, Secutus in 1. dist. 1. q. 7. & Durand. in 1. dist. 33. quest. 1. & dist. 34. quest. 2. senserunt proprietates personales distinguui in re ab essentia. Sed merito rejicitur ab alijs eorum sententia, velut dissentanea Concilij & sanctis Patribus. Nam Concilium Rhemense art. 3. sic habet: *Criminus nullas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates sine vniuersali a se habere, adesse Deo, quae sint ab eo, & non sint Deo.* Atqui si relationes distinguerentur in re à Deo, non essent Deus: quia non constituerentur Deitate, & essent tantum aliquid Dei.

32. Lateranen.

Deinde Concilium Lateranense cap. Firmiter, de summa Trinitate, asserit Deum esse summè simplicem. Atqui non esset summè simplex si inter, essentiam & proprietates esset distinctio in re: Deus enim ex illis, vt distinctis & vnitis, constitueretur: & qualibet persona diuina componeretur ex essentia & proprietate personali, non identificatis inter se, sed vnitis: vel alioquin esset aggregatum ex multis, vt alibi ostendimus disp. 3. sect. 2. vbi etiam Scoti effugia refutauimus. Tertio, idem Concilium cap. Damnamus, definit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnâ naturam simplicem omnino. Et non esse in Deo quatenus naturam, sed tantum Trinitatem: quia qualibet trium personarum est illa res summa, videlicet natura seu essentia diuina. Atqui si proprietates, seu relationes essent in re distinctae ab essentia, esset quaedam quaternitas: quia ultra tres personas distinctas, esset essentia re ab illis distincta. Item si proprietates distinguerentur in re ab essentia, falsum esset quod ait idem Concilium, quamlibet trium personarum esse essentiam. Nam quaelibet ex parte proprietatis distingueretur in re ab essentia, & persona se haberet ad essentiam, vt includeus ad inclusum, & vt totum ad partem. Atqui id quod distinguitur in re ab alio, non est illud: & totum non est pars; ergo persona non esset

essentia. Item Concilium Florentin. sess. 28. in confessione fidei missa à Latinis ad Græcos sic habet: *Ne substantia in re, non autem sola ratione ab hypostasis & personis differere credere videamus &c.* Itaque credere distinguere re, est credere contra metem & fidem illius Concilij Oecumenici. Testimonia SS. Patrum contra eundem errorem videri possunt apud Suarez lib. 4. de Trin. cap. 4. num. 7. & Didacum Ruis disp. 11. sect. 3. & 4.

Ad primum argumentum in contrarium propositum supra num. 30. Respondeo, ad fundandam veritatem contradictoriorum apparenter sufficere virtutem amplitudinem rei simplicis, & æquiualentiam ad multa, quam vocamus distinctionem rationis fundamentalem (id est fundamentum formandi conceptus diuersos & multiformes) & distinctionem virtutalem in re. Sufficere, inquam, ad hoc vt de re illa quatenus æquiualeat vni, asseratur verè aliquid, quod verè negatur de illa prout æquiualeat alteri: quia non conuenit illi ratione huius æquiualentiae; & si hanc solam æquiualentiam haberet, omnino illi rei non conueniret tale predicatum. Ex gr. anima rationalis, æquiualeat simplici sua entitate formis plantarum in virtute vegetandi, & formis brutorum in virtute sentiendi, & aliquatenus Angelis in virtute intelligendi: estque verum de illa dicere, virtutè intelligendi illi cõuenire quàm esse est, id est, quatenus æquiualeat Angelis: & non conuenire illi quàm anima est, sumendo nomen animæ pro eadem quatenus vegetans & sentiens est. Sic etiam licet in re sit eadem potentia volendi quæ est principium liberum, & principium operandi in modum naturæ: si tamen secundum priorem considerationem vocetur libertas, & secundum posteriorem vocetur natura: tunc de eadem re verum dicere, Libertas eligit: Natura non eligit. Libertas peccat: Natura non peccat, & similia. Sic ergo vna & eadem entitas potest diuersa ratione habere quaedam diuersa: & de illa secundum vnâ considerationem potest affirmari aliquid verè, quia verè & actu à parte rei conuenit illi secundum illam considerationem: & negari verè de eadem secundum aliam considerationem, quia verè & actu à parte rei non conuenit illi secundum illam considerationem seu æquiualentiam. Aequiualeat autem diuina entitas eadem & simplex atque indiuisibilis reati, essentia, & diuersis hypostasis atque virtutibus, seu feceriditibus rerum creaturarum: ratione cuius amplitudinis potest suscipere diuersa & contraria predicata, verificata secundum diuersas æquiualentias.

Ad secundum Respond. negando Minorem. Nam vt vna ratio communicetur sine alia, fitque formaliter in aliquo, in quo non fit alia, sufficit distinctio virtualis supra explicata. Sicut enim nõ est necesse, vt id quod agit, agat omni ratione quæ est actuum, li-

SECTIO IV.

An relationes seu proprietates personarum diuinarum includantur in essentia formaliter?

Affirmat aliqui Thomistae ad q. 28. a. 2. & Valent. in controuersijs lib. j. de Trin. cap. 29. in quarto argumento: moti quibusdam Patrum auctoritatibus & rationibus, quas referemus & diluemus paulo post: propter quos putant proprietates seu relationes personarum esse Deo essentielles & includi in essentia formaliter ac secundum se: non inclusione quidem reali, quia ubi non est distinctio realis, non potest esse realis inclusio, id est, non potest unum realiter includere aliud: sed inclusione rationis, quatenus scilicet conceptus obiectiuus essentiae non praescindit a relationibus: & relationes non distinguuntur ab essentia, ne ratione quidem, nisi inadaequate, quia essentia est aliquid amplius quam relationes: unde ad illas comparatur ut totum ad partem, & ut includens ad inclusum.

Contraria & vera sententia est Aletius j. p. q. 68. membro 5. art. 5. in fine, Ricardi in 1. dist. 34. art. 1. q. j. & 2. D. Bonauenturae ibidem art. vnico q. j. & 2. Carthusiani ibidem. Argentina q. vnica ad eandem distinctionem, §. Tertio quo, mouit. q. 28. art. 2. disp. 6. Suarez 4. cap. 4. Valsq. disp. 121. cap. 2. Cuniga disp. 3. dub. 17. & 18. Ruis disp. 14. sect. 2. quibus adde S. Thom. in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. in corp. ubi ait, Verum respectum pertinere ad naturam relationis, quae non pertinet ad rationem essentiae. Et p. q. 33. art. 3. ad 1. dicit communia includi in conceptu propriorum in diuinis: sed non vice versa. Sumimus autem hinc pro eodem relationes & proprietates: quia personae diuinae nihil habent proprium, nisi relatiue opponatur alteri personae cui non conuenit.

Probat primo ex Scripturae affirmante tota plenitudine diuinitatis, id est, totam essentiam diuinam, esse plene & perfecte in qualibet persona. Quo sensu Paulus de Christo ait Coloss. 2. In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nimirum, quia Verbum in eo inhabitabat propter vnionem hypostaticam. Neque enim Paulus hoc tantum ait propter circumfessionem personarum aliarum in alijs: sed propterea quod in ipso met Verbo, & consequenter in Christo ratione Verbi, est essentia diuina plene atque perfecte. Unde Filius perfecte Deus est. Quod alludit Concilium Nicaenum verbis infra referendis, aiens, Filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, plenum a pleno: Et Damasceni, lib. 3. de fide cap. 6. Totam, inquit, naturam in quauis personarum suarum perfecte esse: totam in patre, totam in Filio, totam in spiritu sancto, confitemur. Ob idque, & Pater perfectus Deus est, & Fi-

et realiter indistincta: aut quod videtur, uel cognoscitur, uideatur aut cognoscatur omni ratione identificata realiter, ut pluribus exemplis naturalibus ostendimus alibi: ita non est necesse ut quod formaliter communicatur, communicetur omni ratione. Cuius exemplum naturale esse potest in anima rationali, quae non informat omnes corporis partes, quae rationalis, neque quae sentiens est.

Ad tertium Respondeo, tres personas addere naturae communi aliqui reale, non tamen distinctum realiter ab illa, sed ratione tantum: & quod est idem re cum alio, posse tamen addere reale quidpiam ratione sola distinctum mutua vel non mutua praecisione. Sic figura addit extensioni reale quidpiam, scilicet modum se taliter habendi, ratione sola distinctum praecisione non mutua. Et quando eadem extensio successiuè recipit repugnantes figuras, quae libet earum est eadem re cum extensione, neque illi repugnat: licet figurae habeant inter se repugnantiam. Sic etiam res alia modis diuersis a se indistinctos, inter se tamen repugnantes admittit. Et quia omnia non sunt similia, ac nusquam in rebus creatis speratur perfecta imitatio mysterij Trinitatis: nihil inde sequitur: quia non omnia diuina generat debent imitabilia in creaturis. Considerandum uero est, aliud esse asserere quod tam proprietates personarum diuinarum, quam essentia, sint reales: & aliud, quod habeant distinctionem realem a natura. Etenim rationes obiectiuae eiusdem realitatis sunt reales: non tamen distinctae realiter. v. g. in homine, rationes animalis, & rationalis: & in anima ipsa rationali, ratio quae est principium substantialia & formale vegetandi, & quae principium sentiendi aut ratiocinandi, sunt reales, licet non diuersae realiter. Quomodo autem possint proprietates personales identificari realiter essentiae, & tamen distinguui realiter inter se, explicabitur infra sect. 7.

Infrabis, quia illa distinguuntur in re quae Deus uidet esse distincta. Atqui Deus uidet essentiam distinguui a paternitate. Videt enim essentiam communicari Filio, & Paternitatem non illi communicari: Essentiam esse improductam, proprietates uero aliquas esse realiter productas: Paternitatem non generari, neque generare: Patrem uero generare, & Filium generari.

Respondeo, Deum non uidere essentiam & proprietates distinguui nisi virtualiter, cognoscendo virtuale illius simplicis entitatis diuinae amplitudinem & aequiualentiam ad multa: quodque quatenus aequiualeat vni, conuenit illi aliquid non ei conueniens quatenus aequiualeat alteri. Ex. gr. quod illi conueniat communicari, quatenus aequiualeat essentiae rerum creaturarum: & non conueniat illi communicari, quatenus aequiualeat hypostasi creaturae, & fecunditati generandi, atque ipsi generationi actuali, quam habent aliqua creaturae.

37. Vide ne Deus essentiam distinguui a relationibus?

38. Sententia affirmans.

39. Proprietates seu relationes personales non includuntur formaliter in essentia.

40. Probat ex Scriptura.

NO  
PART



lius perfectus Deus: & denique Spiritus sanctus perfectus Deus. Consimili ratione, etiam in incarnatione unius è sancte Trinitatis personis, Dei Verbi, totam ac perfectam diuinitatis naturam cum tota humana natura copulatam fuisse dicimus: ac non partem cum parte. At enim diuinus Apostolus, In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc est in ipsius carne.

41.  
Probatur  
ex Conci-  
lij.

Probatur secundò ex Concilijs paulò post citandis affirmantibus, quamlibet personarum diuinarum esse plenè & perfectè Deum: & totam essentiam communicari personis productis: & quamlibet personarum singillatim esse Deum: & Trinitatem secundum communem essentiam, indiuiduam esse: & secundum personales proprietates, discretam: ac denique in solis relationibus personarum numerum cerni: in substantia verò, seu essentia & Deitate, non cerni nisi vnitatem. Quæ omnia falsa essent, si relationes includerentur formaliter in essentia, essentque essentialia. Nam qualibet personarum diuinarum non est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Ergo non esset plenè & perfectè Deus: contra Concilium Nicænum affirmans filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno, vt refert Gregorius Nazianzen. orat. 50. quæ est de fide Nicæna. Item tota essentia non communicaretur cuilibet personæ productæ, quippe cui non communicatur proprietas & relatio opposita personæ productentis: Contra Concilium Lateran. cap. Damianus, affirmans, Patrem dedisse filio suam totam substantiam. Item qualibet personarum diuinarum singillatim non esset Deus: Deitas: quia qualibet singillatim non est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Contra Concilium Lateranense capitato circa medium, vbi sic ait: Vna quedam summa res vereciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singillatim qualibet eorundem. Et idè in Deo seorsummodo Trinitas est: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina. Item Trinitas non esset indiuidua secundum essentiam, ita vt in essentia non cerneretur nisi vnitatis: discretio verò & numerus sit tantum penes relationes. Nam in essentia ipsa esset distinctio & numerus: siquidem in essentia essent formaliter relationes distinctæ: vnde iterum sic: contra Concilium Florentinum in literis vnionis, & Lateranense cap. Summiter, vbi sic habet: Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta. Et Toleran. XI. in confessio. Fidei: In relatione personarum numerus cernitur: in diuinitatis verò substantia quæ enumeratam se non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad diuinitatem suam: & in hoc numero carent, quod ad se sunt.

42.  
Probatur  
ex Patribus.

Probatur tertio ex Patribus, qui constanter defendunt contra Arium, Eunomium, & Aetium, ingenitum non esse de substantia, natura, vel essentia patris, ne ex opposito inferri posset diuersitas aliqua in natura, siue

substantia inter Patrem & Filium. Quod idem in eodem modo sequeretur, si pateritas esset de ipsius essentia. Ita S. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. Cyrill. Dialogo de Trinit. lib. 7. columna. 4. & 5. Nazian. orat. 32. post med. & orat. 35. circa medium. Item Patres cum Nicæna Synodo constanter affirmarunt, contra Arium, Patrem & Filium esse eundem, id est, eiusdem planè substantiæ. Quod falsum esset, si paternitas & filiatio essent de substantia. Item Cyrill. lib. 2. Theauri cap. 3. paulò post initium, ait differentiam personarum esse, non secundum essentiam, sed secundum relationem, per quam Patris & Filij persona in propria hypostasi constituitur. Et Nazian. orat. 32. dicit relationes circa naturam considerari: & non fecernere substantiam, sed circa substantiam fecerni, vt addit orat. 44. Et Augustin. concione 1. in Psal. 68. parte 1. col. 3. Quicquid est Patris quod Deus est (id est, quatenus Deus est) hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Pater quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantia Filius procul dicitur & Filius Deus. At verò quod pater est, quia non substantia nomen est, sed refertur ad Filium: non sic dicimus Filium Patrem esse: quomodo dicimus Deum esse. Idem & clarius docent Boetius, Isidorus, Anselmus, Damascenus, locis allatis à Didaco Ruus disp. 14. sect. 2. & 3.

43.  
Probatur  
ratione.

Probatur quarto rationibus Theologicis, quibus certò conuincitur. (suppositis ijs quæ fides docet de mysterio Trinitatis) relatione licet sint identicè ipsa essentia, quippe à qua non distinguuntur à parte rei, vt ostendimus sect. 3. tamen nec singulas, nec simul omnes, nec vllam esse formaliter, id est, secundum continentiam formalem & non tantum emiacialè, de essentia Dei, vt Deus est. Prinsò, quia illa essentia est tota cõmunicabilis personis productis, vt vidimus ex Lateranense cap. Damianus: Et vt Florentinum in literis vnionis, aliaque Concilia supra citata docent, Pater dat Filio totam essentiam, eumque constituit in esse pleno & perfecto Dei secundum omnia Deo essentialia: & tamen non dat esse Patrem. Ergo id non est essentialia. Secundò, quicquid est de essentia Dei, conuenit omni quod est essentialiter & perfectè Deus. Sed singule relationes non conueniunt singulis personis, quæ tamen sunt perfectè Deus: ergo non sunt de essentia Dei. Tertio, essentia in ratione essentia est vnica, & ad nullam personam habet oppositionem: contra verò relationes sunt multæ, & habent oppositionem ad inuicem. Quarto, Pater in priori rationis, vel originis, est essentialiter & perfectè Deus. Ergo filiatio ab illo producta, & origine posterior, non est de essentia Dei. Consequenter patet. Antecedens probatur, quia essentia est prior logicè, prioritate virtualis originis, proprietatibus in ipsa fundatis. Atque ita Pater, ratione essentia, est prior

origine logicè filiatione: ratione verò paternitatis, et prior origine eadem filiatione physice & realiter.

44. Soluitur primum argum. contrari.  
Opponit primò Valentia, S. Athanasium in orat. contra Gregales Sabellii dicere, vniuersam plenitudinem & integritatem Deitatis esse Patrem vt patrem, & Filium vt filium, & de Spiritu sancto idem esse existimandum. Respondeo, Athanasium eo loci per integritatem Deitatis intelligere totum & integrum esse Dei, quò vnus & trinus est; asserereque tres personas collectiue sumptas esse totum illud & integrum esse. Reduplicatio verò illa, *patrem vt patrem, & filium vt filium*, probat ad summum essentiam includi in conceptu patris, quò pater est, & filij quò filius est, & Spiritus sancti quò spiritus sanctus est. Quò de re dicemus sect. sequenti.

45. Secundum argum.  
Opponit secundò Nazianzenum orat. 39. in sancta lumina, sic dicere: *Vnum in tribus diuinitas est, & tria vnus, ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel vt magis proprie dicam, quò diuinitas est.* Respondeo, ex his verbis nihil amplius posse inferri, quàm nullam esse distinctionem à parte rei inter diuinitatem & tres personas, in quibus est diuinitas, vel quò magis proprie loquendo sunt ipsæ diuinitas.

Terrium argum.  
Opponit tertio Nazianzenum concessisse Euagrio Monacho essentiam diuinam esse ex tribus personis constitutam. Sed primò, quamuis id concessisset, intelligi posset esse constitutam non in esse essentiali, sed in esse hypostatico. Secundò, nego id concessisse: sed tantum Euagrio obijcenti essentiam diuinam esse ternariam, siue Trinitatem, respondisse, essentiam diuinam esse simplicem & indiuiduam. Habetur id in eius oratione 45. in medio. Alia quò opponit ex auctoritate antiquorum Patrum leuora sunt.

46. Quartum argum.  
Opponitur quartò D. Thomas quò 27. art. 2. ad 3. vbi sic ait: *In ipsa perfectione diuini esse continetur & Verbum, & principium Verbi, sicut & quòcunque ad eius perfectionem pertinent.* Respondeo, diuinum esse dici dupliciter: scilicet diuinum esse Dei, vt vnus est natura; & diuinum esse Dei, vt est trinus, quò plus dicit quàm esse natura, aut esse Dei vt vnus est. Etenim quòlibet trinum personarum est perfecte Deus quoad naturam, non tamen trinus. Quamuis Deus sit etiam trinus non ratione naturæ, sed relationum personalium. S. Thomas igitur, loco citato in obiectione, loquitur de esse diuino sumpto secundo modo, cum ait, in ipsa perfectione diuini esse contineri & Verbum, & principium Verbi &c. si sermo sit de continentia formali. Sin autem tantum de eminentiali, fateamur in natura ipsa contineri eminenter hæc omnia. Verum hæc de inclusione formali disputamus.

47. Quintum argum.  
Opponitur quintò, Quòlibet ens simplicissimum habere vnicam essentiam, quò sit

ratio totius esse ipsius. Atqui Deus est ens simplicissimum. Ergo habet vnicam essentiam, quò sit ratio totius esse, etiam personalis. Item hæc prædicatio, *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, vel est essentialis, vel accidentalis. Non potest dici esse accidentalis. Ergo est essentialis. Ergo pater quò pater, & filius quò filius, sunt quid essentialia.

Ad primum Respondeo, non esse verum quò vnus entis realiter simplicis, ratione tamen & virtualiter compositi atque multiplicis, vnicam sit essentia, quò sit formaliter ratio totius esse ipsius quòmodocunque sumpti. Deus autem licet re simplicissimus sit, non tamen ratione: atque etiam est realiter trinus, non ratione naturæ solius, sed ratione proprietatum, & prout est pater, filius, & Spiritus sanctus. Qui tres sunt distincti realiter, & eatenus multi. Et habent quidem naturam seu essentiam Deitatis communem & vnicam: rationes tamen proprias habent diuersas, ex quibus vnà cum essentia existit ratio totius esse diuini adæquatè sumpti, vt est vnus & trinus. Ita vt quamuis hæc personarum vnicam sit essentia communis, non tamen illa sola sit tota ratio personarum, neque totius esse diuini adæquatè sumpti.

48. Ad secundum Respondeo, prædicationem hanc, *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, esse logicè accidentalem. De ratione naturæ, siue non esse essentialis: esse nihilominus substantialia, physice, tumendo substantiam non pro natura aut essentia, sed pro eo quòd est substantiale quòmodocunque, pertinetque intrinsecè ad constitutionem suppositi substantialis. Est quoque illa prædicatio necessaria, & per se respectu Dei prout Deus naturæ constat. Nam Deo, licet non essentialiter, tamen secundum essentiam conuenit necessarò vt formaliter sit secundus dupliciter, & vt sit terminus vtriusque fecunditatis.

Dices, ex D. Thoma q. 39. art. 6. ad 2. hæc propositio *Deus est pater, & essentia diuina est pater*, est propositio per se: non potest autem reuocari ad alium modum dicendi per se ex quatuor Aristotelicis, quàm ad primum, qui est quando attributum essentialia tribuitur subiecto: ergo &c.

49. Respondeo primò, posse reuocari ad secundum modum dicendi per se, quatenus est prædicatio attributi, non quidem essentiali, sed tamen necessariò conueniens subiecto in modum proprietatis. Secundò, Aristotelem inter propositiones per se recensisse tantum directas. Iste autem sunt indirectæ, *Deus est pater: essentia diuina est pater*: quia subiectum latius patet, & in pluribus reperitur, quàm prædicatur, secunde hæc quòdam modo vt homo ad Petrum, aut animal ad hominem, propter virtualem vniuersalitem naturæ diuinæ.

SECTIO V.

*Relationes, seu proprietates personarum diuinarum includant formaliter essentiam?*

30.  
Status  
questio-  
nis.

Suppono primò, quæstionem esse de in-  
clusionione rationis. Nam cum essentia &  
relatione non distinguantur à parte rei: non  
sunt duo, quorum vnum realiter includatur  
in alio. Itaque quæstio proposita est, vtrum  
relationes præcendant ab essentia, sicut es-  
sentia præcendit à relationibus, vt modò  
ostensum est: atque ita essentia & relatio-  
nes distinguantur ab inuicem præcisione  
mutua.

Suppono secundo, dupliciter vnum posse  
includi in alio per rationem: id est, vnum  
conceptum obiectiuum, quæ talem, posse  
dupliciter includere alium. Primò, expres-  
sè & distinctè. Quo pacto conceptus entis  
v.g. includitur in conceptu substantiæ & ac-  
cidentis. Secundo, implicite & confusè: ita  
vt licet distinctè & expressè non cogitetur  
de illo, dum concipitur aliud: non tamen  
possit istud, quæ talem, distinctè concipi, &  
perfectè penetrari, absque eo quod intelli-  
gatur illud tanquam ipsi intrinsecum. Quo  
pacto se habet conceptus accidentis ad con-  
ceptum substantiæ. Quamuis enim non dis-  
tinguitur & expressè cogitetur de accidente,  
id est, ente in alio, essentialiter apto in-  
herere, quotiescunque cogitamus de albe-  
dine: si tamen albedinem perfectè penetre-  
mus, intelligimus illam esse intrinsecè ac-  
cidents, & se tota pendere naturaliter à subie-  
cto cui inherere potulat.

31.  
Essentia  
includitur  
saltem im-  
plicite in  
relatio-  
nibus.

His præsuppositis, Respondeo essentiam  
includi confusè saltem, & implicite, in rela-  
tionibus, seu proprietatibus personarum di-  
uinarum. Ita docent Alens. 1. part. quæst. 68.  
membro 5. artic. 3. in fine. S. Bonavent.  
in 1. distinct. 28. articulo vnico, quæst. 3.  
in respons. ad 3. argumentum, vbi docet pro-  
prietate personalem dicere totum esse per-  
sonam: S. Thom. quæst. 32. art. 3. ad 1. vbi af-  
firmat in diuinis communia absolute dicta,  
secundum ordinem intellectus nostri, esse  
priora quàm propria: quæ includuntur in  
intellectu proprio, sed non è conuerso.  
Capreol. distinct. 2. qu. 3. in fine, Marsil. in  
1. quæst. 23. artic. 3. in Corollaris: Torres  
1. p. quæst. 28. art. 2. disput. 3. p. 2. conclus. 4.  
Cumel ad eundem artic. disput. 3. Suar. lib.  
4. de Trinitate cap. 7. num. 5. Reus disp. 13.  
sect. 1. num. 2. Granado, tract. 3. de Trinitate  
disp. 4. sect. 2.

32.  
Probat  
eiplici ra-  
tione.

Probat primò, quia relationes perso-  
narum diuinarum sunt modi se habendi sub-  
stantiæ seu naturæ essentiæ diuinæ, vt sup-  
pono ex dicendis sect. 11. Modi autem in-  
cludunt intrinsecè id quod modificant, sunt  
que res ipsa prout seipsa formaliter, & non  
per aliquid distinctum, tali quopiam modo  
se habet, per simplicem vsum suæ sufficien-

tia ad tali modo se habendum: vt tum ra-  
tione, tum inductione ostendemus disp. 5. de  
Incar. sect. 6. & 7. Secundo, relationes pa-  
ternitatis, filiationis, & spirationis passivæ,  
sunt substantiæ propriæ & connaturales  
personarum diuinarum. Atqui substantia  
propria & connaturalis includit in suo con-  
ceptu naturam subsistentem: cum sit intrin-  
secè natura ipsa, vt vltimò completa seu ter-  
minata secundum existentiam, & vt propria  
stans formaliter, id est, per vsum suæ suffi-  
cientiæ ad existendum sine subiecti aut su-  
stantantis adiniculo, vel alieno termino &  
complemento. Tertio, in ratione & quiddi-  
tate patris, quæ proprie patet est, includitur  
fecunditas ad generandum Deum filium, &  
generatio actualis. Similiterque in ratione  
spiratoris includitur fecunditas ad spiran-  
dum Spiritum sanctum. Item in ratione &  
quidditate filii, quæ proprie filius est, & Spi-  
ritus sancti, quæ talis est, includitur vt sint  
termini illarum fecunditatum. Atqui non  
apparet quomodo fecunditas aliqua sit ad  
communicandam naturam diuinam, & ad  
Deum constituendum, nisi naturam includat  
per se & quidditatiuè: nec quomodo termi-  
ni illarum fecunditatum sint per se Deus,  
nisi ratione proprietatum, secundum quas  
producentur, sint per se Deus quidditatiuè.  
Confirmatur primò, quia proprietates patris  
est actualis fecunditas intelligentiæ, quæ  
fecunditas quidditatiuè est intelligentia  
ipsa vt fecunda, id est, productiua Verbi ad  
intelligentiam specialiter pertinentis. Si-  
militerque proprietates spiratoris est actualis  
fecunditas voluntatis, quæ fecunditas quid-  
datiue est voluntas ipsa vt fecunda & pro-  
ductiua Spiritus sancti. Sicut virtus calefa-  
ctiua caloris est quidditatiuè calor ipsemet  
vt fecundus & potens producere calorem  
sibi similem. Pari autem modo sentiendum  
est de proprietatibus Filij & Spiritus sancti:  
ergo &c. Confirmatur secundo, quia de ra-  
tione v.g. paternitatis est generatio: de ra-  
tione generationis est principium generandi  
& virtus: cum generatio actiua nihil sit aliud,  
quàm virtus ipsa vt generans. De ratione au-  
tem virtutis generandi Deum est essentia  
Dei ergo à primo ad vltimum de ratione pa-  
ternitatis est essentia Dei.

Respondebit aliquis fecunditates licet non  
includant essentiam, valere tamen ad eam  
communicandam, propter identitatem, & causam  
quasi adiunctionem inseparabilem termini  
formalis producti, cum essentia: inseparabi-  
lem, inquam, ex parte termini, licet non vi-  
ce versa ex parte essentiæ, quasi non possit es-  
se essentia, nisi vbi est terminus, sicut ex oppo-  
sito non potest esse terminus in aliquo forma-  
liter, quin in eodem sit formaliter essentia.  
Vnde etiam sic vt termini illarum fecundi-  
tatum sint per se Deus identice, vt suæ produ-  
ctionis. Similiterque ad concipiendam rationem  
formalem virtutis generandi Deum filium,  
producendo tantum præcisè & formaliter  
proprietatem filij, ab essentia distinctam, vt

terminum formalem productionis, & consequenter tantum communicando naturam videtur identitatis & quasi connexionis necessariae proprietatis productae cum essentia; non esse necessarium concipere essentiam diuinam, vt intrinsecè inclusam in tali virtute: sed ad hunc veluti effectum sufficere ex parte principij proprietatem patris, ab essentia distinctam, & illi necessario identificatam, ac veluti connexam inseparabiliter, quæ ac filij proprietatis illi connexa est. Sicut in effectibus creatis sufficit ex parte principij concipere aliquid proportionaliter respondens termino productionis. Ex grat. ad concipiendam virtutem vniendi animam corpori, atque ita constituendi hominem: non est necesse concipere essentiam humanam vt in tali virtute inclusam: sed sufficit concipere aliquid respondens termino formali productionis, qui in diuinis non est essentia, sed proprietatis personæ procedentis, distincta formaliter ab essentia.

Sed contra: quia hæc responsio supponit fecunditatem, seu virtutem producendi, posse sui abstractè & præcisè ab eo omni quod est fecundum & potens producere. Quasi præcisè possit esse aut concipi aliqua vis producendi, quæ intrinsecè & essentialiter nihil sit aliud, quàm vis producendi. Quod non minus est impossibile, quàm esse aut concipi aliquid quod sit purè terminus productionis, & primum fieri, non concipiendo quidquam quod fiat intrinsecè & secundum se formaliter. Quod euidenter apparet impossibile. Vt si quis vim calefaciendi conciperet præcisam ab omni entitate, quæ sit potens calefacere, & quasi nihil aliud esset quàm purè & præcisè vis calefaciendi. Qui concipiendi modus est vitiosus. Nam illud est per se vis calefaciendi formaliter, quod per seipsum calefacit. Atque calor v. g. per seipsum calefacit. Ergo per seipsum est vis calefaciendi formaliter. Ergo vis calefaciendi formaliter non est ratio præcisæ à calore, illique superaddita, vt per eam possit calefacere. Confirmatur, quia vis producendi totalis, aut principalis, debet formaliter vel eminenter continere perfectione effectus vel termini producti. Ergo virtus calefaciendi debet vel formaliter vel eminenter continere calorem. Atque ita debet vel esse calor intrinsecè & formaliter, vel aliquid aliud nobilius calore, vt lux, ignis, sol, vel quid simile.

Dices hoc argumentum nimis probare. Nam ex eo sequeretur vim generandi esse ipsam intelligentiam diuinam, quæ per se formaliter generet. Quod est falsum: quia tota intelligentia & essentia est formaliter in filio: in quo tamen non est formaliter vis generandi. Respondeo, vim generandi esse intelligentiam diuinam, non vt absolute sumptam, quo modo est in filio: sed vt taliter se habentem, eo specialiter modo, quo se habet in patre; siue vt modificatam relatione patris: quo pacto non est in filio: estque ipsamet Paternitas. Quemadmodum sigillum

aureum est aptum imprimere figuram, non quæ aurum simpliciter & absolute, sed quæ tali modo figuratum: quæ tamen figura est intrinsecè ipsum aurum taliter dispositum per seipsum. Hoc enim ipso formaliter est ita configuratum, quod eius partes aliæ sic prominent, aliæ deprimuntur. Vt autem aliquæ sint prominentes, & aliæ depresso, superfluous est omnis modus re distinctus, vel etiam ratione, præcisione mutua, tanquam forma planè distincta, sine qua partes auri non essent ita dispositæ: vt alibi demonstrabitur.

Tomo 4.  
disput. 5.  
sect. 6.

SECTIO VI.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

Contrarium sentiunt nonnulli veterum Scholasticorum, quosè Recentioribus, secuti sunt Molina qu. 28. art. 2. disp. 6. conclus. 4. Vasq. disp. 121. cap. 2. Becan. cap. 2. qu. 5. num. 3. Fazolus qu. 12. art. 8. quib. 2. num. 6. Herice disp. 15. num. 14. Marat. disp. 47. sect. 2. Delugo disp. 3. de Incarn. num. 93. Cuniga disp. 3. dub. 17 & 18. affirmantes essentiam non includi formaliter in conceptu relationis.

56.  
Refellunt  
qui dicunt  
essentiam  
diuinam non  
includi in  
relationibus.

Primum eorum argumentum est, quia essentia communicatur, nullo modo communicata relatione personæ producentis: & relatio personæ producit, improducta omnino essentia: & relatio Verbi terminat immediate vnionem humanitatis ad Verbum, quam essentia non terminat immediate. Et contra, essentia terminat respectum creaturarum ad creatorem, quam relatio personalis non terminat. Ergo etiam poterit vna terminare conceptum, quem nullo modo terminet alia: & ideo neutra claudit aliam in suo conceptu obiectiuo.

Primum  
illorum  
argum.

Respondeo, quando dicitur essentiam communicari, nullo modo communicata relatione personæ producentis: vel sensus est, essentiam communicari, & tamen nihil communicari inclusum in relatione personæ producentis: & hic sensus est falsus. Vel sensus est non communicari relationem, quæ relatio est, & talis modus se habendi personæ producentis, sed tantum quæ essentia est: & hic sensus est verus: sed ad illum verificandum sufficit essentiam præscindere à relatione, quamuis relatio non præscindat ab essentia. Vt autem relatio personæ producat improducta omnino essentia, sufficit relationem non esse essentiam simpliciter & absolute sumptam, sed esse essentiam modificatam. Potest enim essentia manens omnino improducta habere talem modificationem per actionem productiuam. Sicut licet figura non distinguatur in re à terra vel ab alia materia, neque etiam ratione, præcisione mutua: potest tamen fieri figura, absque eo quod fiat cera. Et qui ceram in manibus

57.

Nihil potest esse purè & præcisè vis producendi.

55.

NO  
PART

tenet, datque illi varias figuras: non propterea facit ipsam ceram substantiam: sed tantum facit illam quadratam vel rotundam. Similiter vt relatio Verbi terminet immediate vnionem humanitatis ad Verbum, quam essentia ipsa non terminat immediate, sufficit illam relationem non esse essentiam simpliciter, sed taliter modificatam, ratione cuius modificationis, seu modi taliter se habendi, consistit illi immediate vniri naturam humanam, eamque terminare hypostaticè. Quemadmodum ligno quadrato v. g. conuenit applicari adæquatè alteri quadrato ratione extensionis & figuræ quadratæ, & non ratione substantiæ ligni simpliciter, quæ posset esse in diuisibili, possetque alias habere figuras, puta rotundam vel triangularem, secundum quam non posset adæquatè applicari quadrato, eique omnino adaptari. Denique vt creaturæ respiciant essentiam veluti principium suæ creationis, & non relationes personarum; sufficit essentiam simpliciter sumptam præscindere à relationibus, & ab illa, vt sic, creaturas habere originem.

53.  
Repellitur  
instantia.

Infrabis, quia si relatio Verbi producitur, non essentia: potest præscindi id quod producitur, ab eo quod non producitur. Nam & productum hoc ipsum præscindit, attingendo vnum, & non attingendo aliud. Item si relatio Verbi vnitur immediate humanitati, & essentia immediate vnitur: potest præscindi totum illud quod vnitur immediate, ab eo quod non vnitur immediate: ac necessariò præscinditur per mentem affirmatam, eo ipso quod dicimus relationem Verbi vniri immediate, & essentiam non vniri immediate. Quod enim includitur in affirmatione, præscinditur per affirmationem ab eo, quod non includitur in illa, imò etiam positiuè excluditur.

Ad primam partem argumenti Respondeo, quando modus rei tantum fit, aut producitur, non posse præscindi ex parte modi, id quod fit aut producitur, ab eo quod non fit neque producitur: & productionem non ita modum attingere, vt rem ipsam non attingat: non quidem illam producendo, sed taliter illam modificando. Ex. gr. quando cera de rotunda fit quadrata; fit figura, & non fit cera: figura tamen illa nihil est aliud, quam partes ceræ sic dispositæ: & effectio figuræ quadratæ ceræ ipsam attingit, quatenus partes illius sic disponit.

59.  
Ad secundam partem eiusdem argumenti nego similiter posse præscindi ex parte modi, id totum quod vnitur immediate, ab eo toto quod vnitur tantum mediate, quando id quod vnitur immediate est tantum modus rei vnite mediate. Nihil enim illius modi sumi potest aut vniri immediate, in quo non imbibatur res. Quamuis res sumpta simpliciter & secundum se solam, non vnitur immediate: sed tantum vt taliter modificata, id est, secundum talem se habendi modum. Cum autem dicimus relationem Verbi vniri

immediate, & essentiam non vniri immediate: debet propositio resolui in sententiam modò explicatam: quæ scilicet essentia simpliciter sumpta non vnitur: sed quod essentia vt modificata per relationem Verbi vnitur immediate, ratione illius modi in quo ipsa imbibitur. Vnde essentia non includitur quidem, imò etiam positiuè excluditur ab affirmatione, sumpta simpliciter & absolute, qua ratione præscindit omninò à relatione: includitur tamen vt modificata, id est, prout ipsamet est talis modus se habendi, aut in illo imbibitur. Quare in forma Respondeo vltimo argumento: Quod includitur in affirmatione, præscinditur ab eo quod non includitur in illa, distinguo: si nullo modo includitur, concedo: Si aliquo modo includitur, nego. Essentia autem includitur in relatione, aut potius est ipsa relatio: non simpliciter sumpta, sed vt tali modo se habens, seu taliter modificata & contracta.

Dices, si essentia præscindit à relatione: quomodo relatio vnitur ipsa non præscindit ab essentia? Tam enim distinguitur relatio ab essentia, quam essentia à relatione. Et quæcumque sit distinctio inter aliqua duo, siue realis siue rationis, debet esse mutua ex parte vtriusque: æqualiter enim vnum illorum non est aliud: & per hoc formaliter distinguatur, quod vnum non fit aliud.

Respondeo, duplicem esse distinctionem, siue realem, siue rationis. Vnam, quæ duo distinguunt ab inuicem, vt totum à parte, vel includens ab incluso, vel superiore ab inferiore in eadem serie categorica. Et in his non est mutua præcisio. Nam totum includit partem, licet non includatur in parte. Et conceptus substantiæ includit conceptum entis: licet conceptus entis non includat conceptum obiectiuum substantiæ. Neque quantum distinguuntur vnum, tantum distinguuntur & alterum. Quia vnum illorum est aliquid alterius. Et ita etiam modus includitur in suo conceptu obiectiuo rem quam modificat: licet conceptus obiectiuus rei simpliciter, non includat modum. Altera distinctio est inter planè distincta & disparata. Et inter hæc datur mutua præcisio, vel etiam mutua realis separatio, si realiter distinguantur, & non fit aliunde, connexio vel dependentia essentialis inter illa.

60.  
Secundum aduersariorum argumentum est, quia ex doctrina S. Thom. qu. 13. art. 4. ad concipiendā & distinguendā attributa diuina non plus sumendum est de perfectione entitatis diuinae, quam necessarium sit ad hoc vt entitas diuina respondeat attributis similibus creaturarum, quibuscum comparatur, & in ordine ad quæ diuinitas a nobis & inadæquatè concipitur. Atqui ad hoc vt concipiatur fecunditas diuina tanquam vis producendi solam proprietatem personæ producens, vt terminum formalem (quamuis totaliter & denominatiuè producat)

tota persona) non est necesse concipere essentia diuinā vt inclusam in tali virtute, sed sufficit ratio proportionata rei productæ, vt productæ formaliter: quæ res non est essentia, sed proprietates ab illa distincta, & posterior illâ. Ergo, &c. Atque hæc ratio multo plus habet roboris in eorum sententia qui in creaturis distinguunt realiter potentiam generandi à substantia generantis. Quæ manifesta est D. Thomæ doctrina, & Thomistarum omnium, aliorumque multorum, affirmantium substantias creatas non agere per se immediate, sed per accidentia. Quis enim dicat huiusmodi potentias accidentales includere essentialiter substantiam generantis per illas? Sed quamuis tantum ratione distinguatur, & probabiliter est: tamen in suo conceptu formali non dicit essentiam generantis vt talem: sed vim dumtaxat quâ viuens potest producere aliud viuens, ex seipso coniuncto, in similitudinem nature. Quæ vis est quidem in viuente ipsa substantia & essentia realiter: non tamen formaliter vt essentia est, sed vt est vis producendi. Similiter vis calefactiua caloris non dicit formaliter essentia caloris vt talem, sed vt vim calefaciendi, quæ abstractior & vniuersalior est, cum Soli, luci, vino, piperi, & Deo ipsi conueniat, possitque ab illis omnibus abstrahi communis conceptus calefactiui seu potentis calefacere. Sic etiam vis producendi viuentia ex viuentibus, abstractior est viuentibus creatis, cum Deo competat, suæque modo accidentibus, si quæ actiue ad generationem ipsam concurrunt, vt multi opinantur.

62. Respondeo, concessa Maiore argumenti propositi, nego Minorem. Cum enim proprietates personæ procedentis sit modus essentia, ipsam intrinsecè includens in suo conceptu obiectiuo, vt ostendimus num. 51. & sequent. non concipitur ratio principii, ratio proportionata ex parte producentis, nisi ipsa quoque includat in suo conceptu essentiam. Vis autem generandi in substantiis creatis, & vis agendi in accidentibus, non est concipienda vt purè & præcisè vis sine vlla entitate quæ sit vis, & quæ agat, aut agere possit: quæque dicitur vis agendi, quatenus potest agere: sicut nihil concipiendum est vt purè fieri, aut purè factibile, non includendo, ne confusè quidem, aliquid quod fiat, aut fieri possit. Sed potentia generandi substantias, est aliqua substantia per se potens ad generandum, debetque ita concipi, vt bene concipiatur. Et potentia accidentium ad producenda sibi similia, est ipsa accidentia, quæ per se ipsa possunt alia producere. Quando autem plura conueniunt in eo quod habent vim producendi eisdem effectus, vt sol & ignis habent vim illuminandi, & lux & calor habent vim calefaciendi: possunt illæ entitates confusè concipi vno conceptu illuminatiui aut calefactiui. Sed tamen ille conceptus non dicit præcisè vim illuminandi aut calefaciendi: ita vt implicite saltem non

includatur in conceptu illo aliqua entitas confusè concepta, quæ sit vis illuminandi aut calefaciendi, quatenus per se potest illuminare aut calefacere.

Tertium, contraria opinionis argumentum est huiusmodi. Si Deitas est de essentia relationis, v.g. paternitatis, sequitur paternitatem non distinguere patrem à filio secundum totum esse paternitatis: neque secundum se totam, esse propriam patris: siquidem ratione Deitatis inclusæ esset identificata & communis patri & filio. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Item sequeretur paternitatem, & alias relationes, non posse concipi in abstracto vt proprietates personarum, determinatiuas essentia, & constitutiuas personæ. Patet sequela, quia paternitas esset idem re & conceptu, quod pater. Nam pater nihil aliud est re & conceptu, quàm essentia & proprietates patris. Paternitas autem est illud idem, si includit essentiam. Denique sequeretur patrem intelligere & velle ipsa paternitate: quia valeret hic syllogismus: Pater intelligit Deitatem: sed paternitas est Deitas: Ergo pater intelligit paternitatem.

Respondeo ad primam partem argumenti, negando Minorem, neque enim absurdum est paternitatem non distinguere à filio realiter secundum id totum quod in suo conceptu obiectiuo includit: aut includere aliquid commune patri & filio. Ad secundam, quod posse nihilominus proprietates concipi & significari per modum abstracti, ad magis expressè significandum id quo vna persona differat ab alia, & per quod essentia determinatur ad constituendam personam: simili modo quo conceptus entis determinatur ad constituendam substantiam & accidens, per modos essendi per se, & in alio: in quibus modis ratio entis intrinsecè penitus ac totaliter inbibitur, vt suppono ex vera philosophia, contra Vasquem cap. citato. Et quamuis pater sit idem re & conceptu, quod paternitas, quoad id totum quod est in re, & quod concipitur: potest tamen differre in modo concipiendi & significandi. Sicut differunt substantia vel accidens, concretè sumpta, à modis contentiuis ens, abstractè significatis, id est, à ratione essendi per se, vel essendi in alio: quæ modi expressè aut magis directè concipiuntur & significantur vno conceptu & nomine, quàm ratio.

Aliter respondet Gregorius in 1. dist. 26. qu. 1. & 2. vbi ait malè concipi & significari proprietates nominibus abstractis. Sed merito ab aliis reprehenditur vt malè improbus modum loquendi & sentiendi Patrum, Conciliorum, & totius Ecclesie. Nam sancti Patres frequenter loquuntur de proprietatibus diuinis in abstracto, sed nomine proprietatis: vt Athanasius dialogo 1. de S. Trinit. non longè post medium, vbi sic habet: *Essentia declarat communitatem: ex si quid est essentia proprium, id quoque commune est hypostasisibus, quæ essentia subsunt. Hypostasis autem præterquam*

63.  
Tertium  
argumentum.

64.  
Relaciones  
posse  
conci-  
pi & signi-  
ficari no-  
minibus  
abstractis.

numerum admittit, proprietatem habet minime communem hypostasis, quae essentia subsunt. Et Basil. lib. 2. contra Eunomium, Demonstratiui, inquit, proprietatum modi simplicitatem Dei non habent. Et paulo ante dixerat: Deitas est communis, paternitas & filiatio sunt proprietates. Et Cyrillus Alexandr. lib. 1. dialogi de Trinitate, longè ante finem, ubi dicit in patre & filio esse modum quandam & differentiam, & valde egrè diducibilem proprietatem utriusque. Et Damasc. lib. 1. de fide, cap. 10. cuius haec verba sunt, in his enim duntaxat hypostati, is proprietatibus tres sanctae Trinitatis personae inter se differunt, non essentia, sed peculiari cuiusque personae non à distinctim distincte. Et cap. 9. circa medium, Quin illud quoque nosse interest, inquit, paternitatis, filiatatis, & processionis vocabula, non à nobis ad beatam diuinitatem translata fuisse: verum contra, illinc ea nobis communicata, quemadmodum ait diuinus Apostolus, Propterca selecto genui mea ad Patrem ex quo omnis paternitas in caelo & in terra est: Similique modo de proprietatibus diuinis in abstracto loquuntur Concilia: vt Ephesinum parte 2. cap. 25. ubi illas vocat proprietates distinctiuas personarum: & sexta Synodus generalis aetate & I. ubi easdem appellat alteritates, & alteritas proprietates. Et Concilium Lateran. cap. firmiter: Haec sancta Trinitas, inquit, secundum essentiam una, secundum personales proprietates distincta. Et Concil. Rhemense art. 3. Cessimus, inquit, & confitemur solum Deum Patrem, Filium, & spiritum sanctum, aeternum esse. Nec aliquas omnia res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel unitates dicuntur, vel alia huiusmodi, esse Deo, quae sint ab aeterno, & non sint ipse Deus. Ecclesia denique vniuersa in Praefatione Missae de sanctissima Trinitate sic dicit: Et in essentia unitas, & in personis proprietates, & in maiestate adoratur aequalitas. Propter quae omnia, opposita sententia Gregorii damnatur temeritatis à sanctissimis Theologis.

Ad tertiam partem argumenti Respondeo Maiorem sic distinguendam esse: Pater intelligit formaliter Deitate simpliciter sumpta, quatenus est virtus intelligendi, & ipsa intellectu: concedo: Pater intelligit formaliter Deitate, id est, eo omni quod est Deitas identice, aut quod includit Deitatem in suo conceptu obiectiuo, nego. Tum Minor similiter distinguenda est: paternitas est Deitas simpliciter sumpta, nego. Est aliquid includens in suo conceptu obiectiuo Deitatem, concedo, & nego consequentiam.

66. Quartum argumentum: Si relatio formaliter includit essentiam, sequeretur relationem non aduenire essentiae, vt eam determinet. Id enim quod determinatur ab aliquo sibi adueniente, non includitur in conceptu aduenientis & determinantis: alioquin adueniret sibi ipsi, & determinaretur à se ipso. Item sequeretur personam non constitui relatione. Quia persona nihil aliud est, quam essentia per relationem determinata & contracta: id ipsum autem esset relatio, siquidem

includeret essentiam. Sed persona non constituitur personam, ergo nec relatione. Et ita pater, qui est persona, non constitueretur paternitate, nisi in conceptu patris sit aliquid, quod non includatur in conceptu paternitatis.

Ad primum Respondeo, Relationes logice aduenire essentiae, illamque determinare, simili modo, quo modi essendi per se, & in alio, adueniunt enti, determinantque ad substantiam & accidens. Neque propterea idem simpliciter sumptum aduenit sibi ipsi simpliciter sumpto: sed idem vt modificatum aduenit sibi simpliciter spectato. Eodemque modo idem vt taliter se habens determinat seipsum simpliciter spectatum sine tali modo se habendi.

Ad secundum Respondeo, personam dici constitui relatione, quatenus relatio addit essentiae, modum taliter essendi: & persona non est essentia simpliciter sumpta, sed est essentia taliter modificata & contracta. Ita vt relatio addat aliquid essentiae simpliciter sumptae: & secundum hoc dicitur illam consistere in esse personae. Et consequenter ipsa persona dicitur eodem sensu constitui ex essentia & relatione: id est, non esse essentia sola & simpliciter sumpta, sed essentia tali relatione contracta & modificata. In forma igitur, distinguo Minorem. Id ipsum esset relatio ad quae sumpta, concedo. Sumpta secundum id quo supponit essentiam ratione prius, & quo illam modificat, quamvis intime inclusam & non mutuo praecisam, nego. Et addo idem argumentum fieri posse aduersus contractionem entis ad substantiam & accidens, aliaque inferiora, per modos aut differentias à quibus non praecindit motus praecisione, sed in illis omnibus imbibitur, quamvis vice versa modi illi aut differentiae non includantur in conceptu entis.

## SECTIO VII.

An relationes personales distinguantur realiter inter se, constituantque personas reales distinctas?

67. Quid relationes seu proprietates personales paternitatis & filiationis distinguantur realiter inter se, constituantque patrem & filium realiter distinctos: itemque relationes spiratoris & spirati distinguantur realiter ab inuicem, constituantque patrem & filium spirantes, distinctos realiter à spiritu sancto, de fide est, ex Concilio Lateran. cap. 1. & 2. de summa Trinit. & aliis testimoniis Scripturae & Conciliorum disp. 23. adductis. Idque ratio productionis realitatis & passivae inter patrem & filium, spiratorem & spiritum, exigit necessario: cum eiusdem ad seipsum productio vera & realis esse non possit. Vnde fit vt inter patrem & filium secundum suas proprietates sit realis oppositio

oppositio relatiua productis & producti, & neuter sit in ratione alterius, sed uterque ad alterum. Relatio vero spiratoris non habet quidem distinctionem realem à Patre & Filio, sed tantum à Spiritu sancto: quia nullam dicit oppositionem respectu Patris & Filij: sed potius pater, generando filium, constituit eum spiratorem secum, quatenus ei dat fecunditatem spirandi: habet tamen oppositionem & distinctionem ad Spiritum sanctum, ratione cuius Pater & Filius spirantes distinguuntur ab ipso. Vnde collige ex quatuor relationibus, paternitate, filiatione, spiratione actiua, & spiratione passiuua, tres tantum distingui realiter: videlicet paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam. Spiratio vero actiua est eadem re cum paternitate & filiatione, solumque distinguitur à spiratione passiuua.

Difficultas vero grauissima est, quomodo stet hæc distinctio realis, & oppositio relationum ac personarum, cum identitate essentia, & indistinctione proprietatum ab illa. Primo enim, præter ea quæ disput. 23. sect. 4. tetigimus de contradictoriis in re ipsa verificatis, & de communicatione naturæ sine proprietate, quæ præsentibus difficultatibus applicari possunt: obicitur specialiter vulgatum axioma, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Quod non est minus notum. Evidenter & naturaliter, quàm, quæ sunt æqualia vni tertio, esse æqualia inter se. Secundo, in syllogismo expositorio, Petrus est homo: Petrus est animal: sequitur vi formæ, quod aliquis homo sit animal: nempe ipse Petrus qui est vtrique. Ergo similiter, si essentia est pater, & est filius eadem numero & individualiter, sequitur quod aliquis filius est pater. Næ est par forma vis in quavis materia bonæ formæ syllogistica applicata. Tertio, distinctio quæ videtur ab intellectu non abeunte, sed intuitiue & comprehensiue intelligente, est realis: quippe quia est in re; alioqui non cognosceretur ab eo qui rem cognoscit intuitiue & comprehensiue, sicuti est in re. Talis autem est distinctio personæ ab essentia. Deus enim videt in filio esse formaliter essentiam patris, non personam, idque realiter. Ergo videt differentiam realem. Nam si hoc non videret: ergo videret eadem realiter & essentia, quod de persona: & nihil videret realiter conuenire vni, quod non alteri.

Ad leniendam difficultatem considerandum est primo, nos hæc agere de intrinseca constitutione Dei, in infiniti simpliciter, (quem superare caprum nostrum naturaliter euidens est, propter summam ipsius infinitatem, & limitationem intellectus nostri cæcutientis circa minima, vt circa continui compositionem, ventorum causas, & similia) & agere ex reuelationibus euidenter credibilibus, de obiecto quod euidenter est nobis incomprehensibile, vt naturalis ratio de Deo satis dicitur.

Tomus I.

Considerandum secundò, in hoc consistere mysterium Trinitatis, quod eadem essentia diuina simplicissima, & vnica, siue individualiter sumpta, sit identice paternitas, filiatio, & passiuua spiratio, absque distinctione reali ab his tribus, aut eorum villo: hæc tamen tria distinguantur realiter inter se, nullamque habeant inter se vnionem & compositionem, sed potius habeant oppositioem relatiuam, & impossibilitatem identitatis immediatæ inter se: quamuis mediata in essentia omnes identificentur, & veluti confunduntur, quatenus essentia est simul vnum quicquid absolutum, & tria relatiua, absque reali distinctione relatiuorum ab absoluto, aut reali multiplicatione absoluti propter relatiua. Vnde fit, vt essentia sit aliquid latius patens, quàm singulæ personæ. Quatenus essentia identificatur & secum, & cum singulis personis: personæ vero non identificantur inter se. Et ita inuenitur essentia identice in pluribus, & vniuersalior est, quàm singulæ personæ. Vnde secundo sequitur esse in Deo ipso, extra vllam comparationem ad creaturas, fundamentum sufficiens distinctionis virtualis, seu rationis ratiocinata, inter essentiam & personas, fundatam in ipsomet Trinitatis mysterio, & non tantum in connotatione, aut comparatione creaturarum plurium, quibus æquiualeat aut respondeat. Quatenus intra Deum, præcisè ab omnibus creatis sumptum, est essentia pluribus identificata, quàm personalitas. Et ex eo solo est fundamentum sufficiens distinguendi essentiam à personalitate: quod contra Vasquem, Becanum, & alios quosdam recentiores notandum est.

His præsuppositis, quod attinet ad contradictionem & communicationem, responsum fuit alibi, disput. 3. sect. 4. ad veram contradictionem, quæ est affirmatio & negatio præcisæ eiusdem rei, requiri vt non tantum sit de eodem realiter, sed etiam formaliter, considerato sub eadem ratione obiectiua. Ideoque licet in re idem sint animalitas & rationalitas Petri: tamen verum est sine contradictione, per animalitatem conuenire cum equo, per rationalitatem non conuenire. Imò quamuis addatur particula, realitas, vel à parte rei, & sic per animalitatem conuenire re ipsa cum equo, non per rationalitatem: tamen non est contradictio, quatenus sumitur subiectum sub diuersa ratione formali. Licet enim prædicatum affirmetur de subiecto secundum realitatem: tamen non affirmatur de illo nisi secundum vnã rationem obiectiuam, realem quidem sed inadæquatam, sub qua Petrus consideratur, & significatur nomine animalitatis vel rationalitatis. Rectè autem notat Molina qu. 28. artic. 2. disp. 3. nos quando loquimur de rebus præcisè & inadæquatè conceptis, sumere conceptus illos obiectiuos, & nomina illis significandis imposta, perinde ac si nihil aliud esset in re quàm id quod ita præcisè concipimus & significamus.

In quo consistit mysterium Trinitatis, cuiusque potissima difficultas.

In Deo est sufficiens fundamentum distinctionis virtualis, sine comparatione ad creaturas.

71.

Distinctio virtualis sufficit ad vitandam contradictionem.

28



72. Res. im-  
pliciter potest  
communicari  
inadequate.

Ostensum quoque fuit, locis supra citato, in rebus etiam creatis, communicari aliquid inadequatè secundum unam rationem tantum, & non secundum aliam, quamvis realiter indistinctam. Ex. gr. lux vs. calefactiva calefacit: qua ratione se actuè communicat vs. calefactivam tantum, & non vt illuminati-  
nam, aut exsiccativam: licet per eandem entitatem quà est calefactiva, sit illuminatiua & exsiccatiua. Et anima rationalis communicat se formaliter inadequatè partibus illis corporis, quas non informat quà sentiens, aut quà rationalis est. Sic ergo et alia exempla omittam, incredibile videri non debet, si eadem res, quæ est essentia & personalitas, communicetur inadequatè quà essentia, & non quà personalitas.

73. Explicatur  
axioma,  
Quæ sunt  
eadem vni  
tertio, &c.

Quod verò attinet ad vulgatum axioma, Quæ sunt eadem vni tertio, suat eadem inter se: ex quo sequi videtur, quod quemadmodum Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt idem re cum vno tertio, nempe cum essentia, ita sint idem realiter inter se: & sic non distinguuntur realiter ab essentia; ita neque distinguuntur realiter inter se, sed esse penitus idem re inter se, vt sunt re idem cum essentia. Respondeo cum distinctione: Quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se, ea ratione quæ sunt eadem vni tertio: hoc est, si sunt eadem vni tertio inadequatè & secundum quid, sunt etiam eadem inter se inadequatè & secundum quid: eadem scilicet. Si autem omnino & adæquatè & simpliciter sunt eadem vni tertio: sunt etiam eadem omnino inter se. Vel, vt alij distinguunt: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se in illo tertio. Vt verò in aliis & vsquequaque sint eadem, non est necesse vi illius identitatis, & axiomaticis propositi.

74.

Iam verò Pater diuinus v.g. licet sit idem re cum essentia diuina: non tamen est idem adæquatè & reciprocabiliter, siue cum omnimoda & reciproca identitate. Ita vt cui omni identificatur vnum, aliud quoque identificetur. Est enim identificatur Filio & Spiritui sancto, quibus tamen Pater non identificatur. Et essentia non tantum est in patre, verum etiam in filio & Spiritu sancto, ideoque scilicet pater & quasi vnus est, & communis est, quàm pater aut pateritas.

Dices persona, v. g. pater, non potest esse inadequatè essentia. Quia cum essentia sit simplicissima, non potest illi identificari nisi toti & adæquatè sumpta. Eademque de causa non potest illi identificari in vno tantum, & non in aliis: siquidem duo in re non sunt, sed vnum simplicissimum. Quare distinctiones allate vane sunt, & materiae propositæ non potest applicari. Secundò, modus ille respondendi petri principium, & enertit axioma propositum. Quando enim dicimus: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: facimus virtualem quandam allatione ex identitate cum tertio, ad identi-

tatem extremorum inter se. Ergo non debet poni in consequente, id quod supponitur in antecedente. Tertio, non potest capi quomodo quæ sunt re idè vni tertio, possint habere oppositionem inter se, quæ distinctionem realem asserat?

Ad primum Respondeo cum distinctione: Non potest identificari persona essentia, qui toti physice quodammodo & formaliter realiter, id est, non secundum partem & partem: concedo. Quin toti virtualiter & vniuersaliter, id est, sumptæ totaliter & secundum omnem communicabilitatem identicam, siue identificabilitatem: nego. Certe cum vniuersale, vt animal, dicitur esse identicè Petrus, verum id non est sumendo animal adæquatè secundum omnem suam vniuersalitatem & comunicabilitatem identicam: sed tantum veluti secundum totam rationem formalem quasi intentionem suam: & non secundum omnem extensiuam. Natura autem diuina virtualiter & æquiuocaliter vniuersalis est. Sic etiam dum calor tactui, aut albedo visui communicantur, non vt inhæsiua (neque enim tactui vt visu percipitur inhæsiua) communicantur quidem secundum totam realitatem, nulla parte dempta: non tamen secundum omnem rationem realem, neque secundum omnem comunicabilitatem intentionalem.

Ad secundum Respondeo, axioma illud non continere illationem vllam per se, licet ex eo possit aliquid inferri: neque in eo fundari vim formæ syllogisticae, vt male putant aliqui: sed in illis, *Dici de omni, & Dici de nullo: Tertium in quibus omni, Tertium in quibus nullo*: directè quidem & immediate, quatuor primos modos primæ figuræ reliquos vero, quatenus ad hos reducuntur. Ac denique vt meram & simplicem propositionem intelligendum est: alioqui falsum omnino est, si ex quacunque identitate etiam inadequatè, intelligatur inferri identitatem simplicem & totalem extremorum ad inuicem. Quamuis enim vt duo sint vnum aliquo modo, sufficiat vt sint aliquo modo vnum inter se: tamen vt adæquatè & simpliciter sint vnum & idem, non satis est illud: sed oportet vt earum esse adæquatè vnum & idem cum tertio. Et alioquin in creaturis ipsis potest axiomaticis falsitas deprehendi. Nam v.g. cum figura rotunda, & figura rectilinea, in eadem quantitate seu extensione fieri possint: neutra quidem differet realiter à quantitate: sed tamen non ita conveniunt inter se, quemadmodum cum quantitate. Et est sup. neutra repugnat quantitati, sed tamen vna repugnat alteri. Sicut ergo non est verum, Quæ sunt non repugnantia vni tertio, esse non repugnantia inter se: ita neque simpliciter verum est, Quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se, nisi cum modificatione & distinctione allata. Quamuis autem in creatis nulla sint quæ inter se realiter differant, quorum quodlibet sit re idem, etiam inadequatè cum aliquo

MARTINUS  
NEU  
D

vno & eodem, sine distinctione in re: tamen non sequitur quod neque in Deo possint talia reperiri quæ distinguantur realiter, & tamen quodlibet eorum sit re idem cum vno. Neque verum est ex vi terminorum, quæ sunt re idem cum vno & eodem, licet inadæquate: non posse habere distinctionem realem inter se. Nulla enim apparet repugnantia, vt quæ sunt inadæquate idem, vni, sint inter se distincta & opposita. Similiter quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: sed non plus quam æqualia, possuntque in aliis differre.

Ad tertium Respondeo, non esse parem rationem Petri, & essentia diuinæ. Quia hæc non est terminus singularis per incommunicabilitatem identicam cum pluribus ab inuicem distinctis, sed tantum per hæc ceitatem, id est, per incommunicabilitatem cum pluribus ab ipsa & in ipsa distinctis. At verò syllogismus expositorius consistere debet medio singulari, etiam per incommunicabilitatem identicam, & ne quidem virtualiter vniuersali. In forma itaque ad argumentum allatum sic responderi potest: Essentia est pater, adæquate, nego. Inadæquate, concedo. Essentia est filius, distinguo similiter: & nego consequentiam. Vel vt respondent alij, Essentia est pater, identice: essentia est filius, etiam identice, quoad essentiam: ergo filius est pater, identice similiter, quoad essentiam: id est, aliquid quod est idem cum filio, nempe ipsa essentia, est idem cum patre. Simili modo distinguendum est in his, & similibus syllogismis: Hic Deus est pater: hic Deus est filius: ergo filius est pater. Pater ingenuus non est filius: Hic Deus est pater ingenuus: ergo hic Deus non est filius. In quibus syllogismis medius terminus non distribuitur, id est non sumitur vniuersaliter & adæquate pro eo quoniam, pro quo sumi potest. Adhibito verò termino distributente, falsa est altera præmissarum. Nam in priori Maior est falsa, si dicas: Quicquid est hic Deus, est pater. In posteriori falsa est Minor si dicas: Quicquid est hic Deus, est pater ingenuus. Nam filius etiam est hic Deus, qui tamen non est pater ingenuus. Plura de his videri possunt apud Valsq. disput. 123. cap. ultimo.

Ad quartum, Concedo identitatem illam inadæquate videri à Deo intuitiue, & distinctionem fundamentalem, ac virtuales essentia à personis, vt diximus in fine sect. 3. idque sine vlla abstractione formali ex parte Dei, quasi verò præscindat formaliter ab aliquo cognoscibili, cognoscendo vnum sine alio. Sed nego videri à Deo distinctionem realem actualem & formalem à parte rei inter essentiam & proprietates. Verum sicut essentia est idem Deus cum singulis personis, sed prout est idem cum vna non est idem cum alia ex parte relatiui, quod ipsum nihil est aliud quam vnā relationem non esse aliam: ita Deus idipsum videt notitia omnino se adæquate rei, adeo vt res ipsa prout

in se est, simili modo representetur & obiectatur diuinæ cognitioni.

Quæres, an tres personæ diuinæ differant tantum numero? Respondeo differre plus quam numero, & plus quam duo indiuidua eiusdem speciei. Licet enim proprie non differant specie prædicabili, quia non sunt possibles plures patres, vel plures filij, aut Spiritus sancti; differunt tamen propriis rationibus quæ relatiue diuersis: intelligendo per quidditatem, non essentiam communem, sed rationem cuiusque propriam. Etenim paternitas est secunditas fundata precise & immediate in cognitione essentiali, eique per se primo identificata. Filiatio verò est origo passiuæ relatiue illi opposita. Similiterque spiratio actiua est secunditas & origo fundata precise & immediate in cognitione essentiali, eique per se primo identificata: Cuius uocitati & origini actiue opponitur relatiue origo & spiratio passiuæ Spiritus sancti. Manifestum est autem has rationes esse plus quam numero solo diuersas, & per illas plus differre personas diuinæ, quam si omnes earum relationes essent actiue tantum, aut tantum passiuæ, per viam solam intellectus, aut per viam solam voluntatis: omnes denique essent paternitas, aut filiatio, vel spiratio actiua, vel passiuæ.

79  
Personæ diuinæ differre plus quam numero.

SECTIO VIII.

*Verum in creaturis reperitur similis identitas cum distinctione reali?*

Hæc sectio instituitur ad refellendam nouam quorundam imaginationem, asserentium primo, non esse difficile intellectu, neque singulare & mirabile in mysterio Trinitatis, quod vna essentia sit tres relationes & tres personæ, realiter inter se distinctæ, & tamen indistinctæ realiter ab essentia: sed tantum quod essentia diuina postulet se in tribus personis, quarum prima sit improducta: secunda producatur à prima & ab vtraque producatur tertia. Secundo, in rebus creatis reperiri similem identitatem cum distinctione reali. Nam modus se habendi non distinguitur à se modificata: & tamen modi impossibiles eiusdem rei distinguuntur realiter inter se. Itaque habent identitatem realem in re cuius sunt modi, sunt enim omnes idem re cum illa. Et tamen habent distinctionem realem inter se. Nam circulus & quadratura eiusdem ceræ distinguuntur realiter inter se: & tamen sunt idem realiter cum cerâ. Quod sint idem realiter cum cerâ, ac nullo modo distinguantur ab illa in re, supponunt ex doctrina de modis. Quod verò distinguantur realiter inter se, probant, quia illorum differentia ab ipsis brutis discernitur. Si enim canis v. g. cu-

80  
Sententia affirmans.

bare volenti, occurrant globus & quadratum: omisso globo, eliger quadratum eamquam aptius ut in illo recubet. Item quia modi illi sunt impossibiles in eodem simul & semel. Nam cera eadem in eodem loco non potest simul esse rotunda & quadrata. At denique quia dant formaliter diuersas habilitates, suntque principia diuersarum actionum. Nam si cera est rotunda: est proximè apta ut celestiter circinuoletur, quod non habet ut quadrata. Tertio, hac doctrina præsupposita dicunt facile responderi posse argumento supra proposito, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, id est, sunt eadem res, siue non sint distinctæ res: concedo. Non sunt distincti modi se habendi: nego. Vel sic: Quæ sunt eadem vni tertio simpliciter, non sunt distincta inter se: concedo. Quæ sunt eadem vni tertio aliter & aliter se habenti, non sunt distincta inter se, nego. Personæ autem diuine, seu proprietates personarum, sunt idem cum essentia, non simpliciter, sed profertur aliter & aliter se habeat. Alias verò solutiones quas nos dedimus post S. Thom. Guar. Molin. Vasq. & alios summos Theologos, aiunt potere principium, & euertere sensum illius axiomatis, repugnante lumini naturali. Aded illis nihil placet, nisi quod dixit à Nominalibus. Quam verò malè & inconstanter id dicant, videbimus paulò post. Placet enim has tres propositiones eodem ordine examinare: & ostendere primam esse falsam & improbabilem. Secundam parum sibi constare. Tertiam incidere in illud ipsum, quod in aliis inmeritò, & cum inaduerentia, vel inconstantia doctrinæ, reprehendit.

81. Quod ergo prima propositio sit falsa & improbabilis, patet, quia repugnat manifestè in regramissima, & in potissimo fidei mysterio, communi consensui sanctorum Patrum, nullo excepto qui aliter senserit à quorum consensu tam unanimi recedere in Scripturis exponendis vel, mysteriis fidei explicandis, temerarium est, quòd etiam eroneum, ut ostendemus in tractatu de fide. Repugnat etiam sensui Ecclesiæ & manifestè rationi, ut præbit ex sequentibus. Primum enim quòd repugnet communi doctrinæ sanctorum Patrum liquet ex his illorum testimoniis, & pluribus aliis, quæ breuitatis causa præterea.

Ex 88. Patribus probatur, non esse similitudinem in personis. Iacobus frater Domini in Liturgia, fere initio ait, singulariter esse in Trinitate lucem diuinitatis, quæ sine diuisione diuinitur: id est, quæ simul est una & multa. Gregorius Nyssenus in orat. Catechet. cap. 3. initio dicit esse ineffabilem profunditatem mysterij quomodo idem & cadat sub numerum, & non cadat: & diuisum cernatur, & comprehendatur in unitate: distinctumque sit ac discretum consisten-

tià & hypostasi: subiecto verò, id est, substantiâ vel essentiâ, non sit diuisum. Et in libro de differentia essentia & hypostatos, Idem, inquit, & conuictum, & separatim atque discretum diuisum, & quoddam quasi per enigma cogitamus, uolumus, & à communi sensu & opinione abhorrens: tum distimen conuictum, tum discretam conuictionem. Ibidemque inter medium & finem libri sic habet: Vt enim in istis quæ oculis apparent, experientia ualidior, quæ ut contra dictum possit, videtur: ita in supereminentibus, caputque nostrum superantibus doctrinis, eâ comprehensione atque præceptione quæ per rationationes conuictur, potior ac firmiter ista fides, quæ & in hypostasi separationem, & in essentia conuictionem docet, id est, unitatem in essentia, & distinctionem in personis, quam supereminere, caputque nostrum excedere discretè affirmat.

Basiliius epist. 43. ad eundem Gregorium Nyssenum, paulò post medium: Tanquam in enigmate uolumus quandam insolite conuictam discretionem, & discretam conuictionem confirmamus. Anastasius Synaxta lib. 1. de recte fidei dogmatibus, in medio, Trinitatem uocat admirabili, etorsus uisione simul & diuisione subsistentem. Dionys. cap. 13. de diuin. nomin. post medium: Diuinitas, inquit, quæ omnia superat, unitatis & Trinitatis nomine celebrata, non est ut unitas & Trinitas, aut à nobis, aut ab aliquo alio eorum quæ sunt, cogitur. Et paulò post: Nulla autem monas, aut Trias, neque numerus, neque unitas, aut se unitas, neque quæquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cogita sunt, arcantur illi summa, omnique superantia dignitatis, quod rationem omnem mentemque vincit, enunciant. Neque eius nomen est, neque ratio, sed in his ad quæ quæ non patet secretum est. Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 3. fere initio affirmat, nec periculosus alicubi errari, nec laboriosus aliquid queri, quàm ubi queritur unitas Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et tract. 39. in Ioann. Est aiquid ineffabile, inquit, quod uerbis explicari non potest: ut & numerus sit, & numerus non sit. Hoc est, ut explicat ibidem, sit numerus in personis, & non sit numerus in essentia.

Gregor. lib. 30. Moral. cap. 5. affirmat hoc mysterium unitatis essentia, & Trinitate personarum, reservari nobis intelligendum in patria. Et nimirum, non posse hac in uita nisi Enigmaticè cognosci per fidem captiuantem intellectum in obsequium Dei. Et Anselm. lib. de Incarn. Verbi cap. 6. prop. finem: Denegat, inquit, tria di. i. de uo posse, & unum de tribus, dum tria non di. aut u. de inuicem, sicut in his tribus personis & uno deo sumus: quoniam hoc inualis ribus non uidet, nec in Deo intelligere ualeat: sufferat: prauis per aliquod, quod intel. eclus eius penetrare non nobis, esse in Deo. Et paulò post: Credit aliquid in illo esse, quod in istis esse nequit. Bernard. lib. 5. de confid. par. cap. 7. in fine, Quis numerum negat? nam uerè tres sunt. Quis numeret tamen? nam uerè unum sunt. Denique S. Thom. in 1. distinct. 33. qu. vnica artic. 1. ad 2. ait ge-

Prima propositio illius sententia impugnat.

Ex 88. Patribus probatur, non esse similitudinem in personis.

generatim, omnia similia sumpta ex creaturis ad explicandam hanc identitatem cum distinctione, plus habere dissimilitudinis, quam similitudinis: & omnino magis abducere à veritate, quam in mysterij intellectum inducere.

88. Ex his & similibus Patrum testimoniis evidens est quod probandum suscepimus: nempe propositionem illam, quam impugnamus, esse aduersam communi & vnanimi Patrum consensui. Ex quo sequitur esse pariter aduersam sensui Ecclesie & fidelium, qui non est alius in rebus fidei, quam vnanimis consensus Patrum, & Doctorum suorum. Contendo autem nullum ab illis quos modo impugnamus proferri posse, siue Patrum, siue aliorum Scripturam Catholicorum, ac ne quidem hæreticorum, qui contrarium asseruerit.

Denique quod repugnet etiam manifeste rationi, patet, quia summa & insuperabilis humano intellectui difficultas huius mysterij, & apparentem contradictionem præ se ferens, in eo consistit, quod in carnis simplicissima sit simul tres personæ, quæ distinguantur inter se realiter per suas proprietates, absque eo tamen quod illæ proprietates distinguantur ab essentia. Sunt enim realiter illa essentia simplicissima. Ex quo videtur sequi quod per idem realiter distinguantur & non distinguantur. Hac autem difficultate victa, minus laborat intellectus in admittendo, quod harum trium personarum vna sit inproducta, & alia producta. Si istes hinc etiam sequi apparentem contradictionem: nempe quod idem realiter sit productum & impro ductum: quia persona producta, est idem realiter cum essentia quæ inproducta est. Respondeo primò, hanc difficultatem non esse maiorem, quam priorem, quod scilicet idem sit vnus & multa realiter: sed in illam incidere, & in illam iam superatam esse. Secundò dico aduersarios hoc ipsum concedere creaturis, vt videbimus paulò post: cum aiunt modos non distingui à re modificata: & tamen censent ac docent passim, eos produci. Hinc enim sequitur, quando res aliqua modificatur tantum, puta quando cera de rotunda fit quadrata, produci modum, & non produci ceram; adque idem realiter esse productum & impro ductum, respectu huius actionis. Quare iuxta, duers. habemus exemplo ipsarum creaturarum non repugnare idem realiter produci & non produci.

86. Iam verò quod secunda propositio parum sibi consistit, cum asserit similem identitatem cum distinctione reali reperiri in creaturis, quando eadem res habet se aliter atque aliter modis impossibilibus, probatur quia argumenta quibus probantur aduersarij quos impossibiles eiusdem rei distingui realiter inter se, æquè probant modos illos distingui à re modificata. Quare sibi contradicunt, quando propter hæc argumenta affirmant modos impossibiles distingui realiter inter se: & tamen negant distin-

gui à re modificata, non obstantibus iisdem argumentis, quæ id æquè conuincunt, si quid valent. Vnde euanescit tota illa imaginatio, quæ putat reperiri in creaturis identitatem & distinctionem similem illi quæ est in mysterio Trinitatis: cum argumenta quibus conuincuntur id probare, vel nihil valeant ad probandam distinctionem inter modos impossibiles eiusdem rei: vel æquè probent illos distingui à re modificata. Atque ita dum probare volunt distinctionem ex parte modorum, destruunt identitatem, quam volebant esse ex parte substantiæ seu rei modificata. Hoc ita esse patebit inductione per argumenta alio modo proposita.

87. Aiunt primò, modos impossibiles distingui realiter inter se: quia sensus vel ipsorum brutorum eos discernit. At qui videns est idem argumentum probare modum extensionis distingui à re extensa. Nam sensus vel ipsorum brutorum discernit extensionem: id est, videt extensionem, & non videret rem eandem positam in indiuisibili. Item si canis cubare volenti occurrant duæ res extensæ; vna minus quam sibi sufficiat, & alia sufficiens; eligit istam quæ commodior est. Idemque faceret si res eadem posita esset in duobus locis, in vno magis, in alio minus extensa. Itaque discernit maiorem extensionem eiusdem rei à minori. Atque ita extensio distinguitur à re extensa: quia visus illam discernit: & quando res fit extensa, vel magis aut minus extensa; acquirit aut perdit aliquid à se distinctum realiter: quia visus discernit differentiam extensionis maioris à minori: & non potest discernere, nisi realiter distinguatur, iuxta doctrinam Aduersariorum.

88. Aiunt secundò, modos illos esse simul impossibiles in eadem re & in eodem loco: quia non potest eadem cera, eodem in loco, esse simul quadrata & rotunda: adeoque modos illos distingui realiter ab inuicem. At idem argumentum euidenter æquè probat extensionem distingui à re inextensa & in indiuisibili posita. Quia non minus est impossibile rem esse simul & in eodem loco extensam, & positam in indiuisibili: siue res simul & seorsum esse in indiuisibili, & modo indiuisibili: quàm esse simul rotundam & quadratam.

Aiunt terciò, modos illos distingui quia dant diuersas habilitates, suntque principia diuersarum actionum. Atqui etiam res extensa habet aliquam habilitatem, quam non haberet in indiuisibili posita. Exempli gratiâ, oculus positus in indiuisibili, non potest videre, neque recipere species obiectorum. Ergo extensio oculi distinguitur ab oculo. Neque hæc imaginatio non minuit difficultatem mysterij: sed per apertam contradictionem identitatem illam cum distinctione reali essentia & personarum, (quæ à sancti Patres, vt antea vidimus, dicunt esse supra modum

mirabilem, ineffabilem, & Dei singulariter propriam ratione sua infinitatis excellentissima & illimitationis, propter quam potest esse vnum & multa, nec limitatur seu terminatur (sicā hypostasi & persona) illa, inquam, mirabilem identitatem extendit ad res quolibet creatas, etiam vilissimas. Nulla enim earum est, quae non possit simul modos repugnantes habere in diuersis locis, atque ita esse vnā: multiplex realiter, simul & separatim. Vna quoad substantiam: multiplex quoad modos: vt decent aduersarii de cera eadem tribus in locis posita: in vno, triangulari: in altero, rotunda: & in tertio, quadrata. Quin etiam aliqua naturaliter & sine miraculo possunt simul habere plures modos impossibiles, adeoque possunt naturaliter esse vnum & multa realiter. Vt eadē anima rationalis quando in altera manu ascendit, & eodem tempore in altera descendit, & simul in capite mouetur circulariter: vel quando in membris diuersis corporis, habet diuersas figuras suae praesentiae localis, impossibile in eodem loco.

Adde praeterea, quod licet modi impossibiles eiusdem rei distinguerentur inter se realiter: maior tamen & solidior distinctio admittenda esset inter personas diuinas. Tum quia absurdum est, & inauditum, dicere tres personas diuinas non plus distingui inter se, quam Christum in Eucharistia positum in tribus hostiis: in vna rotundē, in altera quadratē, in tertia triangulariter. Tum etiam quia in diuinis est vera & realis productio: at modi puri & simplices non producantur: iuxta doctrinam eorum qui de illis melius & magis cohaerenter philosophantur. Alioquin quando res aliqua seipsam modificat, produceret modum suum: atque ita distingueretur realiter ab illo. Productio enim realis infert necessariō realem distinctionem: alioquin in diuinis non esset ratio cur persona producta & procedens distingueretur realiter, vt alibi ostendimus, & expresse docent Concilia Toleran. xi. Florent. & sancti Patres locis relatis à Didaco Ruio disp. 9. sect. 5.

Denique quod tertia propositio incidat imprudenter in illud idem quod male in aliis reprehendit: probatur, quia reprehendit in aliis, quod sic distinguant: Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, in illo tertio, concedo: vel, si sunt eadem illi ad quae scripto & conuertibiliter, siue in tota sua virtuali vniuersalitate, concedo. Secus nego. Ipsa verò sic distinguit: Si sunt eadem vni tertio simpliciter, concedo. Si tantum vt taliter & taliter se habenti, nego. vel, Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem res, id est, non sunt distinctae res: concedo. non sunt distincti modi, nego. Quasi verò modus huius respondendi magis tollat difficultatem & repugnantiam apparentem, minusque petat principium, aut euertat sensum praedicti axiomatis. Nam, per aduersarios, modus illi sunt ipsamet res, neque ab illa distinguuntur à parte

rei, ac ne quidem ratione iuxta Apos. Nominales quos modò impugnamus. Ergo dicere quod sunt distincti modi, & non sunt distinctae res, est dicere quod est & non est distinctio secundum idem: quod quae personae sunt res, vt essentiae, & non sunt idem vt modi: cum tamen modi illi nihil sint aliud re & ratione, quam ipsa essentia. Item si nostra distinctio petit principium vel euertit sensum axiomatis: non minus petitur principium, vt euertitur sensus axiomatis, cum dicitur, Quae sunt eadem vni tertio simpliciter, sunt eadem inter se: Non autem sunt eadem solum vni tertio, vt aliter & aliter se habenti. Nam vis axiomatis in eo videtur consistere, vt probet esse eadem inter se, ex eo quod sunt eadem cum tertio. Nimirum quia impossibile apparet, non esse eadem inter se, si sunt eadem cum tertio. Et respondetur esse eadem illi, non simpliciter, sed vt taliter & taliter se habenti. Cum tamen essentia, vt taliter & taliter se habens, nec re, nec ratione differat ab essentia simpliciter. Ac proinde esset idem cum essentia vt taliter se habente, sit idem re & ratione, & esse idem cum essentia simpliciter.

Adde quod falsum est personas diuinas non esse idem cum essentia simpliciter, quia libet etiam esse simpliciter Deus. Et ex Lateran. cap. Damianus, quae libet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina. Vbi not. Concilium dicere simpliciter & absolute quamlibet personam esse essentiam: cui propositioni Concilij contradicit ista aduersariorum, Persona non est essentia nisi vt taliter se habens. Si cum non est essentia nisi vt taliter se habens, falsum est dicere simpliciter & sine tali addito, quod sit essentia. Et tamen id Concilium asserit.

Idem dico de altero respondendi modo, quod sunt eadem res, sed non sunt idem modus: siue quod non sunt distinctae res, sed tamen sunt distincti modi. Cum enim modi, per illos, nec re, nec ratione distinguantur ab essentia: quomodo distinguuntur modi, cum non distinguatur essentia? Et quomodo non recte infertur esse idem omni modo inter se, quo essentia est idem cum modis: ac proinde personas non differre vt modos, aut per modos: cum non differant in essentia, cumque modi sunt penitus idem re & ratione, nulloque pacto ab ea distinguuntur? Adde esse falsum, & contra doctrinam Patrum & torrentem Theologorum, dicere tres personas diuinas non distingui vt tres res relatiuas, vt ostendimus sect. 12.

## SECTIO IX.

An relationes, seu proprietates personales sint perfectiones, & quales?

Dico primò, Relationes seu proprietates personales, secundum id quod re-

Tertia propositio enunciam sententia non sibi consistat.

Conclusio  
affirmativa  
probat ex  
D. Thom.

tionem, et virtualiter superaddunt essentiae  
diuinae, esse perfectiones veras, reales & po-  
sitiuas, planeque necessarias, vt Deus sit  
completus & perfectus substantialiter.  
Probat primò ex D. Thom. q. 29. art.  
3. vbi sic ait: *Persona significat id quod  
est perfectissimum. Vnde cum omnis perfe-  
ctio sit Deo tribuenda, consequens est vt per-  
sona de Deo dicatur. Atqui Deus est perso-  
na per tres relationes sine proprietates  
personales constituentes naturam in esse  
hypostatico. Ergo persona significans de  
formali huiusmodi relationes, signifi-  
cat aliquam perfectionem. Et quidem  
talem vt Deum formaliter constituat in esse  
perfectissimo, id est, in esse substantiali per-  
fecto, & vltimò complexo. Persona enim  
idem est, ac natura intellectualis seu ra-  
tionalis, vltimò completa substantialiter,  
& in esse totali atq; perfecto constituta.*

194.

Probat  
ex Patrib.Basil.  
Grill.

Nazian.

Athanas.

Epiphani.

Probat secundò ex sanctis Patribus,  
quoque plurima testimonia in hanc sen-  
tentiam videri possunt apud Didac. Ruis.  
disp. 29. sect. 3. & 4. Principia sunt quae  
sequuntur. Basil. lib. 2. contra Eunoch. inter  
principium & medium. *si bonum, si pul-  
chrum quod amina beatitudini Patrem esse: quo-  
modo ergo à principio, quod decebat, ipsi non  
aderat? Cyril. Alexand. lib. 2. thesauri cap.  
6. in fine: Cum Pater semper perfectus sit, quid  
prohibet aeternum cum ex ipso generare filium  
sibi coaeternum? Et cap. 5. circa medium. si  
Patri filius coaeternus non est: necesse erit con-  
cedere imperfectam aliquando fuisse sanctam Tri-  
nitatem. Et lib. 2. thesauri cap. 1. Non po-  
test esse perfecta Deitas, nisi filium habeat, &  
fructum ex se pariat. Gregor. Nazian. orat.  
37. ferè in initio, si vnum dicitis (Spiritus san-  
ctum) audax hoc dicat, ne duo quidem superiori  
loco collocet. Quae enim imperfecta Deitatis v-  
tilitas? Imò quae Deitas, si imperfecta? Perfecta  
autem quomodo erit, in qua ad perfectionem ali-  
quid desideretur &c. quasi verò praeiiterit  
Deo aliquando imperfectum extitisse, ac spiri-  
tus expertem. Athanas. orat. 2. contra Aria-  
nos, in medio, Res condita, si non sunt in  
rerum natura, non diminuum conditorem. Proles  
autem si non coaeternaliter existat cum patre, de-  
trimentum afferet perfectioni illius substantiae. Am-  
brof. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope  
finem, si aliquando, vt volunt (Ariani scilicet)  
filius non fuit, quod negas dicitur, est non  
fuit ergo in Deo aliquando perfectionis plenitudo  
diuinae, si postea processum generationis accepit.  
Simili discursu Epiphanius haeresi 60. col.  
10. ante finem, probat nunquam fuisse pa-  
trem sine filio, quia profecisset in perfeccio-  
ne filium generando. Pater autem semper  
perfectus est, & nunquam perfectione in-  
digeret. Ideoque non potest profectum fa-  
cere in Deitate.*

Ex his Patrum testimonijs manifestè li-  
quet ipsos intellexisse proprietates perso-  
narum diuinarum, quibus Deus con-  
stituitur in esse Patris, Filij, & Spiritus  
sancti, esse perfectiones: quandoquidem

Deus sine illis imperfectus foret: & si  
in tempore illas acquisiuisset, in perfe-  
ctione profecisset, vt aiunt Patres sup. ci-  
tati: esseque pariter absolute necessarias,  
quandoquidem Deus sine illis nullo modo  
esse poruit, nisi esset imperfectus, vt iam  
Patres affirmant. Est autem absolute  
impossibile Deum non esse, aut esse im-  
perfectum. In quo differunt propieta-  
tes personarum diuinarum ab actibus  
liberis & contingentibus diuinae volunta-  
tis & scientiae, quibus Deus carere po-  
tuit absque imperfectione, cum non  
pertineant ad complementum perfectio-  
nis substantiae diuinae, sicut proprietates  
personales: sed sint duntaxat habitudines  
quaedam, accidentariae logicè, ad obie-  
cta in quae Deus, contingenter aut liberè  
tendit, per modificationem quantitatis &  
determinationem actus essentialis & ne-  
cessarij circa eadem obiecta spectata in esse  
possibili, iuxta ea quae diximus disp. 14.  
sect. 2.

Probat tertio rationibus Theologi-  
cis. Nam primò, proprietates illae sunt  
rationes reales positivae ac diuinae, Probat  
ratio.  
constituentes Deum in esse vltimo sub-  
stantiali: suntque partim ad agendum no-  
bilissimè, producendo, in quod tanti  
principij perfectioni respondeat: partim  
sunt terminus formalis productionum illa-  
rum excellentissimarum, adeoque sunt ipsae  
quoque excellentissimae. Item sunt ratio-  
nes hypostaticae, & videmus terminus exi-  
stentiae substantialis naturae diuinae, vt dis-  
putatione sequenti declarabitur: quod si-  
ne dubio perfectio quaedam est. Si enim in  
substantijs creatis perfectio est quod per  
se subsistant, in eoque praecellunt acci-  
dentibus, quae indigent subiecto, à quo  
sustententur: quomodo non erit perfectio in  
Deo quod per se existat trisubstantialiter?  
Secundò, incredibile est mysterium  
Trinitatis nullam in Deo perfectionem con-  
nere. Cum enim esset illa multiplicatio  
personarum in ente summè perfecto, si il-  
larum, quatenus tales sunt, nulla est per-  
fectio? Omnino nulla esset maiestas istius  
mysterij, si personae, vt sic, essent merum non  
ens. Imò euidenter est impossibile perso-  
nas distingui realiter, si nihil sunt praeter es-  
sentiam vnicam & indistinctam. Et manife-  
stum est quod quando dicimus, Deus est tri-  
nus: affirmamus aliquid aliud, quod non af-  
firmamus quando dicimus, Deus est vnus. Id  
autè quod affirmamus tali propositione, non  
est negatio, sed positiuum, & constitutum Dei  
in esse personali trinali. Si autem est posi-  
tiuum; est ens. Et si est ens: est certè valde  
perfectum: quippe quod est idem se Deus,  
& est ex absoluta essentiae necessitate, Deū;  
constituit & distinguit in esse patris, filij &  
Spiritus sancti. Tertio, quod Deus sit trinus  
in personis, est speciale obiectum laudis, ado-  
rationis, & amoris. Ergo est aliqua perfectio  
vltra vnitatem essentiae, & quidem singu-

laris & inimitabilis a creaturis. Antecedens quoad primam partem de laude & adoratione, patet ex Symbolo Athanasij: *unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremus*: & ex verbis Ecclesiae in praefatione Missae de sanctissima Trinitate, *Et essentia unitas, & in personis proprietates, & in maiestate adoretur aequalitas, quam laudant Angeli atque Archangeli, & Throni quoque & Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes, sanctus, sanctus, sanctus &c.* Plura ad idem confirmandum ex sexta Synodo actione XI. Nicena secundum actione 3. Dionysio, Athanasio & Basilio, vide apud Didacum Ruis disp. 29. Sect. 6. num. 12. & tribus sequentibus. Quoad secundam vero partem de amore, probatur quia non est dubium, quin Deus sibi complaceat in eo quod est trinus in personis, quoddamque Pater Filium generat per fecunditatem intelligentiae, & ambo spirant Spiritum sanctum per fecunditatem actus voluntatis. Confirmatur ex illis Dei verbis Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Nam precipuum obiectum illius complacentiae erat, quod humanitas Christi esset unita hypostasi Verbi divini, ex qua summam amabilitatem trahebat. Propter quam etiam digna erat adoratione, & aequali honore cum Deo, tanquam una de personis sanctae & adorandae Trinitatis. Consentunt in hac conclusionem Suar. lib. 3. cap. 9. num. 15. Vasq. disp. 122. cap. 2. Ruis disp. 29. & 30. & plures alij quos isti citant.

97.

Relationes  
divinarum  
personarum  
non sunt  
perfectio-  
nes simpliciter

Dico secundò relationes, seu proprietates personarum divinarum non esse perfectiones simpliciter simplices. Quam assertionem puo manifestam esse supposita & bene intellecta definitione perfectionis simpliciter simplicis, sumpta ex Anselmo, Quae melior ipsa, quam non ipsa, aut qualibet alia incompossibilis cum ipsa, cuilibet enti ens est: id est, quae non repugnat vti alteri meliori aut aequae bonae in quolibet ente singulari, spectato iuxta rationem entis, & non iuxta propriam rationem specificam. Ita nimirum si ens habens talem perfectionem sit melius, & perfectius quolibet eam non habente. Quo supposito sic argumentor: Proprietates personarum divinarum repugnant alteri aequae bonae, in aliquo ente, nempe in aliquo supposito divino. Paternitas enim repugnat filiationi, & spiratio aeterna spirationi passiva aequae bonae ac perfectae: neque enim est melius esse Patrem, quam esse Filium; aut esse spiratorem, quam esse spiritum. Atqui perfectio simpliciter simplex non repugnat alteri aequae bonae. Ergo non sunt perfectio simpliciter simplex.

Dixi assertionem esse manifestam supposita & bene intellecta definitione perfectionis simpliciter simplicis, ab An-

Impugnatio  
contra.

selmo tradita & communiter recepta: Nam contra illam peccare arbitror, & de nomine litigare, aut potius de significatis illi voluntarie per ipsos impositis, eos omnes qui dissentiant a proposita conclusione. Et qui dixerit praesens conceptum substantiae divinae disjunctivè, esse perfectionem simpliciter simplicem; aut conceptum confusum & univocum personae divinae abstractum à tribus personis divinis: quia est melius cuilibet enti, et ens est, habere aliquam substantiam divinam, quam non habere. Et enim definitio perfectionis simpliciter simplicis superius tradita, debet intelligi de perfectione una & determinata: non autem de disjuncto ex multis: tum quia disjunctum proprie non est perfectio, sed perfectiones disjunctivè significatae aut conceptae. Tum etiam quia sequeretur, haec disjuncta esse perfectiones simpliciter simplices: esse Deum, aut esse creaturam, & substantiam aut accidens, esse spiritum aut corpus. Quae & similia sunt absurda & inaudita. Idemque dico de conceptu confuso & univoco personae, abstracto à tribus personis divinis. Qui conceptus non est una perfectio realiter, sed tres confusè per modum unius, imperfectaeque concepta & significata hac voce, *Persona*. Neque verò conceptus confusus & univocus censeri debent esse perfectio simplex: vel secundum se propter rationem iam allatam: vel etiam secundum singularia à quibus abstrahuntur, nisi secundum illa, aut secundum illud eorum, quod huiusmodi est, ut sit melius ipsum, quam non ipsum, aut quodlibet aliud incompatible cum ipso cuilibet enti ut ens est.

Peccant similiter qui dicunt proprietates personales esse perfectiones simpliciter simplices comparatas ad Deum, vel ad essentiam divinam, cui non sunt incompossibiles, & cui melius est esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quam non esse. Quamvis enim tres relationes personales conveniant simul essentiae divinae, sintque illi meliores, quam quilibet incompossibile cum illis: non tamè sunt tres simul una perfectio simplex, nec quilibet singillatim, stando definitioni supra datae perfectionis simpliciter simplicis, & vero eius sensui: Quae scilicet est melior ipsa, quam non ipsa, aut incompossibilis cum ipsa, cuilibet enti quae ens est indivisibiliter sumpto & singulari. Licet enim paternitas sit melior essentiae & Deo: non tamen est melior cuilibet enti quae ens est: quia non est melior Filio, quam filiatione cum ipsa incompossibilis. Tres quoque relationes simul sumptae non sunt una perfectio simplex: tum quia non sunt una perfectio individua, sed tres: definitio autem perfectionis simplicis, est rei unius & individuae, quae melior ipsa cuilibet enti &c. Tum deinde quia impossibile est, ut tres simul conveniant cuilibet enti quae ens est, sintque illi meliores quam non ipsa, aut

quàm aliâ impossibiles. Est enim impossibile ut concipiant Patri, vel Filio, vel Spiritui Sancto, sintque meliores cuiuslibet illorū ut ens est. Ita scilicet ut Patri, quatenus ens est, melius sit esse simul intrinsicè Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quàm esse Patrem tantum distinctum realiter à Filio, & à Spiritu sancto.

100. Peccant tertio, qui dicunt relationes diuinas, etiam prout comparatas ad singulas personas, esse perfectiones simplices, si intelligatur illud esse perfectionem simplicem, quod est melius habere, quàm non habere. Habere, inquam quocunque modo, siue tanquam intrinsicè constituens, aut aliter efficiens formaliter, siue tanquam possessum aut extrinsecè pertinet ad se. Quilibet autem persona diuina licet non constituitur intrinsicè relationibus sibi oppositis: illas tamen habet alio modo tanquam ad se pertinentes. Nam per circuminfectionem quæcunque sunt in vna persona, sunt alterius, iuxta illud Christi Ioan. 16. *Omnia que habet Pater, mea sunt.* & Ioan. 17. *Omnia mea tui sunt, & tua mea sunt.* Sicut enim fructus ab arbore pendens, ad arborem pertinet tanquam illius ornamentum: sic & multo magis Filius pertinet ad Patrem æternum, & Spiritus sanctus ad spiratorem. Ac vice versa, Pater pertinet ad Filium, & spirator ad Spiritum sanctum, tanquam illius principium. Et quicquid est vnius personæ proprium, est alterius, quia ad alteram est id quod est. Peccant, inquam, eo quod malè explicant, per, habere quomodo, inque, id quod dicitur in definitione perfectionis simpliciter simplicis, *que melior ipsa quàm non ipsa &c. cuiuslibet enti ut ens est.* Verus enim sensus horum verborum est, quæ melior ipsa est supple; cuiuslibet enti, in quo scilicet est, aut illud ipsum est per identitatem. Vallem. Ut declarat auctor istius definitionis S. Anselmus in Monolog. cap. 14. cum addit paulò post; *Melius autè est in aliquo non ipsum, quàm ipsum: ut non aurum quàm aurum. Nà melius est homini non esse aurum, quàm esse aurum: quamuis forsitan melius esset alicui aurum esse, quàm non aurum esse, ut plumbo.* Et sæpius eodem capite repetit perfectionem simplicem esse illam quæ est melior quàm ipsius oppositum, ut sapiens, quàm non sapiens, aut quæ in aliquo melior est, quàm impossibilis cum illo, spectato scilicet ut ens est.

SECTIO X.

*Soluntur argumenta contrariarum opinionum.*

101. **C**ontra doctrinam traditam sectione præcedenti sentiunt non pauci. Quorum aliqui contendunt relationes personarum diuinarum non esse perfectio-

nes, ut Scoeus Quodlibeto 5. articulo 1. & 2. Caietan. 1. p. q. 28 art. 2. circa solutionem tertij. Molin. quæst. 3. art. 7. disp. 2. §. secundo, & est argumentum ad hominem: Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 12. Becan. cap. 2. de Trin. q. 6. conclus. 2. Alij ex opposito contendunt esse perfectiones simpliciter simplices, ut Maior in 1. dist. 33. & 34. quæst. vnica prope finem. S. *Ad aliud dicitur*: Valentia in controuersijs lib. 2. de Trinit. cap. 12. Vasq. disp. 122. cap. 4. & Ruys disp. 30. sect. 9. num. 5. Sed isti nihil opponunt quod solum supra non sit.

Alicum argumenta hæc præcipue esse possunt. Primò, quia alioquin essent in Deo plures perfectiones diuersæ realiter. At qui perfectio diuina, ut pote suprema, est vnica. Ideoque Patres vitant nomen plurale, quando loquuntur de perfectione Dei. Secundo, sequeretur in vna personarum diuinarum perfectionem aliquam esse, quæ non esset in alia. Ex quo sequeretur personam illam esse imperfectam; quippe carentem perfectione aliqua, & quidem valde magna. Tertio, sequeretur plus esse perfectionis in tribus personis simul sumptis, quàm in vna, contra communem sensum fidelium, & contra illud Augustini lib. 6. de Trin. cap. 8. *Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus; quantus est Pater, Filius, & spiritus sanctus.* Quarto, si proprietates illæ essent perfectiones: essent infinitæ, & vna contineret aliâ. Quinto, sequeretur vnam personam esse alia perfectiorem: quia perfectiones illæ essent veluti speciem diuersæ: & idè inæquales: species enim sunt sicut numeri. Atque ita illa saltem quæ est omnium perfectissima, esset perfectio simpliciter simplex.

Ad primum Respondeo esse in Deo plures realiter perfectiones relatiuas, vnicam absolutam: eodemque sensu inæquales esse Patres, quorum plurimi agnoscunt in Deo plures substantias; & plures res: ut Anselm. lib. de Incarn. Verbi, cap. 3. *videlicet nomen Christianum id non conuenit: & D. August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 5. & Hilar. lib. 7. de Trinit. multò post medium.* Quæ tamen malè à quibusdam citatur in eandem sententiam lib. de Synodis, post duodecim Anathematismos Orientalium, quasi ibi affirmet nomina Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non simpliciter, neque otiosa proponi, sed significare diuenter propriam vniuscuiusque nominatam substantiam, & ordinem, & gloriam: ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò vnum. Malè inquam, citantur verba illa, ut propria Hilarij, cum ab ipso tantum referatur ex expositione fidei Synodi cuiusdam Antiochena, ab ipso que referendatur paulò post.

Sicut autem dicuntur tres substantiæ, & tres res: ita etiam tres entitates relatiue dici possunt, tres vnitates, tres bonitates, tres quidditates, tres existentia, tres durationes,

102. Refellitur qui dicunt relationes diuinas non esse perfectiones.

103. Sicut in Deo plures realiter perfectiones.



tres perfectiones relatiuæ, & alia id genus, quæ æquivalent, ac necessariò vel includuntur, vel importantur, & multiplicuntur realiter in tribus relationibus realiter distinctis, videlicet paternitate, filiatione, & spiratione passiuæ: nam quartâ relationem, nempe spiratio actiuæ, non distinguitur re à paternitate, & à filiatione, sed illis duabus identificatur, sicut essentia identificatur omnibus. Quod autem ait Damasc. lib. 1. de fide cap. 9. paulò post initium, in proprietate Patris, quàm vocat innascibilitatem, non esse axioma, seu dignitatem: intelligit, præ Filio, cum quò Patrem ibi confert: aut negat tantum absolutam dignitatem, non relatiuam. Neque enim contradicitur illis, quæ subiungit cap. 10. Vbi agnoscit differentiam in diuinis personis secundum perfectionem substantiæ, atque Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus.

104. Ad secundum Respondeo nullam in quavis personarum diuinarum esse perfectionem, quæ non sit in alia, saltem eminenter ratione essentia, in qua proprietates ipsarum personarum productiuam, & productarum continentur eminenter. Licet autem paternitas non sit formaliter in Filio, non idem Filius est imperfectus. Sicut neque Pater est imperfectus, quia filio non est formaliter in ipso. Neque Deus ipse est imperfectus, quia non est in eo formaliter ratio lapidis vel leonis. Nam ex negatione perfectionis impossibilis, eo modo quo est impossibilis, non oritur proprie imperfectio in eo qui illam habet perfectiori, & possibili modo: sed tantum ex negatione perfectionis debita, aut possibilis, etiam quoad modum, & nullo modo habitæ, neque formaliter, neque eminenter in re sumpta ad quæ prout est à parte rei, secundum totam realitatem suam.

105. Ad tertium Respondeo, quemadmodum quilibet trium personarum habet realem quandam proprietatem, quæ constituitur & distinguitur ab alijs: ita esse in quolibet formaliter proprietatem aliquam, quæ non sit formaliter in alijs. Vnde sequitur plus esse perfectionis secundum quid, extensiuè scilicet, in tribus simul sumptis, quàm in quolibet singulatim: non tamen simpliciter, & intensiuè, quia quilibet relatione essentia tantum continet eminenter, quantum Trinitas tota: quo sensu locus Augustini obiectus intelligendus est: Sic etiam Deus & mundus simul sunt quid perfectius secundum quid, & extensiuè tantum, quàm Deus solus: quia mundus aliquas habet perfectiones, quæ non sunt in Deo formaliter, & non intensiuè, neque simpliciter & proprie: quia quicquid est in mundo perfectionis, continetur in Deo modo eminentissimo. Non dicitur autem aliquid perfectius proprie & simpliciter ex accessu perfectionis non simpliciter simplicis ad perfectionem simplicem, ipsam emi-

neret continentem.

Ad quartum Respondeo proprietatem diuinam esse infinitam in suo genere: at non simpliciter in omni genere perfectionis, loquendo de illis secundum id quod quodammodo superfluit essentia præcise sumptæ. Neque propterea unam in alia contineri. Nam quod est infinitum in vno tantum genere, non propterea continet infinitum in alio genere. Imò ne quidem necessarium est, ut contineat quicquid est in illo genere, nisi sit infinitum in illo perfectissime, exhauriendo totam illius amplitudinem: quomodo Paternitas Dei patris est perfectissime infinita in genere paternitatis diuinæ. Nam alioqui creata lapidum multitudo aliqua infinita, & cæta dispositorum per lineam ductam ab Oriente in Occidentem, posset creari alia multitudo infinita lapidum à Meridie in Septentrionem, & alia innumeræ illis parallelæ, aut secundum alias differentias innumeratas. Quare falluntur qui definiunt infinitum, extra quod nihil est.

Ad quintum Respondeo, non oportere ut species quæ non sunt absolute, neque habent naturam diuersam, licet quidditates & rationes proprias habeant diuersas, sint inæquales inter se, & vel maiores, vel minores, licet sint differentes: vtque in eo species vniuersim sint sicut numeri. Quod si proprietates diuinæ sunt aliqua reale, & quasi specie differunt, ut negari non potest, patiuntur eandem difficultatem aduersarij, quamuis negent esse perfectiones: in quos similiter cetera argumenta ab ipsis obiecta retorqueri possunt.

Dices videri per se notum, quòd esse principium sit perfectius secundum se, quàm esse principium: & dare esse alteri, quàm accipere ab alio: & esse à se, quàm esse ab alio. Pater autem ratione suæ proprietatis habet ut sit principium, & det esse alteri, & sit à se: ergo &c. Item negari non potest, quin Pater sit perfectior Spiritu sancto, & Filius similiter. Nā in Filio est duplex relatio. Vna, generationis passiuæ: altera, spirationis actiuæ. Quarum prior æqualis est in perfectione, spirationi passiuæ, quam solam habet Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus superatur à Filio altera relatione spirationis actiuæ. Idemque dic de generatione actiuæ, & spiratione actiuæ Patris, collati cum Spiritu sancto. Confirmatur, quia spiratio actiuæ spiratoris non est minoris perfectionis, quàm spiratio passiuæ spirati. Nam si non est perfectius spirare, quàm spirari: & dare esse, quàm accipere, saltem non est imperfectius. Ergo Pater & Filius, quæ spirantes, seu ratione spirationis actiuæ, sunt æqualis perfectionis cum Spiritu sancto. Atqui præter spirationem actiuam, habent proprias relationes, quibus inter se opponuntur & distinguuntur, generationem scilicet actiuam, & passiuam. Ergo eatenus superant perfectione Spiritum sanctum: Pater quidem, ratione ge-

Qualibet perfectio est in quolibet persona diuina formaliter vel eminenter.

In tribus personis diuisis plus est perfectionis, quàm in vna, extensiuè tantum.

nerationis actiua: Filius autem, ratione passiva.

109.

Persona diuina producens non est per se, sed quia persona producta.

Ad primum, nego antecedens. Id enim non est verum in perfectissimo illo modo productionis & communicationis qui est in Trinitate, in quo ex simplici & absoluta necessitate principium producit communicando eandemmet essentiam, in omni genere perfectionis infinitam, & identificatam cum termino formali producto. Terminusque productus existit ex absoluta necessitate ab intrinseco. Et tam necesse est ab intrinseco ut sit persona quae producit, quam ut sit persona producens. Quamque est necessarium ab intrinseco personam producentem esse secundam: tam est necessarium ab intrinseco terminum illius fecunditatis existere: ex intrinseca, inquam, ipsius termini perfectione: Nam ut alibi diximus, terminus fecunditatis generatiuae, aut spiratiuae, existit necessarium; non ex eo tantum quod habeat principium necessarium determinatum ad sui productionem: id enim esset habere tantum necessitatem ab extrinseco: sed potius terminus ille, seu persona diuina producta, per se, & quatenus talis est, atque ex intrinseca sua perfectione non minus habet necessitatem existendi per processionem ab illo principio: quam principium illud habeat intrinsecam necessitatem essendi & producendi. Talis autem terminus, tanta necessitate connexus cum suo principio, non illi subiectus, neque ab illo dependens, sed aequali necessitate absoluta existens, tamque illum inferens necessarium existendo, quam ab ipso inferitur, debet omnino esse par & aequalis perfectionis cum suo principio. Et in tali modo productionis non est melius aut beatius dare quam accipere. Cum is qui dat, ideo sit ut det ex absoluta necessitate: neque sit magis propter se, quam propter terminum quem producit ex intrinseca & absoluta necessitate suae perfectionis.

110.

Personae diuinae quomodo sunt aequales.

Ad secundum responderi potest primo non esse inconueniens quod Pater, aut Filius, ratione vtriusque perfectionis comparata cum vnica Spiritus sancti, sit secundum quid extensius & improprie inaequalis, quamuis intensiue & simpliciter sint aequales, quatenus quilibet continet eminenter, ratione essentiae, quamcumque alterius perfectionem propriam: quia consistat essentia diuina, in qua sunt omnes perfectiones vel formaliter, vel eminenter, etiam relatiuae. Vnde ex ea parte omnes personae sunt inter se aequales intensiue & simpliciter. Sic etiam non est inconueniens quod Pater & Filius magis conueniant inter se secundum quid, quam cum Spiritu sancto: habeantque praeter identitatem naturae, conuenientiam in ratione productiui ad intra: quae conuenientia est aliqua perfectio, & non est in Spiritu sancto. Sane Patres Graeci non

dubitarunt dicere, Patrem esse maiorem Filio; non natura, sed ratione personae. Vt Nazianzenus orat. 3. de Theologia, longe a fine, Athanas. orat. 2. contra Arian. prope finem, Basil. lib. 4. contra Eunomium, Damascen. lib. 1. de fide cap. 9. & ex latinis Hilar. lib. xi. de Trinit. longe ante medium. Videri potest Clichtoueus super Damascen. lib. 1. de fide cap. 9. & 11. Et Suar. lib. 2. cap. 2. num. 6. vbi notat Patres aliquos intellexisse de Filio, vt Deo, inud Ioan. 14. Pater maior me est. Quod licet verum non existimem, neque consentaneum doctrinae supra tractatae: alioqui enim paternitas esset perfectio simpliciter simplex, quia melior ipsa quam filiatio ei impossibilis: idemque esset dicendum de spiratione aeterna respectu passiva: hoc tamen placuit annotare, ne quis timore trepidet, vbi non est timor.

Quod si adhuc videtur esse curius responderi secundum potest spirationem passivam, sicut responderi immediatè & proprie relationi spirationis actiuae, tunc verò & mediatae relationibus paternitatis & filiationis, quatenus de ratione Patris & Filij est dare & accipere naturam cum fecunditate spirandi: ita per se solam illis aequalere, & tantum conferre perfectionis Spiritui sancto, quantum oppositae relationes tribuunt personis Patris & Filij ipsi oppositis relatiue. Neque propterea spiratio passiva erit perfectio simpliciter simplex: quia non melior ipsa quam paternitas aut filiatio impossibilis, secundum id totum quod importat. Veraque enim importat spirationem actiuam ratione cuius, adaequate sumpta, aequalis saltem perfectionis est cum spiratione passiva.

SECTIO XI.

De relationibus personarum inter modi essentiae diuinae.

Respondeo affirmatiue cum Henrico 2. Rp. Summae art. 55. quaest. 6. Alens. 1. p. q. 44. in corp. Bonavent. in 7. dist. 1. p. 2. art. 1. q. 1. ad 3. Aureolo ad eandem dist. p. 2. art. 4. Riccio dist. 32. art. 1. quaest. 1. Suar. lib. 4. de Trin. cap. 6. num. 4. Vasq. disp. 120. cap. 6. num. 27. in fine. Ruis disp. 12. de Trin. sect. 5. num. 3.

112.

Henric. Alens. Bonau. Riccio.

Probatur primo auctoritate Patrum. Iustinus enim Martyr in expositione fidei de Trin. dicit haec omnia, ingenitum, genitum, procedentem, id est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; non ad essentiam accipere, sed ad modos subsistentiae, eod quod modus subsistentiae vocibus his exprimitur. Vt Pater a Filio iuxta subsistentiae modum differat, salua idem

Probatur relationes esse modos essentiae diuinae.

itate iuxta rationem essentia. Et Gregor. Nyssen. libro ad Ablaium *Quod non tres dii*, in fine, ait personas modo tantum separari, non autem naturam. Additque aliam esse rationem eius quod quid est: aliam eius quod quomodo est. Cyrill. quoque Alexandr. in Dialogo de Trin. lib. 7. prope medium, affirmat nominibus personarum Patris, Filij, & Spiritus sancti inesse proprietatem, non quae distinctam indicet, sed quae bene significet, quis modus existentiae singulorum nominatorum à nobis intelligatur. Similique modo loquitur Boëtius in libello *Utrum Pater, Filius, & Spiritus sanctus, de diuinitate substantialiter praedicentur*, prope finem, ubi sic ait: *Quod si personae diuinae sunt, substantia uero indistincta est, necesse est uocabulum quod ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere: sed nimirum ad modum existendi.* Plura in eandem sententiam Sanctorum Patrum testimonia refert Didacus Ruis sect. citata num. 7. & sequentibus.

13.  
Concil.  
Lateran.

Probatum secundò ex Concilio Lateranensi cap. *Damnatus*, ubi affirmat tres personas diuinas esse, consubstantiales, id est, habere eandem numero substantiam, & quod idem est, non differre substantiam. Ergo proprietates quibus differunt non sunt substantia, sed modus substantiae. Item ibidem definit Patrem, generando Filium, eam substantiam suam ei dedisse. Atqui non dedit illi paternitatem. Nam ut ait Concilium Florentin. in literis unionis, Omnia quae habet Pater, unigenito Filio suo dedit gignendo, praeter esse Patrem. Ergo paternitas non est de substantia Patris. Ergo superest ut sit modus substantiae Patris. Par autem est ratio de filiatione & spiratione, respectu Filij & Spiritus sancti. Et quamuis, ut a libi ostendimus, Concilium ibi nomine substantiae intelligat essentiam: ideoque hic locus non amplius probare videatur, quam proprietates, seu relationes non esse de essentia: ex his tamen eius uerbis, apparet Concilium intelligere id quod non pertinet in Deo ad essentiam, non pertinere etiam ad substantiam: & quod non pertinet ad quod est; non pertinere quod quod est, sed ad quomodo est. Nam idem Lateranense cap. citato sic habet: *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est & Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino.* Ergo paternitas, filiatione, & spiratio non sunt id quod est, ut neque sunt inditas & essentia diuina. Alioquin enim Pater, Filius, & Spiritus sanctus non essent idem omnino quoad id quod est: quia non sunt idem omnino, sed realiter distinguuntur, quoad paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam. Superest ergo ut pertineat ad quomodo est.

14.

Probatum tertio ratione. Nam in substantiis quibuslibet creatis, siue spiritualibus siue corporeis, uincibus aut inanimatis, mo-

do existendi per se, & uultimus terminus naturae substantialis secundum existentiam, qui subsistentia dicitur, non censetur esse de essentia & natura substantia: quomodo modum neque modus inherendi subiecto, proprius accidentium, & oppositus modo existendi per se, qui est proprius substantiarum, censetur esse de essentia siue natura accidentis. Unde color v. g. abstractus à subiecto, ut in speciebus Eucharisticis, dicitur habere nihilominus totam essentiam & naturam coloris. Et humanitas Christi, priuata propria & naturali subsistentia, habet nihilominus totam & integram essentiam siue naturam ueri hominis: Quare hypostasis non pertinet intrinsecè ad conceptum primarium & essentialiter naturam substantialis, neque ad eius complementum essentialiter: sed solum ad complementum hypostaticum: id est, ad hoc ut natura iam plenè constituta essentialiter, ultimo terminetur secundum existentiam, existatque modo connaturali, id est, per se & per simplicem uultum sui sufficienter non indigentis ad mixtum subiectum. Simili modo gignit relationes seu proprietates personarum diuinarum, quae uel sunt modi quibus subsistit natura diuina & ultimo terminatur secundum existentiam, ut paternitas, filiatione, & spiratio passiuam: uel aliquid illis simile & aequiuale, ut spiratio actiua: non pertinet intrinsecè ad conceptum primarium & essentialiter naturam diuinam, neque ad illius complementum essentialiter, sed ad hypostaticum dumtaxat, aut illi simile & aequiuale. Neque enim spiratio actiua debet concipi magis pertinere intrinsecè ad conceptum essentialiter, quam spiratio passiuam ipsi respondens.

Confirmatur primò, quia iuxta Sanctorum Patrum doctrinam proprietates & relationes personales non sunt de essentia, natura, uel substantia personarum diuinarum; sed circa illa considerantur, & personas secerunt atque constituunt in propria hypostasi; nominatque Patris, Filij, & Spiritus sancti, non sunt nomina substantiae, sed relationis, ut uideat est locis citatis sect. 4. huius disp.

Confirmatur secundò, quia natura & essentia diuina concipienda est, ut uideatque perfecta simpliciter: ita ut nullum attributum formaliter sumptum concipiatur esse intrinsecum & essentialiter, quod non sit perfectio simpliciter simplex, quam melius fit habere formaliter, quam non habere, aut quam habere aliam incompatibilem uiliter entem est. Hoc enim uidetur postulare perfectio essentiae diuinae, ut intelligatur continere unumquodque eo modo, quo melius est illud contineri: formaliter quidem, ea quorum formalis contentia melior est: eminenter uero, ea quae melius est eminenter tantum continere. Atqui relationes personarum diuinarum non sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo non sunt formaliter sumptae de conceptu primario & essentialiter naturae diuinae. Dixi relationes formaliter sumptae: quia non

non nego contineri eminenter in essentia diuina; & communicabilitatem, siue radicem virtuales, & fundamentum huiusmodi relationum, esse Deo essentiali. Quae radix est formaliter ipsa essentia diuina, excellentissime infinita, & talis, vt non terminetur adaequare vnica hypostasi, sed vltimius ad alias duas absoluta necessitate diffundi debeat.

116. *Ratio eius relationis sine modi essentia, non est quia non sunt communes tribus personis.* Addunt aliqui rationem cur relationes sint tantum modi essentiae diuinae extra conceptum eius primarium, esse quia non sunt communes tribus personis: Atqui tota essentia est illis communis: ergo &c. Quibus fauere videtur Boetius in libello supra citato initio, dicens, *Vna igitur substantia trium, nec separari vltro modo aut diffingi potest: nec velut partibus in vnum conuulsa est: sed est vna simpliciter.* Quacumque igitur de diuina substantia predicantur, ea tribus oportet esse communia. *Itaque erit signi, qua sint, qua de diuina substantia predicantur.* Huc vsque Boetius. Sed verum quidem & fide diuina certum est, eandem essentiam esse communem tribus personis: & quicquid non est commune tribus, non esse essentiali. Verum superest, illis reddenda ratio, cur dicatur esse essentiali illud solum quod commune est. Fallunturque si putant Ecclesiam sine alia ratione vocasse illud solum essentiali: & gratis restrinxisse nomen essentiae seu naturae: damnasseque velut haereticos, eos qui ad eius placitum non ita restringerent, sed in sensu primae impositionis iam pridem a Philosophis & ab omnibus usurpato, nomen essentiae & naturae acciperent. Confirmatur quia si hoc esset tantum, ex placito Ecclesiae: ergo quamuis personae differrent penes intelligentiam, voluntatem, & omnipotentiam, aequae ac penes paternitatem, filiationem, & spirationem: non differrent penes essentiam seu naturam: quia non differrent penes aliquid commune tribus, & ex placito Ecclesiae nomen essentiae significat solum ea quae sunt tribus communia. Consequens autem est falsum, & contra sensum Patrum, & Conciliorum, affirmantium tres personas diuinas habere vnica intelligentiam, voluntatem, & omnipotentiam, eod quod habent vnica essentiam & naturam. Ita Concilium Lateranense, cap. Firmiter: *Tres quidem persona, inquit, sed vna essentia, substantia, seu natura, simplex omnino. Pater generans, Filius natus, & Spiritus sanctus procedens: consubstantiales & coaequales, coomnipotentes & coaeterni, &c.*

117. *Satisfit obiectioni.* Obijcies primò: simplicitas, infinitas, immanitas, & aeternitas, sunt tantum modi se habendi. Et tamen sunt de conceptu primario & essentiali Dei: sunt enim perfectiones simpliciter simplices. Ergo non sequitur relationes personales non esse de conceptu essentiali Dei, ex eo quod sint modi essentiae diuinae.

Respondeo, id non inferri praecise ex eo

quod sint modi: sed ex eo quod sint tales modi, id est, vltimus terminus existentiae naturae diuinae per se subsistentis simpliciter, & constituta per relationes personales in triplici esse hypostatico: simili modo quo naturae substantiales creatae constituuntur in esse hypostatico per suas subsistentias, quae non sunt de complemento essentiali naturae. Quo autem sensu immanitas & aeternitas sint essentialis, diximus suo loco, disput. 5. sect. 4. num. 19. Nimirum sumpti pro exigentia & absoluta necessitate, diffusionis substantiae diuinae, & durationis vnde quaque interminata, & interminabilis, per quam potest, sine sui mutatione, esse praesens localiter, & coexistere, quibuslibet rebus, vbicunque & quandoocumque creabilibus.

Obijcies secundo, Relationes personarum diuinarum non esse pure hypostaticas, sed esse quoque mirabiles fecunditates, & principia proxima processionum, vel earum terminos illis aequivalentes. Ergo non est par ratio de illis vt excludantur a conceptu essentiali, ac de creatis subsistentiis quae sunt pure hypostaticas. Confirmatur, quia ex Aristotele 2. Phys. Natura est principium motus & quietis eius in quo est primò & per se, & non secundum accidens: id est, natura est principium primarium & substantiale operationum rei conuenientium. Atqui paternitas & spiratio actiua sunt principium substantiale & primarium, imò vnicum, processionum nobilissimarum Filij & Spiritus sancti: Ergo sunt natura. Confirmatur secundo, quia si omnipotentia, quae est principium producendi creaturas, est natura in Deo, aut attributum naturale & essentiali: maior est ratio vt principium producendi Filium & Spiritum sanctum, infinite excellentius, & habens terminum infinite praestantius, sit natura vel attributum essentiali Deo. Confirmatur tertio, quia vt diximus disput. 3. num. 61. illud totum est essentiali, quod significatur nomine rei substantiali, & est in tali re magna considerationis, atque illi intinsecum. At relationis significantur nominibus substantiabilibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, suntque inis intrinsecas, & magna considerationis: Magnum enim est, & supra omnem estimationem, producere & produci personam diuinam, constituitque in esse producentis aut producti formaliter per huiusmodi relationes.

Respondeo, relationes diuinarum personarum in eo quod differre ab hypostaticis creatis, quod non sunt pure hypostaticas, & puri termini existentiae naturae diuinae: sicut & in eo quod non sunt pure modi, sed sunt etiam res excellentissimae, vt dicemus sect. sequenti: & illae quae non sunt à se, vt filiatio & spiratio passiuae, sunt per realem productionem; contra quam

119. *Relationes diuinae non sunt pure hypostaticae, nisi pure modi.*

modi creaturarum, qui non sunt per productionem, sed vel per simplicem motionem localem, vt extensio, figura, vbi, & motus localis: vel alio genere actionis, non produciunt nouam entitatem aut entitatem: sed tantum modificationem alicuius entitatis, naturam vel tempore preexistentis, vt aliter se habeat quam sit illi essentialiter se habere. Quare relationes illae sunt quid perfectius & solidius, quam puri modi creaturarum. Non sunt, inquam, relationes diuinae purae hypostases, & puri termini existentiae naturae diuinae, habentes tantum id quod praecise & expresse significatur nomine hypostasis, abstracto a Deo & a creaturis: aut tantum aliquid diuocae vel analogice commune cum illis, per similitudinem, in eo consistentem, quod relationes diuinae non aliud habeant, quam terminare pure naturam diuinam, esseque modos per se existendi: sicut hypostases creaturae nihil aliud habent. Sed relationes diuinae sunt hypostases tales, ex modo speciali hypostasis proprio naturae diuinae, & creaturis incommunicabili: terminantes scilicet naturam diuinam secundum existentiam, eo modo quo terminari potest & debet, nempe tripliciter realiter. Id est, ita vt ab vna hypostasi non terminetur adaequate, sed aliis duabus realiter distinctis communiter. Quae realis distinctio, & modus terminandi inadaequate, non potest esse absque reali oppositione originis inter hypostases. Quare et propria ratione hypostasis diuinae, & modi terminandi naturam illam excellentissime infinitam, debent habere inter se oppositionem originis per relationes producentis & producti.

120.  
Naturae de  
suo inicio ex-  
plicatur.

Ad primam confirmationem Respondeo, Aristotelem loco citato per, naturam, non aliud intelligere, quam materiam & formam substantialem, corporis naturalis, vt exponunt meliores interpretes. Extendendo autem nomen naturae, propter similitudinem, ad essentiam cuiusque entis substantialis, siue simplicis siue compositi, spiritalis aut corporis, dico, sicut nomen naturae, sumpto pro materia & pro forma substantiali, non debet intelligi aut comprehendere substantiam materiae & formae substantialis: sic neque nomine naturae leuius sumpto pro essentia cuiuscumque alterius substantiae. Quamuis hypostasis alicuius substantiae, nempe diuinae, sit ex propria ratione principium vel terminus alicuius processionis nobilissimae. Ita tamen vt non sit primum in persona cui incipit, neque in illa primum sit, id est, tanquam ratio primaria & praecipua: sed sit tantum complementum hypostaticum eius quod primum est.

121.

Ad secundam confirmationem Respondeo differentiam, scilicet, quia omnipotentia non est propriae hypostatica ex sua speciali ratione: sicut est fecunditas generandi. Virtus autem spirandi aequalet illi fecunditati generandi, & de illa similiter philosophandum est, deque terminis formalibus vtrique

respondentibus in Filio & in Spiritu sancto. Ad tertiam Respondeo in eadem disput. & numero, additum esse, nisi quid specialiter repugnet, propter quod tale significatum debeat excludi a conceptu primario & essentiali rei cuiusmodi est, quod sit vltimum complementum naturae substantialis in esse hypostatico.

SECTIO XII.

An relationes diuinarum personarum sint plures res?

Respondeo affirmatiue: idque tam certum esse existimo, vt non possit absque temeritate negari. Primum, quia hic est vniuersalis consensus fidelium, vt testatur S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 3. Nemo, inquit, Christianus confiteatur Patrem & Filium secundum haec duo propria, id est, per personales Patris & Filij, esse vnam rem, sed duas. Et inferas addit, duabus rebus intelligendas esse duas relationes. Sensui autem totius Ecclesiae, praesertim in re tam graui, conuadecere, vt minimum, valde temerarium est.

Secundo, quia Theologi omnes in eo consentiunt, vno tantum aut altero excepto, vt testatur Suar. lib. 3. de Trin. cap. 6. num. 2. & Didac. Ruis disp. 26. sect. 1. vbi duos tantum excipit, Henricum, & Gregorium. Ita vero expresse docent S. Thom. q. 30. art. 1. & 3. in corp. & q. 39. art. 3. ad 3. & in 1. dist. 25. quaest. vnica art. 4. Magister in 1. dist. 25. s. Sciendum: S. Bonauent. Ricard. Durand. & alij ad eandem distinct. Alensis 1. p. q. 49. membro 3. Gabriel in 1. dist. 27. q. 1. art. 2. litera C. Cypreol. dist. 29. q. vnica, art. 3. ferè initio, Torres & alij D. Thomae interpretes, ad q. 39. art. 3. Vasq. disp. 122. cap. 3. & 7. Suar. & Ruis supra, Granadus tracta. 5. de Trin. disp. 1. sect. 2. Cuniga. disp. 14. dub. 1. membr. 2. num. 1. Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 8. & 16. & alij Recentiores, affirmantes communem consensum, quod licet tres personae diuinae sint vna res, vt definit Concilium Lateran. cap. Damianus, vna, inquam, res absoluta, id est, vna substantia, essentia, vel natura diuina, vt Concilium ibidem exponit: possunt nihilominus verè dici esse tres relationes, propter realem distinctionem trium proprietatum hypostaticarum, paternitatis scilicet, filiationis, & spirationis passivae. Quae licet sint modi quidam diuinae essentiae, hoc tamen non obest quò minus possint dici res: quia multò maiorem consistentiam, soliditatem, & excellentiam habent, quam ea quae appellantur proprie res in creaturis. In eoque consistit maiestas & insecutabilitas huius mysterij, quod eadem simplicissima res absoluta, est tres relationes, realiter distinctae inter se, & indistin-

et ab illa eadem & vnica re simplicissima.

121  
Probat  
ex Patri  
buli.

Tertio, quia idem est communis Patrum consensus, cui in rebus ad fidem pertinentibus, contradicere nequit sine temeritate. S. Anselm. lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. multo post initium: *Nihil prohibet inquit, dicere duas personas, Patrem & Filium, esse duas res: si tamen intelligatur cuiusmodi sunt res: non enim sic sunt pater & filius duae res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Alexander Alexandrin. & Theodoret. locis relatis à Didaco Rois supra, dicunt Patrem & Filium esse duas res indiuisas. & Propter substantias, tres res eandem essentiam. S. Augustin. lib. 1. de doctrina christiana cap. 5. *Res igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus sanctus est.* Et S. Hilarius lib. 7. de Trinit. multo post medium, exponens illud Ioan. 10. *Ego & pater vnum sumus, sic ait: Ego & pater vnum nomen sum, vnum vero natura professio est.* Si autem relationes Patris & Filij non essent plures res: aut si pater & filius essent vnica res, tam relatiue, quam absolute: non magis posset dici esse res in plurali, quam possint dici esse Dij: quia nomen substantiuum, res, non magis posset multiplicari, quam substantiuum, Deus, ut patet ex decendis disp. 34. sect. 1. Alia plura testimonia Patrum addemus, paulo post.

125  
Probat  
ex Conci  
liis.

Quarto, idem docent Concilia pluribus locis, vt Synodus sexta generalis. actione XI. vbi Sophronius in epistola professionis fidei à Concilio approbata post, actione XIII. sic ait: *Vnum haec tria, in quibus est Deitas, predicamus: & tria vnum, quorum est Deitas, annunciamus.* Et Nicenum secundum actione 3. in professione fidei Tharashj, approbata ab eodem Concilio, dicit esse *Secundum singularitatem personarum tria adoranda.* Et longe post, in exemplari Litterarum Theodosij addit, *Vnum haec tria in quibus diuinitas predicatur.* Concilium quoque Rhemense supponit esse in Deo plures res, plures relationes, proprietates, singularitates, vel vnitates; addens contra Porreianum illas esse ipsummet Deum: ita scilicet vt tres illae res & proprietates relatiue distinctae realiter inter se, identificentur tamen cum essentia: sitque Deus simul tria secundum illas, & vnum secundum essentiam. Quem loquendi modum praedicta Concilia receperunt à sanctis Patribus. Vt à S. Martiale epist. 1. ad Burdegalenses, cap. 10. in fine, vbi sic ait: *Hac in personis tria diuisa, in diuinitate vnus Deus indiuisus est.* Ambrosio in Symb. Apost. cap. 2. *Vna est in tribus Deitas: & tria sunt in quibus, vna Deitas.* August. libro 6. de Trinit. cap. 8. *Ne non intelligeremus Deum nisi ipsa tria simul, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Grego. Nazianz. orat. 32. post medium, *Vnum quantum ad essentiam, tria quantum ad hypostases sine personas.* Et denique idem Nazianz. ibidem, & orat. 29. & Augustinus lib. 7. de

Trinit. cap. 4. dicunt ad haeresim Sabelianam pertinere, dicere personas diuinas, non esse tria quadam. Si autem sunt tria quadam: sunt tria aliqua: ergo tres res. Nam res & aliquid conuertuntur, idemque significant apud omnes: Atque vt recte ait S. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. paulo post initium, *Solemus vsu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid.* Qui autem dicit de Deo patrem aut filium: aliquid de eo dicit: & omnes sciunt in Deo patrem non esse filium, & filium non esse patrem. Ac proinde patrem esse aliquid quod non est filius: & patrem ac filium esse duo aliqua, ac proinde duas res, quia res & aliquid conuertuntur, & idem significant.

126  
Probat  
ratioc.

Quinto, his addi possunt rationes Theologicae. Quilibet enim persona diuina est realiter distincta ab alijs. Ergo est res distincta: adeoque plures personae sunt plures res distinctae. Omnis enim distinctio realis est inter res quarum vna non est alia. Secundo, omnis vera & realis productio terminatur ad ens verè & realiter existens. Ergo productiones Filij & Spiritus sancti, quae sunt verae & reales, terminantur formaliter ad Filium & Spiritum sanctum, qui, vt res sunt, producantur, & non secundum essentiam. Ergo Filius & Spiritus sanctus, quae tales, sunt ens verè & realiter existens, ac non tantum secundum essentiam. Quicquid autem est ens verè & realiter existens, est res: ergo Filius & Spiritus sanctus, in quantum tales & in quantum distinguuntur ab inuicem, sunt res: adeoque sunt distinctae res. Tertio, res illae, quarum vna verè negatur de alia prout est à parte rei, sunt multae & distinctae. Atqui Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt res, quarum vna verè negatur de alia prout est à parte rei. Ergo sunt res multae & distinctae. Maior est euident. Minor quoad primam partem, quod scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sint res, etiam formaliter vt tales & vt distincti, patet ex Concilijs, & Patribus supra citatis. Quoad secundam verò partem, quod scilicet vna negatur de alia, prout est à parte rei, est de fide. Nam Pater non est Filius, & neuter est Spiritus sanctus. Item sunt tres realiter Ioan. 5. v. 7. Ergo sunt realiter distincti. Ergo realiter vnus non est alius.

127  
Argumen  
contra  
trinitat.

Obicitur primo illud Hilari lib. 3. de Trin. prope finem: *Andis, Pater & ego vnum sumus. Vnum sunt scilicet is qui est nihil habens, quod non sit etiam in eo à quo est.* Secundo, hi duo termini, entitas, & essentia, sicut ab eadem origine formantur: ita non differunt significatione. Ergo si in Trinitate sunt tres entitates, sunt tres essentiae. Est autem falsum & haeticum dicere quod in Deo sint tres essentiae: Ergo etiam haeticum est dicere tres in illo esse entitates. Tertio, id omne singulare quod est realiter simplex

& vnum numero, est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio. Sed res aliqua singularis & vna numero & simplex, est in Trinitate: ergo illa res est indiuisa in se, & diuisa à quacumque alia. Iam verò ea res quæ est indiuisa, est vna & non plures res: ergo contradictorium est quòd aliquid sit vna res simplicissima, & tamen sit tres res distinctæ. Quartò, vna quælibet summa res est quæ veraciter est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, inquit Lateranense cap. Damianus. Si autem vna, ergo non tres. Rursus ibidem paulò post: Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, est & Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino. Si autem sunt idem omnino, non sunt distinctæ res. Et si non sunt aliud, non sunt alia res. Hi enim duo termini æquivalent.

128.  
Solutur  
primum  
argumentum

Ad primum Respondeo, Hilarium intelligere esse vnum in essentia: & nihil essenziale haberi ab vno, quod non sit etiam in eo à quo est: inò etiam nihil proprium & relatiuè oppositum, quod non sit etiam in eo, à quo est, eminenter ratione essentia, in qua continentur omnes proprietates & relationes personales. Dicere autem nihil omnino haberi ab vno formaliter, quod non sit etiam formaliter in eo à quo est: idem esset ac dicere, filiationem & spirationem passiuam esse nihil: quia filio & spiratio passiuæ non sunt formaliter in patre & spiratore. At impium est dicere proprietates illas Quinas nihil esse, longèque alienum à mente S. Hilarij, qui vt supra vidimus num. 124, ait, nomina patris & filij esse nomina rerum.

129.  
Secundum  
argum.

Ad secundum Respondeo, nomina entitatis & essentia non differre significatione, si sumantur cum eadem proportionem, id est, cum eadem amplitudine vel restrictione. Alioqui enim si nomen essentia strictè sumatur, solet præsertim in hac materia pro prima ratione suppositi, quæ pater dicitur natura, ergo esse propterea plures essentias, licet sint plures entitates, aut plures res, sumendo rem & entitatem latius quàm pro illo conceptu. Si autem sumatur essentia, vt aliquando fit à Philosophis, pro quidditate re cuiuslibet, seu propria ipsius ratione intrinseca: hoc modo sicut sunt plures relationes, sunt & plures essentia relatiua, id est, plures quidditates & rationes propriæ huiusmodi relationum: quemadmodum sunt plures res aut entitates relatiua.

130.  
Tertium  
argum.

Ad tertium Respondeo, quælibet rem singularem simplicem & vnam numero, esse indiuisam à quacumque alia quæ non est ipsa. Sed in eo consistere maiestatem mysterij Trinitatis, quòd sicut in illo est verè & realiter vnitas & Trinitas, sine distinctione vnitatis à Trinitate: ita est res vna numero singularis & simplex, indiui-

sa in seipsa, & diuisa à quacumque alia quæ non est ipsa: realiter tamen identificata tribus relatiuè oppositis, & distinctis realiter inter se, indistinctis verò ab illa. Itaque in forma distinguo. Minorem. Ea res quæ est indiuisa, est vna & non plures. Vna absoluta, & non plures absoluta: concedo. Vna absoluta, & non plures relatiua, cum ipsa identificata, nego.

Ad quartum Respondeo, Concilium Lateranense per illam vnam summam rem, quæ veraciter est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, intelligere substantiam, essentiam, seu naturam diuinam, vt idem Concilium statim exponit, addens: Quilibet vnum personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium. Quòd non impedit quòd minus sint tres relatiua: sicut non impedit quòd minus distinguantur realiter suis proprietatibus relatiuè oppositis. Similiter cum addit, Alium esse Patrem, alium Filium, & alium Spiritum sanctum, non tamen aliud: per, aliud, intelligit diuersum in essentia: & per, alius, distinctum in persona: iuxta communem loquendi modum Theologorum, tam tum in scholis receptum, qui sicut dicunt in Trinitate non esse aliud & aliud in neutro genere, sed esse tantum alium & alium: quia vox, aliud, significat distinctum in essentia: & vox, alius, distinctum in persona: ita ex opposito dicunt in Christo esse aliud & aliud, quia sunt duæ essentia, seu natura distinctæ, diuina & humana: sed non esse alium & alium, quia non sunt distinctæ persona. Atque hoc tam tritum apud Theologos est, vt à nullo debeat ignorari aut dissimulari. Sed & longè ante Theologos Scholasticos, & ante Concilium Lateranense, hoc ipsum dixerat Concilium Ephesinum tom. 2. seu parte 2. Toletan. XI. in confessione fidei, Basilius, Hilarius, Augustinus, Fulgentius, Leo, Anselmus, Bernardus, Damascenus, Niceas, locis relatis à Vasque disp. 131. num. 4.

Denique, quando idem Concilium Lateran. addit immediatè post, Sed id quod est Pater, est & Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino: per, id quod est, intelligit essentiam: non autem relationes, quæ potius dicuntur Patribus & à Concilio pertinere ad quomodo est, vt vidimus num. 112. & 113. quæ licet distinguant realiter personas ab inuicem: non impediunt quòd minus sint consubstantiales & consubstantiales, vt loquitur Nicænum primum. Lateran. autem asserit omnia prædicta, vt secundum orthodoxam & Catholicam fidem personæ diuinæ consubstantiales esse credantur, quemadmodum subiungit immediatè post. Quare non loquitur de relationibus, sed de essentia, cum ait personas diuinas esse vnam illam rem summam, & non esse aliud & aliud, sed id quod est Pater, idem omnino esse Filium & Spiritum sanctum. Diligenter etiam notandum est hæc omnia dici à

Concilii Laterani. ad tuendam doctrinam Petri Lombardi Magistri sententiarum, de identitate personarum in essentia, reprehensam & impugnatam ab Abbate Ioachim, ut patet ex initio cap. cit. *Damnatus*. Atqui Magister sententiarum eo ipso in loco ubi docet personas diuinas esse vnā quandam summam rem, videlicet essentiam, docet etiam esse tres res, relatiue scilicet, pro

eoque citat D. Augustinum, ut videre est apud ipsum lib. 1. dist. 25. littera H. Quis ergo sibi persuadeat doctrinam eorum qui dicunt cum Magistro, in Trinitate esse vnā rem summam absolutam & tres relatiuas, fuisse damnatam ab illo Concilio, illis ipsis verbis quæ in doctrina Magistri defensionem pronunciauit?

## DISPUTATIO VIGESIMA SEXTA.

### De Hypostasibus diuinarum personarum.

- Sectio I. *Premittuntur aliqua de subsistentia, siue hypostasi, supposito, & persona.*  
 Sectio II. *Per quid formaliter persone diuine constituentur in esse persona?*  
 Sectio III. *Respondetur argumentis contrariarum opinionum.*  
 Sectio IV. *Quomodo tres persone diuine constituentur in ratione persone?*  
 Sectio V. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem.*

**D**E Hypostasibus personarum diuinarum disputat S. Thomas quæst. 29. & 30. In quarum priore docet personam idem esse, ac naturam rationalem indiuiduam substantiam. 2. Nomen personæ in genere rationalium substantiarum idem significare; quod in toto genere substantiarum significant suppositum, res naturæ, subsistentia, & hypostasis. Est enim nomen dignitatis, & præ aliis suppositis tribuitur substantiis rationalibus, quæ habent dominium sui actus: nihil tamen aliud significans, quam suppositum naturæ rationalis. Dicitur autem substantia dupliciter, secundum Philosophum 5. Metaph. Vno modo prout significat essentiam, seu quidditatem rei, græcè *ουσια*. Altero prout significat subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ: quo pacto, scilicet in prædicta definitione personæ. Nominatur etiam res naturæ, subsistentia, & hypostasis secundum multiplicem considerationem substantiæ. Secundum enim quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia: illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Secundum verò, quod supponitur alicui naturæ communi, dicitur res naturæ, sicut hic homo est res naturæ humanæ. Secundum verò quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, vel subiectum. Docet 3. nomen personæ conuenire



Deo excellentiori modo, quam creaturis, sicut & alia nomina, quae creaturis à nobis imposita, Deo tribuuntur. Nam persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Unde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit tribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est, ut hoc nomen persona de Deo dicatur, & quidem excellentissimè: quia Deus excellentissimè perfectus est in omni genere perfectionis. 4. Nomen personae diuinae significare relationem, ut subsistentem: siue significare relationem in recto, & essentiam in obliquo: non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis. Hypostasis autem significatur in diuinis, ut relatione distincta. Et quamuis de ratione personae in communi, abstractae à Deo, & à creaturis, non sit relatio: tamen in particulari de ratione personae diuinae. Quia persona in quacunque natura significat id, quod est distinctum in natura sua: est enim generaliter idem, ac substantia indiuidua rationalis naturae, ut supra dictum fuit: & indiuiduum est, quod est in se indistinctum, & distinctum ab aliis. Distinctio autem in diuinis non fit nisi per relationes originis. Quare nomen personae diuinae significat relationem originis.

In posteriori quaestione docet 1. plures esse personas diuinas: quia nomen, persona, significat in diuinis relationem, ut subsistentem in natura diuina. Sunt autem plures relationes in illa subsistentes, adeoque plures personae. 2. Non esse plures personas, quam tres Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quia non sunt nisi tres relationes realiter distinctae ab inuicem, & oppositae relatiuè inter se. Paternitas scilicet respectu Filiationis: & spiratio actiua respectu processionsis Spiritus sancti. Pater, & Filius distinguuntur realiter inter se per Paternitatem, & Filiationem; & Spiritus sanctus ab utroque per processionem seu spirationem passiuam. Spiratio uero actiua non habet oppositionem relatiuam ad Patrem, & Filium, ideoque non ab illis distinguitur realiter: neque illos distinguit ab inuicem, sed à Spiritu sancto. 3. Terminos numerales significare in diuinis illas, de quibus dicuntur, & super hoc nihil addere, nisi negationem. Ut cum dicimus, essentia est una: unum significat essentiam indiuisam. Cum dicimus persona est una, significat personam indiuisam. Cum dicimus personae sunt plures, significanter illae personae, & indiuisio circa quamque earum: quia de ratione multitudinis est, ut ex unitatibus constet. Unum autem significat ens indiuisum. 4. Nomen personae esse commune tribus personis, non secundum rem, sicut una essentia communis est tribus, quia sic sequeretur unam esse personam trium, sicut essentia est una: sed secundum rationem tantaxat: quia nomen illud impositum est ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis diuinis, quod unaquaeque earum subsistit in natura diuina distincta ab aliis. Et sic hoc

nomen, Persona, secundum rationem est commune tribus personis diuinis. Hucusque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus explicabitur.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de substantia sua, hypostasi, supposito, & persona.

1. Substantia differt aliquare-nus à natu-  
ra.

**Y**POSTASIS, siue substantia, sumitur hoc loco non pro natura ipsa & essentia, vel etiam pro ipso supposito, quo utroque sensu sumpta fuit olim non raro à S. Patribus & Conci. vt pluribus adductis eorum testim. probat Didacus Ruis disp. 31. sect. 3. & 4. Sed strictè, prout nunc sumitur à Theologis, pro eo quod subsistens aut suppositum addit supra rem vel naturam quæ subsistit. Cum enim ex mysteriis Trinitatis & Incarnationis habeamus aliquam esse differentiam inter naturam & suppositum: siquidem Verbum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit suppositum humanum: & in Trinitate sunt tres Personæ, seu tria supposita realiter distincta, cum tamen vnica sit natura: neque communicatur suppositum quæ suppositum, quando communicatur natura: Cum, inquam, habeamus aliquam esse differentiam inter suppositum & naturam, & suppositum addere aliquid supra naturam, id est, non esse naturam simpliciter: placuit Theologis restringere vocem hypostasis ad significandum illud, quod suppositum addit supra naturam simpliciter. Quid autem illud sit non conuenit inter Theologos.

2. Substantia non est negatio dependentiæ.

Sunt enim qui existimant hypostasim siue substantiam nihil addere naturæ substantiali aut rei subsistenti, præter negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ ab alio supposito: ita nimirum vt talis natura neque dependeat actu, neque naturaliter apta sit dependere ab alio supposito. Quæ opinio est Scoti in tertio disto. 1. qu. 1. §. *Ideo propter istum*: Et disto. 6. qu. 1. Sed merito reijcitur, communiter: primò quia natura diuina sumpta, præcisè à proprietatibus, neque actu pendet, neque naturaliter est apta pendere ab alio supposito: & tamen vt sit præcisè non est subsistens, sed subsistit per tres proprietates hypostaticas Patris, Filij, & Spiritus sancti. Secundò, hypostases illæ diuinæ non sunt negationes, sed aliquid posituum. Alioqui personæ diuinæ constituerentur in suo esse substantiali & proprio per negationes, id est, per non ens: distinguerenturque realiter ab inuicem sola negatione, adeoque per illam intrinsecè constituerentur. Vnumquodque enim distinguitur realiter ab alio, per id quod est. Et quod constituit rem in suo esse, distinguit

illam à qualibet alia. Ac vice versa, quod distinguit formaliter, constituit: quia vnusquodque eodem formaliter quo est ens, est vnum, id est indiuisum in se, & diuisum seu distinctum à quolibet alio. Item, sequeretur mysterium Trinitatis addere tantum essentia diuinæ tres negationes: & verbum diuinum terminare naturam humanam sola negatione, ac negationem esse terminum formalem vnionis hypostaticæ: quæ omnia sunt falsa & absurda. Tertio, illa opinio reddit vanas & ridiculas definitiones Conciliorum affirmantium verbum assumpsisse naturam, non personam. Sensus enim esset, Verbum vniuisse sibi naturam, non relinquendo illam non vnitam. De quo quis sanus dubitet? Itaque substantia, siue creata, siue increata, non consistit in prædicta negatione.

Alij secundo dicunt suppositum compleri per existentiam, ita vt substantia formaliter non sit aliud, quam existentia rei quæ subsistit. Ita sentit Capreolus in 3. disto. 5. qu. 3. art. 3. ad argumenta contra secundam conclusionem. §. *Ex quibus apparet*. Sed hæc sententia non minus quam præcedens, reijcienda est. Nam humanitas assumpta à Verbo, habet propriam & naturalem existentiam: & tamen non habet propriam & naturalem substantiam seu personalitatem. Ergo substantia non est sola existentia rei quæ subsistit. Minor est de fide. Maiorem autem suppono esse euidenter ex Metaphysica: quia existere formaliter nihil aliud est, quam esse actu in rerum natura: Ergo existentia rei nihil est aliud, quam res ipsa proût est actu in rerum natura. Est autem actu per seipsam formaliter. Neque potest existere, & non esse ipsamet actu secundum se. Neque etiam potest existere formaliter per aliud à se distinctum: quia quidquid aliud ponatur, nisi ponatur ipsamet, & sit actu; non existit. Si autem ponitur ipsamet, & est actu in rerum natura; id est formaliter & præcisè, ac primò existit, quia ipsamet actu est. Quare humanitas Christi non existit formaliter per hypostasim Verbi, sed per seipsam vt actu posita in rerum natura, & habentem propriam entitatem actualem distinctam ab hypostasi Verbi.

Substantia non est ipsa reiecta sententia.

Alij tertio volunt suppositum compleri per existentiam, & characteristics proprietates accidentarias. Ita Iauel. 7. Metaph. qu. 17. Sed hæc sententia, quod attinet ad existentiam, refutatur eodem argumento, quo præcedens. Quoad vero proprietates accidentarias, refellitur primò, quia suppositum est substantia vltimò completa in esse substantiali. Ergo substantia; per quam vltimò completur in esse substantiali; non est

Neque existentia & characteristics proprietates.

accidens, aut accidentia. Impossibile enim est substantiam compleri formaliter in esse suo substantiali per accidentia. Secundò, Christus habebat existentiam naturalem, & omnes características proprietates accidentales: quarum nullam Christo defuisse affirmat Concilium Lateranense sub Martino. 1. can. 5. & 9. & sexta Synodus generalis act. 4. Et tamen Christus non habebat substantiam naturalem. Ergo substantia non est formaliter existentia, & características proprietates accidentales. Tertio, in personis diuinis nullæ sunt características proprietates accidentales: & tamen est vera ratio suppositi, & personæ. Ergo proprietates illæ características non sunt de ratione suppositi.

Alij quarto, vt Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. docent complementum suppositi esse mediam quandam entitatem inter naturam, & existentiam. Sed non explicant, neque explicare possunt, quanam sit illa entitas media. Et male supponunt existentiam naturæ distingui à natura, quod necessarium est, vt illa entitas possit esse media inter naturam, & existentiam.

Neque totalitas naturalis substantialis.

Alij quinto dicunt substantiam nihil aliud esse, quam totalitatem naturæ substantialis indiuiduæ: ita vt subsistere nihil sit aliud, quam esse substantiam indiuiduam totam: & quando definitur subsistens esse *Ens per se*, illud *per se*, significet triplicem perfectionem oppositam triplici modo essendi in alio: nempe vel tanquam in inferiori, sicut genus est in speciebus, & species in indiuiduis: vel secundò, tanquam in subiecto, sicut accidens est in substantia: vel tertio, vel in toto, sicut anima est in homine, & materia & forma sunt in composito, seu corpore naturali. Primus modus essendi in alio excluditur hac particula definitionis, *Prima*, id est, indiuidua, & singularis. Secundus excluditur voce *Substantia*. Tertius voce *Tota*. Quam sententiam recens accurate in statam à Thoma in lib. de hypostasi, persona, quæ post hæc scripta venit in manus meas, subus respicimus, & resurabimus in tractatu de Incarn. disp. 7. se. 2. & 3. Interea verò ex dicendis paulò post nū. 7. & sequentibus patet esse rejiciendam.

Neque creatio creatura.

Alij sexto affirmant substantiam in rebus creatis, non pendens à subiecto, esse ipsammet actionem creatiuam, per quam fiunt ex nihilo: quia per illam res creata constituitur sufficienter independens à subiecto. Sed contra: Primò, materia & anima rationalis Christi Domini existunt per veram creationem independens à subiecto ex quo educantur, & tamen non subsistunt per illam: sed loco propria substantiæ terminantur à Verbo hypostaticè. Ergo creatio non est formaliter ipsarum substantia. Secundò, creatio non est in se creata, sed est ipsamet visus creatantis, vt se exercens circa rem, quam producit ex nihilo, vt suppono ex dicendis alibi,

& ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 25. a. 1. ad. 2. & 3. Res autem creata non subsistunt formaliter per aliquid extrinsecum, & neque ipsis identificatum, neque physicè unitum. Ergo creatio non est illarum substantia. Tertio, creatio constituit quidem, in genere causa efficientis, rem creatam independens à subiecto: sed non formaliter: & ad conceptum substantiæ non sufficit rem existere independens à subiecto: sed debet etiam existere, independens ab alio, vt supposito, esseque vltimò terminata secundum existentiam substantialem. Qua de causa materia, & anima rationalis in Christo non subsistunt per se, quia pendunt à supposito diuino, ab illoque terminantur hypostaticè.

Vera, & communior sententia est, substantiam esse complementum existentie naturæ substantialis aptæ naturaliter stare per se, & modum essendi per se realem, & positium oppositum modo essendi in alio, sine vt supposito terminatè hypostaticè, quo pacto humana Christi natura est in Verbo, sine vt subiecto sustentantè, quæ motus est proprius accidentium, & formarum materialium. Ita vt ex illo duplex sequatur incommunicabilitas. Vna, per quam persona, vel quælibet alia res subsistens communicatur alteri tanquam suppositanti, & terminanti hypostaticè. Res, inquam, subsistens, vt talis, & in sensu composito: nam in sensu diuino non repugnat naturam, aut rem quæ subsistit, communicari alteri supposito: sicut natura Patris comunicatur Filio, & Spiritui sancto: sed Pater, quæ pater, est incommunicabilis alteri supposito. Alia est, qua excluditur communicatio rei subsistentis alteri, vt subiecto sustentanti: sicut accidentia, tam spiritualia, quam materialia communicantur subiectis: & forme substantiales materiales communicantur materiæ, ex qua educuntur, & à qua sustentantur.

Itaque sicut accidentia, & forme materiales habent pro naturali complemento suæ existentie modum existendi in alio, sine quo naturaliter existere non possunt, defectu naturalis sufficientie ad standum vi propria, & per se, id est, non in alio vt sustentante: sic ex opposito res, quæ subsistunt, habent pro naturali complemento suæ existentie modum essendi per se, id est, standi vi propria per vsum suæ naturalis sufficientie non indigentis adminiculo subiecti, aut sustentantis, vel alterius suppositantis, & terminantis hypostaticè, imò etiam incapacis illius in sensu composito. Ac sicut in hæc est vltimus terminus, & vltimum complementum accidentium, & formarum materialium, secundum existentiam, id est, illis necessarium, vt connaturali modo existant: sic modus ille essendi per se est vltimus terminus existentie, & complementum vltimum secundum existentiam earum rerum, quæ subsistunt, planè illis necessarium, vt existant connaturali modo. Hunc esse verum conceptum substantie probatur, cum ex

refutatione omnium aliarum opinionum, tunc ex ipsa explicatione iam tradita, quæ per se probabilis, & acceptabilis est. Et confirmari potest auctoritate sanctorum Patrum qui simili modo rationem propriam subsistentiæ describunt: ut Cyril. Alexand. & Anastas. Patriarcha Theopolitanus in compendiarie explicatione fidei, quæ utriusque inscribitur, inter principium, & medium, quando dicunt subsistentiam in concreto sumptam pro se subsistente, ut solet accipi à Patribus, & Conciliis antiquis, esse rem, quæ per se est, neque altero indiget ad hoc ut ipsa subsistat: sed nimirum ratione suæ perfectionis, & sufficientiæ naturalis id habet. Et Boët. lib. de duabus naturis, ubi de Deo sic loquitur: *Est hypostasis, id est substantia: subsistens enim nullo indigens.* Et VII. Synodus generalis act. 6. tom. 3. post medium ait naturam per se existentem esse illam, quæ non indiget altera ut subsistat.

8.  
Eft-ctus  
formalis  
Subst. n.  
tue.

Ve autem melius declaretur, natura subsistentiæ, quaritur primò, quis sit veluti effectus formalis substantiæ: siue quid habeat natura per modum subsistentiæ, quod per se simpliciter non habet? Respondeo naturam habere formaliter per subsistentiam, ut sit ultimum completa secundum existentiam, modo illi necessario ad existendum connaturaliter, qui modus est existere per se; modo supra dicto, utique sic constituta in esse suppositi, non communicati, neque communicabilis alteri, ut sustentanti, aut alteri hypostasi. Ita ut impossibile sit hoc totum ulterius terminari hypostaticè, quamvis natura præcisè sumpta possit simul alia hypostasi terminari, sicut natura divina terminatur simul tribus hypostasibus Patris, Filij, & Spiritus sancti: sed non constitutum ex natura, & paternitate, aut ex alia hypostasi. De qua incommunicabilitate plura dicemus sect. 4. num. 34.

In hanc doctrinam consentiunt plerique Recentiorum, quorum tamen nonnulli addunt subsistentiam tribuere formaliter aliam incommunicabilitatem, siue excludere aliam communicationem actualem aut aptitudinalem. Aunt enim repugnare subsistentiæ, ut id quod subsistit, sit in alio, non modò, ut in subiecto sustentante, aut supposito terminante hypostaticè, sed etiam, ut in toto, cuius sit pars. Ratio est, quia subsistens est idem quod suppositum. Esse autem suppositum est esse ultimum conclusum in seipso, & esse per se seorsim: quod autem est in alio tanquam in toto, non est conclusum in seipso, sed conclusum in toto: neque existit per se seorsim, sed existit in alio, estque ens ens, & ens in alio. Ex quo inferunt materiam, & animam rationalem, non subsistere in composito. Extra compositum verò fatentur aliqui animam rationalem subsistere: alij negant: eò quòd naturaliter est apta existere in toto, & communicari materiæ. Inferunt etiam nullas partes integrantes totius corporei subsistere: neque heterogeneas, ut caput, col-

lum, pectus, brachia, pedes: neque etiam homogeneas, ut partes aquæ Oceani, partes terræ, partes montis, &c.

Sed hæc opinio non placet. Primò, quia ad verum & perfectum conceptum subsistentiæ, puro sufficere concipere modum positivum essendi per se, id est, si propria sufficientiæ, incommunicabiliter alteri, siue ut sustentanti, siue ut terminanti hypostaticè. Secundò, quia ex illa opinione sequeretur Verbum diuinum unitum humanitati non subsistere quia est in Christo ut in toto, constitutum ex Verbo & ex humanitate. Neque satisfacit quod aliqui respondent, Verbum subsistere nihilominus, quia non perficitur ab humanitate, aut ab illo toto in quo est. Quamvis enim non perficiatur; non minùs tamen est in Christo, neque minùs communicatur humanitati. Quare si repugnat subsistere, & communicari alteri ut toti; repugnat Verbum diuinum subsistere, & simul Christum constituere, est, que in illo ut in toto. Et manifestum est rationem ab aduersariis allatam in confirmationem suæ sententiæ, æquè de Verbo concludere, ac de aliis: & non fundari in eo, quòd id quod existit in alio ut in toto, perficiatur vel non perficiatur ab illo. Sed in eo, quòd non sit conclusum in seipso, neque per se seorsim existat, quod de Verbo existente in Christo æquè verum est.

Refutatio  
aliæ sent.  
tertiæ.

Quod verò addit Trichan. lib. de hypostasi, cap. 67. Verbum subsistere in Christo, quia retinet suam totalitatem: & non esse partem, quia non est in aliquo perfectiori se, neque perficitur per accessum humanitatis, sed illam infinite perficit, refutabitur alibi fusiùs in tract. de Incarn. disp. 7. sect. 3. ubi ostendemus, responsionem illam restringere voces Totius, & Partis, ad placitum & sine sufficienti fundamento auctoritatis vel rationis. Aliunde verò manifestum esse id quod componitur cum altero, realiter & adæquatè distincto esse partem compositi: & ex utroque totum quoddam constitui, quod non est unum totum ex illis componentibus: sicut Christus non est solum Verbum, aut sola humanitas: tamque verè dici posse Verbum esse partem Christi: quam verè dicitur Verbum componere Christum: neque magis debere Verbum dici, ut dicatur esse pars, quam ut dicatur componere Christum, quem admodum affirmant Conci. Lateranense sub Martino I. can. 8. & Synodus V. generalis can. 4. Et denique, iuxta doctrinam Typhani, naturam ipsam diuinam fore personam: & non esse in Deo tres personas, sed unicam: quia natura diuina non perficitur per hypostases, seu proprietates relatiuas, siue que amittit suam totalitatem in Patre, Filio & Spiritu sancto: iuxta illius Auctoris doctrinam pluribus locis. Neque melius est quod alij respondent, Verbum ita esse in Christo, ut ab eo non comprehendatur, sed infinite illi super-

mineat: sicut, inquit, anima rationalis supereminet corpori, quia mens est. Licet enim Verbum non comprehendatur ab humanitate quoad actuale diffusionem suam immensitatis, neque quoad virtualem amplitudinem suam vnibilitatis & virtutis terminandi naturam alienam, quae virtus infinita est, & non exhauritur capacitate finita humanitatis: tamen Verbum, etiam prout componit cum humanitate, & inhereditur in constitutionem totius Christi, subsistens est: alioqui compositum illud non esset subsistens neque persona. Vt sic autem includitur in toto: quia quicquid componit aliud, in quantum componit, est intrinsece & formaliter in illo quod componit. Ergo falsum est repugnare conceptui subsistentiae, ut id quod subsistit, sit in alio tanquam in toto.

10.  
Anima  
rationalis  
subsistit.

Tertio, opinio supra dicta repugnat aperte D. Thomae 1. p. q. 75. art. 2. ubi expresse docet animam rationalem in corpore esse per se subsistentem: secus autem animas brutorum, ut addit art. 3. Nimirum quia animae brutorum subiecto egrediuntur sustentante, & pendent in existendo à materia ex qua educuntur. Anima vero rationalis non pendet à materia cui inhareat, neque est in corpore ut sustentante, sed vi propria stat, aequè ac quando separatur à corpore. Ob eandemque causam materia prima subsistit naturaliter, sive quando est pars compositi, seu corporis naturalis: sive etiam si existeret separata. Et confirmatur, quia corpus & anima Christi fuerunt per se proximè & immediatè vnita Verbo diuino hypostaticè: ideoque manserunt vnita in triduo mortis Christi. Ergo sunt capacia propriae & naturalis subsistentiae, cuius loco fuerunt apta obedientialiter accipere diuinam. Nihil enim est aptum per se proximè & formaliter terminari hypostasi Verbi, nisi quod est aptum subsistere per se, ac loco propriae subsistentiae alienam accipere. Alioqui cum non possent accidentia terminari hypostaticè? Eodem argumento probatur in quinem subsistere, & alios humores corporis humani, qui fuerunt in Christo assumpti hypostaticè: & partes integrantes, ut Caput, brachia, pedes, quae si fuissent abscissa à corpore Christi, parè si capitis mutatione, occisus fuisset, mansissent aequè vnita Verbo, ac sanguis à corpore separatus. Idemque dico de partibus heterogeneis vel homogeneis aliorum corporum. Et quidem nemo negat partes terrae, vel aquae subsistere post diuisionem: diuiso autem, vel pura in partem conuinationis, non dat illis formaliter modum positionis essendi per se.

Dices si in homine corpus & anima rationalis subsistunt singillatim, & aliae partes supra dictae: ergo in homine sunt plures subsistentiae. Ergo & plures hypostases, & plures suppositalitates, & plures

personalitates. Haec enim omnia nomina in homine pro eodem supponunt. Ac proinde essent in homine plura supposita partialia, & plures personae partiales: quod est absurdum & inauditum. Confirmatur quia ex Mactandorum Patrum, hypostasis siue subsistentia significat idem quod suppositum, aut persona si loquamur de suppositis intellectualibus. A Scholasticis vero, distinctionis gratia, sumitur pro eo quod suppositum aut persona adicit supra naturam simpliciter: estque idem quod suppositalitas aut personalitas, seu ratio propria & complementum suppositi aut personae. Ergo vbicumque sunt plures subsistentiae, sunt plures suppositalitates aut personalitates.

Respondeo esse quidem plures subsistentias & hypostases partiales: sed non propterea debere dici esse plures suppositalitates aut personalitates. Ratio est quia sicut nomen suppositi, & personae, est nomen totius: ita nomen suppositalitates, aut personalitatis est nomen subsistentiae totius, & non partis dumtaxat. Quare vbi non sunt plura supposita, aut plures personae, non sunt plures suppositalitates, aut personalitates, licet sint plures subsistentiae, & plures partes subsistentes: quia nomen subsistentiae & subsistentis abstractè à toto vel à parte. Sicut tamen anima & corpus non possunt dici plures honores partiales: quia homo est nomen totius: ita neque dici possunt plura supposita, aut plures personae partiales: quia haec nomina sunt aequè imposita ad significandum totum indiuisibiliter, & non partes seorsim.

Ad confirmationem Respondendum est Theologos illos loqui de subsistentia totius substantialis, seu de complemento naturae substantialis perfectae: non autem de conceptu generalissimo subsistentiae, cuius natura ideo ita fuit ab antiquis Theologis explicata, ut non potuerit aliquid lucis accipere à Recentioribus accuratissimis, qui hac in parte nobiscum sentiunt, & nominatim Suarez. disp. 34. Metaph. sect. 5. num. 7. & sequent. & tom. 1. in 3. p. disp. 14.

Instabis quia si anima rationalis in homine per se subsistit, & materia similiter: plus est subsistentiae in homine, quam in brutis, & in aliis compositis substantialibus, quorum formae materiales non subsistunt. Respondeo ita esse: sed nihilominus subsistentiam materiam sufficere in istis ut totum compositum subsistat, id est, per se existat, ex parte materiae, neque indigeat alio ut sustentante per modum subiecti.

Quaeritur secundò quomodo differant hypostasis siue subsistentia, suppositalitas, & personalitas: & consequenter quomodo differant, subsistens, suppositum & persona? Respondeo differre ut superius ab inferiori, id est, communius à minus communi. Nam omnis personali-

SECTIO II.

Per quid formaliter persona divina constituatur in ratione personae?

QVOD in Deo sit vera & propria ratio personae, fides & ratio naturalis docent. Primo enim licet personae vox non exprimitur in sacris literis: res tamen ipsa exprimitur, quam Concilia, & sancti Patres, & Ecclesia uniuersa, voce illa declarant. Lactan. cap. 1. & 2. de sum. Trinit. Toletan. XI. in Confess. fidei, Hispalense secundum can. 13. Athana. in symbolo: Hic lib. 3. de Trinitate non longe à hinc, & in Laui siue introitu in Psalm. primum, inuic: Hieronym. epist. 57. Augustin. lib. 7. de Trinit. cap. 4. circa medium, Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 1. Ecclesia denique Latina uniuersa sic canit in Praefatione Missae de sanctissima Trinitate: In essentia unitas, & in personis proprietates, & in Maiestate adoretur aequalitas. Ratio quoque naturalis id aperte docet, abstrahendo tamen ab unitate vel pluralitate personarum, quae pluralitas in diuinis naturaliter nobis nota est. Etenim persona nihil est aliud, quam naturae intellectualis substantia individua completa, & ultimo terminata secundum existentiam, siue incommuniabilis alteri ut terminanti existentia, & ut subsistenti aut sustentanti: vel ut alij loquuntur, per se subsistens incommunicabiliter, modo scilicet superiori sectione explicato. Atqui Deum talem esse naturaliter notum est: quia necesse est omnem rem existentem habere vltimum terminum & modum suae existentiae, si existat connaturali modo: ut de diuina natura sentire oportet: neque enim potest à statu sibi connaturali abduci aut impediri: Hic autem terminus in natura substantiali est subsistentia siue hypostasis, & in natura intellectuali personae appellatur, ut supra dictum est. Est quoque naturaliter euidens, naturam diuinam non egeri, aut esse in alio ut in seculo sustentante, vel alio quopiam terminari hypostaticè, quam propria hypostasi, siue vno, siue multiplici.

In Deo est vera & propria ratio personae.

His praemissis Respondeo, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum constitui formaliter in ratione personae, non per communem subsistentiam naturae, quae nulla est, sed per tres relationes realiter distinctas paternitatis, filiationis, & spirationis passivae: quibus quarta relatio, spiratio videlicet actiua, communis Patri & Filio, non est annumeranda.

Relationes constituit formaliter in esse personae.

Primam partem est Aletensis, Bonauent. Ricardi, & aliorum veterum Scholastic. quos citant & sequuntur V. G. s. p. disput. 125. cap. 3. Valent. disp. 2. quest. 13. par. 3. colum. 3. Becan. cap. 3. q. 9. & alij Recentiores. Probatur, quia de fide est tres esse personas diuinas, & non plures, neque pauciores. Ergo sunt tres subsistentiae seu per-

Quomodo differunt subsistens, suppositum & persona? tas est supposititas: & omnis supposititas est hypostasis siue subsistentia: sed non vice versa. Sicut omnis homo est animal, & omne animal est viuens: sed non vice versa. Itaque latius patet, subsistentia, quam supposititas: & supposititas latius patet, quam personitas. Quia subsistentia abstrahit à modo essendi per se, totius vel partis: neque amplius habet in suo conceptu quam est, per se, id est, vi propriae sufficientiae, incommunicabiliter alteri, siue ut subiecto, siue ut terminati hypostaticè, & completi secundum existentiam. Supposititas verò dicitur tantum de modo essendi per se totius substantialis completi, siue rationalis, siue irrationalis, animato aut inanimato. Persona verò dicitur tantum de toto substantiali siue intellectuali, completo in esse naturae & hypostatico: ut de Deo, de Angelis, & de hominibus. Nam persona est nomen dignitatis, & tribuitur solum individuis naturae intellectualis, quae in eo praecellunt omnibus aliis, quod habent liberum dominium in suis actus, & non solum agitur sicut alia, sed per se agunt: ut rectè ait S. Thom. q. 29. art. 1. c. Quamquam illa differentia potest esse solum penes connotata, & non intrinsecè in ipsa hypostasi siue subsistentia. Nam subsistentia materiae avulsae à toto & seorsim existentis, non diceretur supposititas: nec eadem esset intrinsecè, atque est tunc quando componit totum substantiale cum forma materiali; quod totum non habet aliam supposititatem, quam subsistentiam materiae, quae iam sortitur nomen supposititatis, quia est subsistentia totius denominatiuae. Sic etiam si Verbum assumeret naturam brutam, non constitueret cum illa personam, sed suppositum: licet eadem esset hypostasis quae terminando naturam rationalem, puta humanam, facit cum illa personam.

Persona est nomen dignitatis.

16. Solutur obiectio.

Obiicies, si nomen suppositi & personae est nomen totius: ergo Verbum diuinum componens Christum cum humanitate, non est persona neque suppositum: quia non est totum, sed pars illius compositi. Respondeo ita esse, loquendo de Verbo diuino ut recipiat Christum componente; id est, non debet dici personam & suppositum quatenus componit, & quatenus est pars. Unde in Christo non sunt duae personae, quarum altera sit Verbum, & altera Christus: sed vnica ex duobus naturis, coniunctis in vna hypostasi. Est tamen Verbum in eiusmodi compositione id à quo formaliter est ratio personae, & à quo totum illud compositum constituitur in esse suppositi per diuinam eius hypostasim: ideòq; Christus est suppositum diuinum.

sonalitates, & non plures, neque pauciores. Probatur consequentia. Nam in Trinitate non multiplicatur concreta, seu constituta formarum substantiue sumpta, nisi multiplicatis formis quibus constituuntur, & secundum earum multitudinem. Ideoque tres personae non sunt nisi vnus Deus, quia non habent nisi vnam Deitatem. Et Christus est vnica persona propter vnicam substantiam seu personalitatem, in qua duae naturae, diuina & humana, vniuntur hypostaticè. Ergo vti in diuinis sint tres personae, & non plures neque pauciores, debent constitui formaliter in esse personae per tres hypostasies seu personalitates, & non plures, neque pauciores. Ergo non per vnicam, quae sit natura, & communis tribus. Alioquin non magis essent tres personae quam tres Dij.

*Id.* Sed neque vlla communis substantia, quae sit natura seu essentia diuina, admit-  
*Nec est in* *Deo vna* *communis* *substantia,* *quae sit* *tribus.*  
 tendenda est. Etenim natura, & quicquid est commune essentialiter, descendit vltimus, & communicatur personis vltimo concludentibus & terminantibus hypostaticè quicquid commune est. At hoc repugnat rationi substantiae, quae debet esse vltimus terminus existentiae naturae substantialis, & constituere ens substantiale inum & vltimo conclusum ac terminatum in existendo. Ideoque Patres & Concilia postquam de nomine & significatione substantiae & hypostasis conuentum fuit (de qua diu conuenerant, ac non raro pro natura seu substantia & essentia diuina vsurpauerant, vt Agatho Papa, & alij quidam & Suarez infra citati & obiecti, & longè plures relati à Didaco Ruis disp. 31. sect. 3.) negarunt communiter tres personas esse vnā substantiam. Quod falsum esset, si tres personae constituerentur per vnā communem substantiam. Aiont etiam dari tres substantias, & distinguunt substantiam & hypostasim ab essentia, & affirmantque esse vnā essentiam, & triplicem substantiam. Definiunt præterea vnā in natura humana factam esse in substantia Verbi propria, non in essentia diuina, aut in hypostasi Patris, vel Spiritus sancti. Ac deique hypostasim in diuinis cum persona confundunt, nullamque aliam in Deo substantiam siue hypostasim agnoscunt, quam personas & personalitates diuinas: vt huc prosequitur & antiquorum testimonijs confirmat Vasq. disp. 124. & 125. Vnde consequens est nullam esse communem in Deo substantiam, sicut nulla est communis persona, vel semipersona, vt loquitur Caietanus, à Vasque merito ibidem reprehensus: tres esse hypostasies diuinas siue personalitates, ac non plures, neque pauciores; sicut tres tantum personae sunt. Denique hunc esse communem Patrum consensum testatur Iustinus Imperator in edicto seu confessione fidei missa ad Ioannem II. Vbi post-

*Habetur*  
*in*  
*Concilio*  
*lib. Tole-*  
*7. n. 11. pag.*  
*32. vete-*  
*ris et. Co-*  
*loniensis.*

quā dixit, licet vna sit substantia Deitatis & humanitatis Christi, non tamen vnā esse naturam: quoniam non idcirco est vna, & substantia: addit, Omnes enim sancti Patres conuenienter nos docent aliud esse naturam, siue substantiam & formam: & aliud substantiam, siue personam. Et naturam quidem, vel substantiam & formam, hoc quod est commune significare substantiam verò siue personam, hoc quod est speciale.

Secunda pars responsi, quod scilicet personae diuinae constituantur formaliter in ratione personae per tres relationes realiter distinctas, paternitatis, filiationis, & spirationis passivae, probatur, quia, cum personae diuinae sint tres realiter distinctae: debent constitui formaliter in ratione personae per tres hypostasies seu personalitates, quae sint tres entitates realiter distinctae, vt pro reali earum multitudine multiplicentur etiam realiter personae, & attributa substantiua quae hypostasies formaliter & expresse significant. Atque præter tres illas relationes paternitatis, filiationis, & spirationis passivae, nulla est alia entitas realiter triplex in Deo: ergo &c.

Quod verò spiratio actiua non sit illis annumeranda, probatur primò ex communi loquendi vsu Conciliorum, sanctorum Patrum, & Theologorum, qui in diuinis tres tantum hypostasies quatuor verò relationes agnoscunt. Nam si etiam spiratio actiua esset hypostasis, & ratio substantiandi formaliter: non minus essent in Trinitate quatuor hypostasies, quam quatuor relationes: tres nimirum realiter distinctae inter se, & vna duabus indentificata (spiratio enim actiua identificatur paternitati ac filiationi) atque inadæquata & partialis, tam in ratione relationis, quam in ratione substantiae respectu patris & filij, qui non solum per eam referuntur & subsistunt, (si etiam per illam formaliter subsistunt, vt velunt Aduersarij,) sed per relationem quoque paternitatis & filiationis. Secundo, si spiratio actiua esset ratio partialis substantiae, & ratio personae, respectu patris & filij, sequeretur non esse in Deo tres realiter personas simpliciter distinctas in esse personae, sed tantum secundum quid. Nam totalis ratio personae in Patre & Filio non esset simpliciter & totaliter distincta, sed tantum secundum quid. Vnde pater esset persona ex parte tantum distincta à filio, ex parte verò eadem, propter identitatem spirationis actiuae, quae esset ratio partialis substantiae, seu personalitatis Patris & filij. Tertiò, spiratio actiua est communis patri cum filio, cui communicatur vi processionis, propter non repugnantiam quam habet cum illo, non minus quam omnipotentia, & cætera attributa. Nec vlla est ratio cur non dicatur communicari illi secundum propriam rationem termini existentiae suae substantialis, ac velut vltimo concludenti & terminanti hypostaticè

non minus quam voluntas, & omnipotentia, & alia attributa substantialia naturae diuinæ. Minus etiam distinguit spiratio actiua, quam relationes aliae. Nam aliae personae omnes à se ipsis distinguuntur: hæc autem non distinguit Patrem à Filio. Consentunt expressè D. Thom. q. 32. art. 3. alijque plurimi, quos sequitur Suarez lib. 5. de Trinitate, cap. 8. num. 6. vbi ad idem confirmandum hanc rationem addit. Quia relationes personales sunt rationes subsistentiæ, alioquin non possent constituere personas formaliter in esse personæ. Spiratio autem actiua non constituit personam, sed potius aduenit Patri & Filio iam constitutis in esse personæ per paternitatem & filiationem: ideoque nec ipsa est ratio subsistentiæ, neque ex proprio conceptu secum affert subsistentiam, sed per identitatem habet illam à personis quibus inest, nostro intelligendi modo. Hucusque Suarez ex quo inferit aliam differentiam inter spirationem actiuam, & alias relationes diuinas. Quod ista conueniunt inmediate naturæ diuinæ, vel sine productione ut paternitas, vel per illam, ut filiatio & spiratio passiuæ. At spiratio actiua conuenit inmediate personis, easque supponit plenè constitutas in esse personæ. Sed hæc ratio minus placet, quia supponit magis quam probat, quod inuenit. Et spiratio actiua non minus inmediate conuenit uolitioni essentiali, quam paternitas intellecti.

SECTIO III.

Respondetur argumentis contrariis

22. Prima obiectio. **C**ontra id quod diximus, spirationem actiuam non esse unam ex diuinis hypostasis, obijci potest quod spiratio actiua constituit spiratorem incommunicabilem Spiritui sancto, ut terminanti hypostaticè. Ergo est hypostasis, & constituit spiratorem in esse hypostatico. Respondetur non constituere incommunicabilem ex vi formali & speciali propriaque hypostasis, quasi ipsa sit ultimus terminus. Etenim communicatur Patri & Filio ut terminantibus: & æq; potest comunicari Spiritui sancto ut terminanti, nisi simpliciter repugnaret illi inesse, propterea quod omnis communicatio in Trinitate fit per identitatem eius quod communicatur, cum eo cui communicatur: non autem per realem compositionem, repugnantem simplicitati summæ personarum diuinarum. At implicat spirationem actiuam identitatem Spiritui sancto: quia produciens & productum debent distingui realiter.

23. Secunda obiectio. **S**ecundo, contra id quod diximus, non esse in Deo subsistentiam absolutam, opinatur Suarez lib. 4. de Trinitate, cap. 11. & tom. 1. in 3. p. disp. 11. sect. 3. vbi contendit præter subsistentias tres relatiuas admittere etiam esse in Deo communem aliquam subsistentiam absolutam & essentialem, quæ

Tomus I.

fit naturæ, & communis tribus personis. Idem cum Suarez docent Caietan. ad q. 39. art. 4. & Miranda in summa Conciliorum, in annotat. ad sextam Synodum act. 11. Quorum argumenta hæc præcipue sunt.

Primum argumentum: Tres personæ diuinæ sicut vnus Deus. Ergo sunt hic Deus. Ergo datur hic Deus communis tribus personis. Sed hic Deus est Deus subsistens. Ergo datur subsistentia communis tribus personis. Confirmatur quia in Deo absoluta sunt priora relatiuis, ut docent S. Thomas & alij communiter. Sed hic Deus est quid absolutum. Ergo est prius relationibus, atque adeo per se subsistit, & non tantum formaliter per relationes.

24. **R**espondeo nomen concretum Deus, duo dicere. Vnum formaliter & expressè, nempe Deitatem realiter unam & reipsa communem tribus: Aliud materialiter & implicite, subsistentiam scilicet realiter triplicem, & ratione tantum communem, atque ut talem confuse significatam & vniuersaliter nomine illo, Deus. Significat enim suppositum aut subsistens, eo modo quo in Deo est: videlicet non vnum re, sed ratione tantum: quia Deus adæquate sumptus non est vnus subsistens, neque vnicum suppositum, sed tria, quæ indifferenter & confuse nomine Deus significantur. Ad confirmationem dico, Deum, ex parte significati materialis & confusi, non esse absolutum secundum rem, sed relatum, utpote relationibus personalibus constitutum: licet secundum rationem possit concipi in ratione personæ confuse, & præcise à relationibus secundum propriam rationem relationis, priusquam concipiatur in ratione specialitatis personæ relatiuæ. Sicut etiam relationes prius ratione concipi possunt inadæquate & confuse, ac præcise ut personalitates, quam ut relatiuæ, & relatiue realiter, actiue aut passiuæ, ut sequenti sectione declarabimus. D. Thomas autem, & alij qui dicunt absolutam esse in Deo priora relatiua, loquuntur de absolutis essentialibus respectu relatiuorum notionalium, quæ quoniam in illis fundantur, & virtualiter ab illis oriuntur, posteriora sunt.

25. **S**ecundum argumentum: Existencia diuina absoluta & essentialis ex vi sua absolute perfectionis præcise sumpta, est non solum ratio existendi, sed etiam existendi in se & per se: ita ut diuinitas, ut per illam existit, modo perfecto, intelligatur per se existere, & non egerit aliquo sustentante, neque aliquo alio modo re aut ratione distincto, ut in se aut per se existat. At qui existere per se, est subsistere, iuxta communem vsum Theologorum & Philosophorum. Confirmatur quia ens per essentiam, est simpliciter & in genere entis infinite perfectum formaliter per ipsam essentiam. Ergo includit in suo formali & essentiali conceptu non solum existere, sed etiam modum in se & per se existendi. Neque concipi potest ut essentialiter quid incomple-

32



rum, & tanquam id quo aliquid est, non autem tanquam id quod est. Item non potest esse substantia essentialiter infinita: si non sit completa substantia per essentiam formaliter, sed Deus est substantia essentialiter infinita: ergo Deus est substantia completa formaliter per suam essentiam. Non est autem substantia completa formaliter sine modo essendi per se. Ergo habet primum essendi per se, formaliter per suam essentiam.

26. *Essentia diuina prae se habet quomodo est per se?*  
 Respondeo existentiam Dei absolutam & essentialem, esse existentiam per se & in se, in actu primo, eo sensu, quo existentia quiescentis naturae substantialis completa essentialiter, dicitur esse existentia per se: id est, apta & exigens conaturaliter terminari hypostaticè modo proprio & conaturali, quo ultimo compleatur ipsius existentia, & non egeat terminari alieno supposito, vel ab alio sustentari, tanquam subiecto, sicut indiget accidentia & formae materiales. Quo pacto existentia naturae humanae Christi Dominum est existentia per se: & existentia naturae cuiuslibet creaturae, praecisa per mentem ab actualitate substantiae: & natura ipsa diuina, praecise sumpta ab illa substantia absoluta qua ponunt Aduersarij. Est enim apta per se ac vi propria stare, terminata hypostaticè proprio & conaturali complemento, neque eget alio supposito à quo terminetur; aut subiecto, à quo sustentetur. Quare si hoc esset subsistere: natura diuina subsisteret adhuc praecisa illa communi substantia. Verum hoc non sufficit ad denominationem substantiae formaliter: sed oportet insuper habere formaliter terminum illum existentiae & complementum naturale per se standi incommunicabiliter: quod non habet natura diuina nisi prout tripliciter subsistit in tribus personis vt terminantibus hypostaticè & ultimo concludentibus, complementibus, quae ipsam in esse hypostatico naturali proprio.

27. *Ad primam confirmationem, Dicitur ens simpliciter infinitum secundum essentiam, includere in illa formaliter, vel eminenter omnes perfectiones: formaliter qui de simpliciter simpliciter, essentia enim, perfectiones secundum quod quodlibet est substantia quae non est essentia qualis, quae per se: sed existentia substantialis ultimo terminata & conclusa, repugnans communicabilitati, quae melior est ipsa, quam incommunicabilitas, aut substantia quae libet in natura diuina. Vt ex eo patet, quod communicabilitas pertinet ad quandam limitationem, & ad naturam bonitatis, quae est sui diffusiva. Incommunicabilitas vero pertinet ad rationem quandam sentis limitati & restricti. Item, per communicabilitatem naturae diuinae factam multis personis, natura diuina est quid quasi superius & supereminens; cum personalitates sint quid*

inum, & inferius natura communi.

Dices substantiam illam absolutam non impedire quod minus natura communicetur quoad alia attributa absoluta: sicut hypostasis Patris non impedit quod minus eadem natura communicetur Filio & Spiritui sancto. Respondeo: Taliem impediret ne ipsamet illis communicaretur & ulterius descenderet: neue totum ex illa & ex natura constitutum esset commune. Atqui si substantia illa absoluta est essentialis, vt volunt Aduersarij, debet communicari: quia de fide est totam naturam communicari, ex Lateranen. cap. Damianus, & Florentino in literis Vnionis. Ergo non datur talis substantia absoluta.

Ad secundam confirmationem Respondeo vt substantia concipiatur esse essentialiter infinita, sufficere vt concipiatur esse completa in esse essentia illi miratae, & continentis omnes perfectiones formaliter aut eminenter: quamuis non concipiatur esse completa in esse hypostatico per conceptum praecisam essentia. A parte rei tamen est necessitas completa vtroque modo. Ideoque nulla in eo est imperfectio naturae diuinae, quae in re non est tantum id quod praecise concipitur: sed est realiter terminata & completa per vsum triplicem subsistendi ab illa realiter indistinctum.

29. *Tertium argumentum: Existere per se est perfectio simpliciter simplex.*  
 Ergo conuenit essentia formaliter per seipsum. Probatur antecedens, quia non repugnat meliori aut aequali perfectioni. Neque enim dicas repugnare communicabilitati. Nam ad hoc vt natura tribus personis communicetur, sufficit vt quamuis per se existat; non tamen ultimo sit terminata neque subsistat incommunicabiliter: quae duo longe diuersa sunt, ac primum merito substantia appellatur: secundum, hypostasis, & in naturis intellectualibus personalitas nominatur. Confirmatur: quia esse substantiam completam, sine dubio pertinet ad perfectionem simpliciter. Ad hoc autem requiritur existentia per se: ergo &c. Item, substantia est ens per se subsistens. Atqui Deus secundum naturam est substantia: ergo Deus secundum naturam est ens per se subsistens. Denique esse principium quod propriam operationum, est perfectio absoluta. Sed illud non potest esse nisi in re per se existente: ergo &c.

30. *Respondeo patere ex dictis quod existere per se, id est, non in aliquo terminata hypostaticè aut sustentate, sed esse ultimo terminatum & conclusum in existentiā substantiā (quod est proprie subsistere) non sit perfectio simpliciter simplex: quia repugnat communicabilitati totius essentiae diuinae, quae melior est. Alia vero substantia acceptio, quam pro modo essendi praedicto, & distinctio eiusdem ab*

hypostasi, noua est & gratis ficta. Ad primam confirmationem nego quod esse perfectam substantiam in esse suppositi, & non tantum in esse naturae, pertineat formaliter & intrinsece ad perfectionem simpliciter. Ad secundam confirmationem dico, substantiam non ita definiri ratione naturae tantum, sed ratione suppositi, quod est antonomastice & absolute substantia. Vel, secundo definitio illa potest sic intelligi, videlicet quod substantia, scilicet ratione naturae, sit ens per se subsistens, non essentialiter & in actu secundo, sed per existentiam & in actu primo, quia illi conuenit, ut talem modum essendi habeat conaturaliter: sicut naturae accidentis conuenit, ut possit inhaerere velut vltimum terminum existentiae propriae.

31. Principium quod est duplex.

Ad vltimam confirmationem Respondedo, principium quod operationis esse duplex. Vnum, influxus: alterum, denominationis, quod communiter est suppositum aliquod. De secundo, nego quod esse tale, sit vndeunque absoluta perfectio. De primo, falsum est quod nihil nisi subsistens possit esse principium quod propriarum operationum. Nam perinde potest esse principium quod virtus non existens per se, sicut res per se existens: ut patet in accidentibus separatis, & in ijs quae existunt in subiecto alieno, a quo vim nullam habent, sed per se potius habent impedimentum; ut calor in aqua. Licet enim aqua, vel aliud subiectum extraneum denominetur ab actione: tamen principium per quod solum influit, est ipsa forma accidentalis, quae quid nonnulli aliter imaginantur. Denique substantia formaliter & generaliter secundum commune conceptum, non est complementum naturae ad agendum, sed ad existendum. Quod si hypostasis Patris in Trinitate est principium Filij: id prouenit ex peculiari ratione substantiae illius, quae non potest aliter distingui ab hypostasi Filij. Nulla vero hypostasis diuina est ratio agendi ad extra. In creatis autem hypostasis non est vis agendi villo modo neque ad intra, neque ad extra. Sed est tantum ratio & modus se habendi talis entis, nempe substantiae, & vltimo completi ac terminati secundum existentiam substantialem. Quod non dicitur, & proxime ac per se ad agendum pertinet, sed ad esse. Et quamuis nihil ageret, tamen non minus propterea subsisteret. Sicut ex opposito quamuis non subsisteret, nihilominus ageret. Nam Christi humanitas, carnis propria & naturae substantia, non minus exercet omnes naturales suas operationes: in quas hypostasis Verbi non influit physice, quia non est operatiua ad extra. Neque minus ageret eadem humanitas, quamuis careret omni substantia, quod aliqui putant non esse impossibile. Sicut accidentia Eucharistica aequè agunt, quamuis pri-

Substantia non est vis agendi in creatis.

uata subiecto & omni modo inhaerendi. Modus autem positius essendi per se, fictiue illis tribuitur, ut ostendemus suo loco.

SECTIO IV.

Quomodo tres personae diuinae constituentur in ratione personae?

Nota primò sermonem hic esse, non de reali constitutione, quae nequit esse nisi ex constituentibus in re distinctis, repugnatque simplicitati personarum diuinarum: sed de constitutione virtuali, seu rationis cum fundamento in re. Licet enim qualibet persona diuina, sit ens realiter simplex & indiuisibile, propter indistinctionem proprietatum ab essentia: duplex tamen esse, virtualiter distinctum, est in Deo concipiendum. Quorum vnum est absolutum, & esse simpliciter: alterum, relatiuum & modale, seu modè taliter essendi. Per primum Deus est vnus, & constituitur formaliter in ratione Dei. Per secundum vero Deus est trinus, & constituitur in ratione Patris, Filij, & Spiritus sancti. Est absolutum supponitur ordine rationis ad relatiuum: estque esse primum, quod per relatiuum tanquam per esse secundarium contrahitur & determinatur, seu modificatur. Vnde relationes rectè concipiuntur naturae quasi aduenire, illamque constituere in aliquo esse tali, aut essendi modo, quem praecise & secundum se sumpta non concipitur habere. Caritas enim illa excellentissima, quae Deus est, considerata secundum esse absolutum praecise, non intelligitur producere ad intra, nec produci. Id autem quod est producere aut produci, non constat sine aliquo reali. Quare cum entitas illa concipitur ut producens, vel produca, necesse est concipi aliquam realitatem, quae sit extra conceptum eiusdem entitatis considerata secundum esse absolutum praecise, & proinde quae ipsi adueniat & superaddatur. Non enim potest non aduenire conceptui alicuius, illud quod non includitur in eius conceptu, & tamen illi conuenit.

32. Est aliqua in Deo constitutio virtualis.

Nota secundò proprietates relatiuas Patris, Filij, & Spiritus sancti, quamuis Deo secundum naturam spectato sint logicè accidentales, id est, non essentiales, sed aliter conuenientes: esse nihilominus in se substantiales. Quemadmodum, forma non sunt quidem materiae essentiales, sed aduenientes & logicè accidentales: verumtamen sunt in se substantiales, & constituunt compositionem horum ex accidente & subiecto, sed ex substantijs diuersis. At non solum illae proprietates sunt substantiales, & constituunt substantias, id est, res per se existentes: Ne-

33. Proprietates personarum diuinarum sunt substantiales.

rum etiam sunt rationes suppositorum & personarum: supposita vero sunt substantia completa ultimo terminata: & personae sunt supposita rationalis, siue intellectuales completae & ultimo terminatae secundum existentiam. Deus autem ut natura constans, quamvis sit substantia completa in esse natura: nihilominus non est completa in esse hypostatico, & ultimo terminata secundum naturam. Nam Deus secundum naturam totam & integram adhuc inest Patri, Filio, & Spiritui sancto, ut subsistentibus, & naturam ultimo terminantibus. Quare natura divina praecise sumpta non est ratio suppositi neque personae: sed constituitur in esse personae per proprietates illas relationas, quae sunt ultimus terminus existentiae naturae divinae, & cum illa constituunt tres subsistentes, ulterius incommunicabiles alijs ut terminantibus.

54.  
Incom.unicabilitas subsistentiae non excludit quaevis communicabilitatem.

Nota tertio cum Suarez tomo 1. in 3. p. disputat. II. sect. 3. incommunicabilitatem subsistentiae non excludere quamcumque communicabilitatem, ut v. g. generis ad speciem, & superioris ad inferius, quae communicabilitas logica est: aut etiam physicam materiam ad formam, vel formam ad materiam: aut etiam personarum ad terminantem naturam alienam, sicut fit in Christo Domino, Verbum enim divinum subsistit, licet eius hypostasis terminet Christi humanitatem. Et anima rationalis, ac materia subsistunt, licet una communicetur & uniat alteri. Et conceptus universalis hominis aut animalis, est conceptus subsistentis, id est, omnium inferiorum subsistentium, confuse per modum unius conceptorum, secundum id in quo conveniunt. Sed excludit tantum communicationem ad alteram, vel ad subiectum, aut velut ad ultimum terminum existentiae, qui terminus est necessarius ad complementum perfectum existentiae substantialis naturae, & nunc excludit, non a natura, sed a supposito quod formaliter constituitur in esse subsistentis & incommunicabilis. Ita ut illud totum ultimo terminatum, non sit ulterius terminabile, siue communicabile alteri ut terminanti. Vel, ut brevius dicam, ratio subsistentiae constituit formaliter incommunicabile constitutum ex ipsa, tum alteri ut subiecto, tum etiam alteri ut suppositanti aut terminanti existentiam. Atque ita paternitas v. g. constituit incommunicabile constitutum ex natura & paternitate: at non naturam totam, quae ulterius communicatur Filio & Spiritui sancto. Sic ergo relationes constituunt personas divinas in esse personae, quatenus constituunt illas incommunicabiles alteri ut terminanti, & naturam divinam ultimo ter-

minant atque concludunt secundum existentiam.

Nota quarto, personas divinas posse duobus modis concipi. Primo, confuse tantum sub nomine personae, & conceptu illi respondente. Secundo, distincte, sub nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, & conceptu illis nominibus respondente, perfecteque exprimentem totum id quod est substantia, licet quilibet harum personarum, propriamque cuiusque rationem, & totam eius constitutionem in esse talis personae. His praesuppositis,

Dico primo, ut personae divinae concipiantur constitutae in esse personae confuse, non esse necessarium concipi relationes secundum esse proprium relationum: sed sufficere quod concipiantur confuse, ut sunt ultimus terminus existentiae naturae divinae, ultimumque illius complementum substantiale, & prout in eo conveniunt cum creatis subsistentijs. Ratio, est quia personae, ut sic, non aliud expriment sub eo nomine, quam substantias intellectuales ultimo completas & terminatas hypostaticae: quod ut concipiatur, non est necessarium concipere expressae proprietates relationis Patris, Filij, & Spiritus sancti, ut relatiuae sunt, & taliter relatiuae, per modum scilicet generantis, geniti, & spirati. Quamvis in re ipsa id quo persona divina constituitur formaliter in esse personae, sit propria cuiusque relatio, ut dicam paulo post.

In hunc sensum interpreto id quod ait S. Thom. quaest. 29. art. 4. in corp. Nomen personae divinae significare relationem ut subsistentem: id est, significare relationem, non expressae quae relatio est: sed prout est ratio subsistentis, & ultimus terminus ac complementum existentiae naturae divinae. Quod tamen non impedit, quin propria ratio personarum divinarum ut subsistentium, sit relatiua: quia natura divina non potest subsistere tribus subsistentijs realiter distinctis, inadaequate naturam terminantibus, nisi illa quatenus terminant, sine relatiuae oppositae inter se.

Dico secundo, personas divinas constitui in esse proprio & completo talis personae, Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti, per proprietates relatiuas Patris, Filij, & Spiritus sancti, secundum integram earum conceptum relatiuae oppositum alteri proprietati. Ita ut personae divinae adaequate sumptae concipi debeant constitui formaliter in esse proprio personali per relationes, non secundum confusum tanquammodò conceptum subsistentiae, aut secundum confusum conceptum relationis seu subsistentiae relatiuae: sed ulterius Pater debeat concipi constitutus in esse proprio talis personae, per rationem secun-

ditatis generatiue in actu secundo, id est, ipsius etiam generationis actualis: & Filius, per rationem termini in actu secundo illius fecunditatis & generationis: id est, per rationem geniti. Et Spiritus sanctus, per rationem spirati. Ratio est quia, ut supra diximus, personae diuinae sunt distinctae realiter inter se, quae personae sunt, habentque personalitates realiter distinctas, alioqui nomen personae non magis posset dici pluraliter de illis, quam nomen Deitatis: id est non magis posset dici plures personae, quam plures Dij. At nulla est distinctio realis in diuinis, nisi inter relatiue opposita. Ergo debet esse relatiua oppositio inter personalitates diuinas, quae tales. Atqui relatiua oppositio non est alia in diuinis, quam oppositio originis, quae est inter principium producens & terminum productum. Ergo personalitates diuinae debent habere illam oppositionem inter se, & comparari ad inuicem ut producens & productum. Hoc autem habent ut sunt propria ratio Patris, Filij, & Spiritus sancti, & prout vna est principium & origo alterius in actu secundo. Ergo &c.

39. Prima propositio est de fide. Secunda traditur expressè à Concilijs, & Patribus: ut à Toletano, in professione fidei, ubi sic habet: *Hoc solum numerum infirmant, quod ad inuicem sunt. Et in hoc numero carent, quod in se sunt.* Et à Florentin. sess. 18. Diu. equidem, ubi Ioannes Theologus nemine refragante, sic affirmat: *sola relatio apud omnes Graecos & Latinos Doctores diuina professione personas multiplicat. Ita ut non vlla alia ratione, quam ut relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differat.* Et à Cyrillo lib. 7. Thesauri cap. 1. post med. ubi de personis diuinis sic ait, *sola diuersitate relationis, quae diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla, distinguuntur.* Et à Boëtio lib. de Trinitate ad Symmachum, in fine, cuius verba haec sunt: *substantia continet unitatem: relatio multiplicat Trinitatem.* Similia tradunt S. August. lib. 5. de Trin. cap. 5. Damasc. lib. 1. de fide cap. 10. & 11. Anselm. lib. de Incarn. Verbi cap. 3. & lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. & 4.

40. Quare licet personae diuinae per conceptus confusos & inadaequatos prius concipi possint sub ratione subsistentis aut personae, quam sub ratione relatiui: & prius sub ratione communi relatiui, quam sub ratione speciali talis relatiui, principij vel termini: & prius sub ratione principij in actu primo, quam sub ratione principij in actu secundo, id est, actionis & vsus fecunditatis: ac denique prius in ratione principij vel termini, quam sub ratione talis principij, & talis termini, Patris scilicet vel spiratoris, & Filij aut Spiritus sancti: adaequata tamen & distincte, seu totaliter & expressè, non potest concipi persona

diuina secundum id totum quod substantialiter est, priusquam omnia illa concipiantur. Pater enim substantialiter est sua relatio, & sua generatio actiua: itemque Filius est sua relatio, & sua generatio passiua. Vterque etiam est substantialiter, quamuis non hypostatice, sua spiratio actiua tam in actu primo, quam in actu secundo. Et denique Spiritus sanctus est sua spiratio passiuè substantialiter & hypostatice. Et quicquid sit de relationibus creaturarum praeter camentibus quas Philosophi ex actione & passione consequi putant, ut accidentia re vel ratione distincta: tamen non ita relationes diuinae, quae sunt substantiales, transcendentales, & subsistentes, constituuntque substantialiter personas Patris, Filij, & Spiritus sancti. Itaque Pater sua relatione est Pater, & persona, & principium agens in actu secundo: nec aliter rectè concipi potest, ut est à parte rei. Similiterque Filius, ipsamet sua relatione est Filius, & genitus, & terminus generationis patris. Item spirator sua relatione est spirator, & spirans, non tamen persona formaliter, ut sic. Ac denique Spiritus sanctus sua relatione est Spiritus sanctus, & spiratus, & terminus spirationis actiuae. Ideoque non oportet in Deo praetelligere generationi personam adaequatè sumptam: neque generationem ut illi adueniente concipere: aut relationem ut consequente. Hic enim modus concipiendi imperfectus est, & non conuenit personae diuinae quae per se substantialiter est sua actio, & sua origo, & sua relatio transcendentalis ad terminum sibi relatiue oppositum. Categoriae verò, & consultantur ex actione, hic superfluae sunt, aequè ac in creaturis, ut ostendimus disp. 25. sect. 2.

Persona Patris non debet praetelligi generationi

SECTIO V.

Solum in obiectiones contra actionem precedentem.

41. Contra primam conclusionem obijciunt primò, personam ut sic non esse ad aliud, sed in seipsaistere: ac si aliqua esset persona diuina absoluta, non minus significaretur nomine illo, persona diuina quam nunc tres personae relatiuae. Ergo signum est personam non significare relationem.

Respondet primò, personam, secundum conceptum communem & generalissimum, non esse ad aliud: non tamen repugnare illi, ut aliqua persona, et specialij sua ratione sit ad aliud: & personas diuinas in esse proprio ac specialij tales esse, & constitui proprietatibus relatiuis, quae quamuis relatiuae, sunt tamen substantiuae & constituent substantias vltimò terminatas. Res-

Personae nomen non significat relationem

Toletan. Florant.

Cyrril.

Boëtius.

August. Damasc.

Anselm.

40.

41.

pondeo secundo cum Suare lib. 7. cap. 8. num. 9. si essentia comparatur cum relatione in ordine ad nomen *personae*; significari de formali relationem, non vero essentiam simpliciter: quamvis non expressè sub ratione relationis, sed sub ratione personalitatis confusè conceptæ, & quasi genericè. Sin autem comparentur diversi conceptus eiusdem relationis; videlicet ultimus seu proprius, qui merito formalis dici potest; quia est de relatione ut relatio est; & confusus ac generalis, qui è contrario materialis dici potest: dico formaliter non significari relationem, quia significatur ut modus hypostaticus, & non ut relatio: id est, non secundum proprium & ultimum conceptum relationis: sed secundum generalem, à relatione, & tali relatione abstractum.

Si istes, nomina concreta substantiva non multiplicari in diuinis, nisi significant relationes formaliter & expressè secundum ultimum conceptum relationum: ac proinde dici non posse tres personas, nisi nomen personæ significet formaliter & expressè relationes secundum ultimum conceptum. Respondeo non ita esse. Multiplicantur enim quæcumque metaphysicè abstrahuntur à relationibus realiter distinctis. Ac dici possunt tres entitates, tria entia, tres existentia, tres existentes, tres perfectiones &c. Ergo & tres subsistentia, & tres personæ. Enimvero quicquid abstrahitur à multis inferioribus, id est, à multis realiter in illa ratione; illud rem multa est, & vnum dumtaxat ratione. Quicquid ergo abstrahitur à tribus relationibus diuinis realiter distinctis, illud re ipsa multa est, & ratione tantummodo vnum. Qualis autem sit illa vnitas rationis, vniuoca an analoga, quæstio logica est, & nullius momenti. Ego nihil deesse video ad vniuocationem.

Obijciunt secundo, Personas diuinæ non posse intelligi plures & distinctas, nisi intelligantur variæ: & idem esse quod constituit, & quod distinguit. Ergo non constituntur nisi relatiuè, & secundum conceptum relatiuum.

Respondeo non posse quidem personas illas & distinctas concipi conceptu proprio & distinctè differentiarum quibus ab invicem distinguuntur, nisi concipiantur relationes quæ tales: posse tamen conceptu confuso concipi plures personas & distinctas, non concipiendo expressè & propriè illas differentias, nec relationes secundum esse relationum. Ac verum quidem est id quod constituit, distinguere eo modo quo constituit: quia quod constituit rem in sua entitate, constituit eandem in sua vnitate; ens enim & vnum idem sunt: & quod tacitè ens, facit vnum: ac res quælibet ex eo habet propriam vnitatem, quod est distincta in se, & distincta à qualibet alia. Hoc autem habet per suam ipsius

entitatem; quæ est singulariter id quod est. Quare principium constitutum rei, est etiam distinctiuum eiusdem rei à qualibet alia. Veruntamen sicut concipiuntur personæ, confusè ut constitutæ in esse proprio personali, & tanquam multæ: ita confusè tantum concipiuntur distinctæ, quando non concipiuntur secundum proprias & vltimas rationes Patris, Filij, & Spiritus sancti. Et quamvis nomen personæ ut sic, non dicat expressè relationem, atque ut refert S. Thom. aduertit q. 40. art. 3. non significet distinctionem à rebus eiusdem nature: quia persona non minus esset, quamvis eiusdem nature nulla esset alia persona: ac si per impossibile Deus esset, & trinus non esset, neque esse posset, persona tamè esset: tamè quædo pluraliter loquimur de personis diuinis, designatur distinctio: & quod constituit eas in esse personæ formaliter, id quoque distinguit. Quia sunt tres personæ realiter distinctæ: ergo per tres realiter distinctas personalitates constitutæ. Non sunt autem tres realiter distinctæ, nisi quatenus sunt relatiuè oppositæ. Quare cum significatur ut distinctæ, significantur ut relatiuæ.

Obijciens tertio cum Caietano ad q. 36. a. 2. Relatio Filij non distinguit illum à Spiritu sancto, & tamen onstituit. Ergo falsum est quod iam proxime diximus, idem quod constituit, distinguere. Sic etiam spirans relatio, distinguit Patrem & Filium à Spiritu sancto: & tamen non constituit. Ac denique relatio quælibet non distinguit nisi à suo opposito: & tamen non constituit.

Respondeo, quia de ratione Filij est, ut habeat naturam cum virtute eam communicandi, quæ virtus est fecunditas voluntatis esse patris de ratione Patris dare naturam cum virtute eam communicandi. Quo patet Filius habere rationem principij ad Spiritum sanctum, & pater etiam. Non quæ dicantur Pater Spiritus sancti: sed quæ sunt vnus spirator Spiritus sancti. Relatio autem spirantis constituit Patrem & Filium in esse spiratoris. Quo etiam modo distinguit eos formaliter à Spiritu sancto. Licet prius distinguantur ab eodem per rationes paternitatis & filiationis, quatenus illæ per se vltius tendunt ad aliam productionem, & communicationem, cuius fecunditas in ipsamet ratione Patris & Filij inclusa est. Ideoque per illas quoque opponuntur relatiuè Pater & Filius Spiritui.

Obijciunt quarto Caietan. ibidem, Proprietas Patris prius constituit personam, quam refert. Et tamen non distinguit nisi quatenus refert actu. Ergo alia ratione constituit, & alia distinguit.

Respondeo, impossibile esse ut relatio intelligatur tanquam relatio, nisi intelligatur ut referens formaliter. Neque est aliter referens, quam simpliciter ut relatio. Sed neque etiam est aliter proprietatis constitutiva personæ, quam refert. Quare

Quæ nomina multiplicentur in Deo.

44

Relatio Filij constituit illum à Spiritu sancto, & tamen constituit naturam cum virtute eam communicandi.

45

Proprietas Patris prius constituit personam, quam refert.

paternitas v. g. non prius constituit personam in propria & vltima ratione patris, quam illam actus referat. Tametsi potest confuse concipi constituere in ratione generica personae, priusquam concipiatur expressè referre, & constituere in tali esse relatiuo speciali & proprio primae personae. Quatenus verò constituit in esse illo personae, catenus etiam distinguit ab iis quae non sunt personae. Quare semper quâ ratione constituit, distinguit.

46. Quocirca quindò specialiter contra secundam conclusionem sectionis praecedentis, omnem relationem supponere extremam constituta & distincta. Ergo non illa constituit. Consequenter patet. Antecedens probatur, quia id quod refertur, prius constituitur quam referatur. Ac proinde constituitur per aliquid absolutum. Confirmatur, quia non refertur Deitas, sed persona. Ergo persona est prius quam referatur. Item persona producat, in suo esse personali constituta, est prior origine & ratione, quam persona ab illo procedens. A qua relatio neutro illorum modorum potest esse prior: quia relata sunt simul natura & cognitione. Ergo persona producat non constituitur in suo esse personali per relationem.

47. Relatio transcendentalis non supponit extremam.

Ad primum Respondeo, antecedens esse falsum de relationibus transcendentalibus, quae non supponunt extremam iam constituta & distincta, sed sunt vnum extremorum, quod seipso formaliter & ex natura sua refertur ad aliud, estque per se formaliter relatio ad aliud. Vt cognitio ad obiectum, potentia ad possibile, actio ad terminum. Relatio-

ones autem personarum diuinarum sunt transcendentales. Ad probationem antecedentis, eiusque confirmationem, dico id quod refertur per seipsum, non prius constitui in esse, quam referatur. Personae autem diuinae referuntur ad se inuicem per seipsas: quare persona diuina non prius est, aut constituitur in esse, quam referatur.

48. Ad secundum, nego Minorem. Nam persona producat est prior origine, tanquam id à quo est persona producta. Potest etiam esse prior ratione, prioritate à quo: quatenus licet vna non possit cognosci sine alia, adeoque non sit prioritas rationis in quo, potest tamen vna esse alteri ratio ex parte obiecti vt cognoscatur. Sicut omnipotentia potest esse ratio cognoscendi possibilis, iuxta ea quae diximus d. sp. 10. sect. 1. 4. & 5. Sed hæc prioritas rationis potest etiam competere personae productae respectu producentis; quatenus producta potest esse ratio, ex parte obiecti, cognoscendi producentem, sicut effectus potest inducere in cognitionem suae causae. Prioritas verò originis non potest esse mutua: quia persona diuina producta non potest esse à producta, sicut producta est à producente. Ad confirmationem Minoris respondeo, axioma illud, Relata sunt simul natura, & cognitione, dictum esse ab Arist. de categoricis, vt alibi ex usuimus: & quoad similitudinem naturae, falsum esse de transcendentalibus. Quoad similitudinem verò cognitionis, intelligendum esse de similitudine in quo, non à quo: quatenus vnum non potest cognosci sine alio, licet vnum possit cognosci per aliud.

# DISPUTATIO

## VIGESIMA SEPTIMA

### De Notionibus personarum diuinarum

Sectio I. *Quid, & quot sint notionēs personarum diuinarum?*

Sectio II. *Soluntur obiectiones contra doctrinam praepositam.*

Sectio III. *Quomodo notiones personarum diuinarum nobis innotescant, aut possint innotescere?*



DE NOTIONIBUS diuinis agit S. Doctor tota quæst. 32. Et artic. 1. docet impossibile esse per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis personarum diuinarum peruenire. Quia non potest homo per rationem naturalem Deum cognoscere nisi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum per rationem naturalem de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse

est, secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati. Vnde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea quae pertinent ad distinctionem personarum. 2. Necessarium esse ponere notiones quasdam in divinis. Quia oportet esse aliqua nomina abstracta, quibus significari possit personas distingui. Et huiusmodi sunt proprietates, vel relationes, in abstracto significatae: ut paternitas, & filiaritas. 3. Has notiones quinque tantum esse: videlicet innascibilitatem, paternitatem, filiationem, communem spirationem, actiuam scilicet, & processionem, siue spirationem passiuam. Quia per illas veluti proprias rationes sufficienter innotescent personae diuinae, earumque distinctio. Harum autem notionum quatuor tantum sunt relationes: nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem. Quatuor etiam tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, constituentes personas: scilicet paternitas, filiaritas, & processio, seu spiratio passiuam. Nam communis spiratio actiuam, & innascibilitas, dicuntur notiones personarum, non autem personales. Hec utque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus & suis explicabitur.

SECTIO I.

Quid, & quot sint notiones personarum diuinarum?

1. Notio quid, & quotplex sit?

**N**otio generatim idem est ac cognitio seu conceptus: diuiditurque in formalem & obiectiuam. Formalis est ipse actus cognoscendi. Obiectiua est obiectum quod cognoscitur. Notio praesenti sumitur pro obiectiua, pro eo scilicet ex quo vna persona diuina cognoscitur prout distincta ab alia. Definiri que potest iuxta usum Theologorum, Notio personalis est perfectio personalis abstracta, vel in abstracto per modum formae significata, atque etiam praecise concepta, si potest praescindi ad euentum, vnicam realiter & indiuiduam, per quam vna persona distinguitur ab alia. Ita ut vi omnium notionum simul sumptarum, sufficienter innotescat tota ratio & distinctio personarum diuinarum ad inuicem.

Notio personalis in Trinitate quid sit?

2. Sine proprio Trinitatis habentur notiones?

Secundum vim vocum non est omnino proprium & singulare diuinarum personarum habere notiones: licet eis conueniat illas habere. Nam etiam in Deitate ipsa abstracta a personis, & in rebus creatis, ratio propria cuiusque per quam innotescit, notio ipsius obiectiua dici potest. Praeterea ex vi vocis simpliciter sumptae non est necesse ut id quod notio dicitur, sit forma, aut quasi

forma in abstracto significetur, aut etiam sit ratio propria. Nam quicquid a nobis noscitur, notio dici potest, obiectiua scilicet, respondens notioni, seu cognitioni formali, quae non est tantum abstractorum & priorum: sed & aliorum quorumlibet. Verum quamuis ita sit: id tamen quod est in aliquo quasi formale, & quo, veluti proprio vnum differt ab alio, solet maxime dici ratio & notio illius. Licet enim possit dici communis ratio & notio: tamen praecipue est ratio, quae est propria: & adhuc magis praecipue id quod concipitur tanquam forma alicuius, solet dici esse notio seu ratio illius. Sicque Theologi rationes proprias personarum, & instar formarum abstracte significatas, solent vocare notiones personarum, cum D. Thom. quaest. 2. art. 3. in corp. ubi notionem definit, esse id quod est propria ratio (formalis scilicet aut quasi formalis & abstracte significata) cognoscendi personam diuinam.

Quid autem sint notiones ita sumptae in Trinitate, patet, quia personae diuinae differunt inter se per rationes proprias: & penes nos est ipsarum differentias & rationes proprias significare in abstracto per modum formae, atque etiam praecise concipere, si praescindi possunt ab essentia. Quare nemo potest hunc modum loquendi & significanti improbare, quo Patres, & Concilia, & vniuersa Ecclesia vtuntur, ut ostendimus disp. 25. sect. 6. in solutione tertii argumenti. D. Thomas articulo cit. quiaque tantum

Quicquid  
vulgo nu-  
merantur.

notiones in Trinitate numerat, videlicet in-  
nascibilitatem, paternitatem, filiationem,  
spirationem activam, & spirationem passivam:  
quarum notionum quatuor, inquit,  
sunt relationes: Innascibilitas vero non est  
relatio: Item quatuor tantum proprietates  
sunt, supple vnius singularis personæ. Nam  
spiratio activa est communis Patri & Filio.  
Est tamē propria illorum aliquatenus, nempe  
respectu Spiritus sancti. Tres denique  
sunt personæ hypostaticæ: scilicet paternitas,  
filiatio, & spiratio passiva. Nam communis  
spiratio, activa scilicet, & innascibilitas,  
sunt quidem notiones personarum, non tamen  
personales, id est, hypostaticæ constitu-  
tiones. Hinc vsque D. Thom. art. illo in corp.  
Et in solutionibus quarti & quinti argumen-  
ti ita defendit numerum illum quinarium  
notionum, vt alias quasdam ab aduersariis  
obiectas excludat. In eundemque numerum  
quinarium ceteri Theologi communiter  
consentunt. Quod tamē adeo strictè non  
est accipiendum, quin possint aliæ excogi-  
tari: sed illæ præcipue sunt, ad quas ceteræ  
possunt facile reuocari, vt in progressu appa-  
rebit. Item hæc quinque sufficiunt ad personarum  
notificationem & distinctionem secundum  
propriam differentiam.

Plures ta-  
mē possunt  
excogitari.

5.  
Prima no-  
tio innasci-  
bilitatis.

Quod verò atinet ad innascibilitatem,  
primo loco numeratam, illa sumi debet pro  
repugnantia cuiuscunque realis processionis  
ab alio: siue per generationem, vt filiatione:  
siue per spirationem, vt processio Spiritus  
sancti, siue aliter. Ad eodē vt patrem esse in-  
nascibilem, sic esse incapacem principii  
quo fit. Item sumi debet priuatiuè quodam-  
modo, vt sequenti disputatione sect. 2. dice-  
tur: connotando scilicet personam diuinam  
cui soli conuenit inter alias esse impro-  
ductam & improducibilem. Sic autem sumpta  
innascibilitas est proprietas patris, & notio  
ipsius, quatenus per ipsam innotescit pater  
vt distinctus ab aliis personis, quæ non existunt  
sine productione. Item eadē notione  
significatur nullam esse personam quæ sit  
prior patre, prioritate originis, atque ita pa-  
trem esse primum negatiuè. Paternitas verò  
significat vltimè esse primum positiuè, &  
patrem distinguit à filio, sicut filiatione distin-  
guit filium à patre. Vtraque etiam proprie-  
tas, seu notio paternitatis & filiationis, dis-  
tinguit patrem & filium à Spiritu sancto,  
ratione fecunditatis spiratiuæ, quam fecun-  
ditatem pater quæ pater tribuit filio, &  
filius vt filius accipit à patre. Ipsa verò fecun-  
ditas & spiratio actiua per se magis ex-  
pressè distinguit patrem & filium vt spirantes,  
à Spiritu sancto. Qui vice versa distin-  
guitur ab illis expressè & formaliter spiratione  
passiua, vt ratione propria. Denique  
per has quinque notiones non solum inno-  
tescunt tres personæ diuinæ vt distinctæ: ve-  
rùm etiam innotescit esse tantum in diuinis  
tres personæ: quatenus in illis notionibus  
reperentur omnes modi communicatio-

nis, & productionis ad intra, qui sunt tantum  
fecunditas generandi & spirandi, per viam  
intellectus & voluntatis. Cùm non possit  
esse alia communicatio vitæ ad intra, nisi  
per viam intellectus & voluntatis. Et ita  
eundem gradum vitæ non possit esse nisi  
vnica communicatio & productio perfectissi-  
ma, absorbens quicquid est perfectionis  
in illo gradu communicationis & produ-  
ctionis.

Notandum autem, apud Theologos aliud  
esse notiones: & aliud, actus notionales.  
Actus enim notionales vocant vel produ-  
ctiones ipsas dicendi seu generandi, & spi-  
randi, per actum intellectus & voluntatis di-  
uinæ: vel actus ipsos essentialis, non vt es-  
sentialis & absolute sumptos; sed prout  
identificatur relationibus in ipsis proximè  
fundatis. Pro quo aduerte, actus essentialis  
intelligendi & volendi spectari posse dupli-  
citer. Primò, absolute & simpliciter. Secun-  
dò, vt specialiter identificatos cum relatio-  
nibus principij generandi, vel spirandi, quæ  
in ipsis proximè & præcisè fundantur. Ita vt  
formatur intellectio v. g. non vt intellectio  
solum, sed vt fecunda, id est, vt contracta  
& modificata per relationem fecunditatis  
generandi, ipsique per se primò & imme-  
diatè identificata. Nam intellectio prius  
ratione tali relationi in se fundatè identi-  
ficatur, quàm alia attributa essentialia: quia  
intellectio fundat specialiter identitatem  
aliorum cum illa. Idemque dico de volitione  
prout contracta ad fecunditatem spiran-  
di. Idem etiam de intellectu & volitione  
prout contractis ad origines passiuas filij &  
spiritus sancti. Quorum ille primò & im-  
mediatè identificatur attributo intellectu-  
nis essentialis: hic attributo volitionis es-  
sentialis. Tam si sumantur actus illi primo  
modo, dicuntur essentialis. Si secundo, no-  
tionales, id est, spectantes specialiter ad pro-  
priam notionem, sine intentionem & ratio-  
nem obiectiuam singularum personarum.  
Vnde intelligentia dicitur attributum no-  
tionale patris, non simpliciter, sed vt con-  
tracta ad fecunditatem generandi. Idem-  
que est de volitione vt contracta ad fecun-  
ditatem spirandi respectu Patris & Filij: &  
de intellectu, ac volitione, vt contractis  
ad origines passiuas respectu Filij, & Spi-  
tus sancti.

Aliud sunt  
notiones,  
& aliud  
actus no-  
tionales.

SECTIO II.

*Soluntur obiectiones contra doctrinam  
propositam.*

Contra numerum quingrum notionum,  
ad Thomam & ab aliis communiter tra-  
ctum, obijciuntur duo argumentorum ge-  
nera: alterum minuens, alterum augens  
prædictum numerum. Primi generis istud  
est: Non plures esse debent notiones, quàm



fiunt proprietates constituentes & distinguentes personas: quia notiones non dicuntur nisi in ordine ad cognitionem personarum, prout in se constituuntur & distinguuntur. Atqui proprietates illae sunt tantum quatuor, paternitas, filiatio, & spiratio utraque. Ergo innascibilitas non est illis addenda: quia non est proprietas constituens personam. Item spiratio actiua est communis patri & filio. Ergo non est propria notio alicuius personae.

Cuz vltra quatuor proprietates fit quinta notio innascibilitas?

Ad primum Respondeo, quatuor illas proprietates posse fundare plures, quam quatuor conceptus, positivos vel negativos. Dupliciter enim a nobis personae diuinae cognosci possunt. Positiue scilicet, & negatiue. Et quatenus persona patris sufficienter innotescat, positiue per paternitatem, & spirationem actiuam: negatiue tamen vt magis innotescat, intelligendum est quod improducta sit, atque incapax cuiuscunque realis productionis.

Ad secundum Respondeo, proprietate esse duplicem. Vna est pura & singularis, quae vni soli personae conuenit. Alia est non pura, quae non conuenit omnibus, licet conueniat pluribus. Et haec partim communis est, quatenus conuenit pluribus, partim non communis & propria: quia vt non conuenit omnibus, est propria eius cui conuenit, comparatione etiam cui non conuenit. Atque ita spiratio actiua quae non conuenit Spiritui sancto, distinguit principium eius ab ipso, estque propria Patris & Filij comparatione Spiritus sancti.

Secundi generis argumenta haec sunt. Primum si innascibilitas est notio patris: erit patri iure annumeranda sexta notio vni filio conueniens, scilicet inspirabilitas: & septima conueniens Spiritui sancto, videlicet ingenerabilitas. Item si spiratio actiua est notio altera, patri & filio communis: erit annumeranda illi opposita in Spiritu sancto, quae sit actiua inspirabilitas, vel repugnantia spirandi aut produciendi ad intra. Rursus filij proprium esse Verbum, & dixi & esse imaginem, atque per haec innotescit. Ergo haec inter notiones numeranda sunt. Similiterque Spiritus sanctus habet propria quadam nomina, quae significare videntur proprias quadam rationes: cuiusmodi sunt nomina doni, amoris, & nexus Patris & Filij. Item origines, quae significantur vt actiones aut passionis, sunt rationes propriae: & Pater, Filius, & Spiritus sanctus non tantum innotescent proprie secundum esse relationum, sed etiam secundum esse substantiae, & secundum origines. Inter quae discrimen est, quia origines significantur vt actiones aut passionis: relationes vero significantur vt esse relationum, quarum nominibus vt rebus substantiae non exprimentur.

Ad haec omnia Respondeo primum, quaeunque fuerint enumerata contineri sufficienter in relationibus & proprietatibus:

Neque propterea multiplicandum esse numerum quinarium notionum personarum, quasi istae, & si quae aliae cogitari possunt, ad quinque illas nequeant reuocari. Quamuis simpliciter, & non reductiue tantum, totae sint notiones, quot sunt rationes propriae personarum, secundum quas abstracte in modum formae significantur, distinguuntur a nobis, & vt distinctae cognosci possunt. Illae tamen quinque vulgares non modo tales sunt, vt ad eas caeterae reuocari facile possint: sed etiam sufficienter ad habendam cognitionem personarum diuinarum satis distinctam, etiam non distinctissimam.

Secundum singillatim ad primum Respondeo, hoc ipso quod spiratio actiua tribuitur filio, negari spirationem passiuam eidem contineri: cum inter utramque sit oppositio relatiua, & formalis incompossibilitas. Quare non est opus negatione spirationis passiuae ad cognoscendum Filium a Spiritu sancto distingui. Ad negationem spirationis passiuae, sive, huius fundamentum illius nomine negatiue significatum, non esse quid indiuiduum realiter: conuenit enim Patri, aequae ac Filio, ratione singularium proprietatum utriusque. Notio autem debet esse quid indiuiduum, idcoque ex D. Thom. qu. 32. artic. 3. ratio personae producta a Patre non est notio: quia non est quid re vnum, distinguens Filium & Spiritum sanctum a Patre. Multoque minus vna persona diuina inforscicit vt distincta ab alia, per rationem personae abstractam & communem singulis vniuoce, ac realiter triplicem, ratione vero duntaxat vnam. Vnde nec illa inter notiones est numeranda. Idemque dico de aliis id genus rationibus abstractis & communibus.

Ad secundum Respondeo, ingenerabilitatem non esse aliquid vnum realiter in Trinitate. Sicut enim inspirabilitas conuenit Patri & Filio ratione singularium cuiusque proprietatum: sic ingenerabilitas Patri & Spiritui sancto conuenit similiter, & non fundatur in aliquo realiter vno: sicut Patris innascibilitas quae fundatur in ratione indiuidua paternitatis.

Instabis, quia sicut innascibilitas, prima notio Patris, id est, improductibilitas, sumitur priuatiue, considerando personam; & sic est Patris propria, non communis essentialis; & vnicum habet fundamentum, nempe paternitatem: sic ingenerabilitas, & inspirabilitas, sumi possunt priuatiue considerando personam productam. Quae ratione ingenerabilitas est propria Spiritus sancti, non communis Patri; & inspirabilitas est propria Filij.

Respondeo, verum id quidem esse. Sed cum de Filij ratione sit accipere a Patre secunditatem spirandi: satis hinc intelligitur ipsum esse inspirabilem passiuum: quippe oppositum relatiue personae spiratae, seu spirabili passiuum. Satis quoque intelligitur Spiritum sanctum esse ingenerabilem quippe oppositum relatiue personae genitae, seu ge-

Sunt quatuor notiones personarum, quae sunt rationes propriae personarum, secundum quas abstracte in modum formae significantur, distinguuntur a nobis, & vt distinctae cognosci possunt.

11.

Inspiratio actiua non est notio.

12.

Neque in Trinitate generabile.

13.

nerabili, de cuius ratione est accipere naturam cum spirandi fecunditate.

Ad tertium Respondeo per spirationem passivam satis excludi spirationem activam à Spiritu sancto, cui res ipsa opponitur. Et infecunditatem Spiritus sancti satis innoscere per paternitatem & spirationem activam, quarum utraque repugnat Spiritui sancto. Quare non est opus pluribus notionibus, quam quinque vulgò traditis, quasi hæc quinque non sufficiant ad notificationem & distinctionem sufficientem personarum.

Ad quartum Respondeo, Verbum dici, idem esse re ipsa, ac filium generari: & in ratione filiationis contineri rationem imaginis, quæ filij propria est. Licet hæc duo conceptu differant: quia si per impossibile voluntas non esset fecunda, & tamen esset fecundus intellectus: esset productio Verbi & dictio, non tamen generatio: quia non esset communicatio naturæ cum fecunditate. Originis autem, & substantiæ, distinctæ conceptæ, sunt ipsæmet relationes activæ & passivæ. Confuse verò concepta origo, vel substantia, à pluribus abstracta, non est notio: quia non est forma individua & realiter unica. Addunt aliqui, originis ut talis excludi à definitione notionis hæc particula, *Notio est forma, aut quasi forma*, nempe in facto esse, aut in esse quasi perfecto: quales non sunt originis, ut sic, quæ significantur potius ut actiones aut passionis quædam, & quasi viæ ac tendentiæ ad terminum. Verum actiones aut passionis, seu producere aut produci, malè concipiuntur quasi viæ ad terminum, & ut medium quid inter producens & productum, aut quasi forma imperfecta. Nam producere nihil est aliud re & ratione, quam res ipsa quæ producit, vim suam exercens circa terminum. Illud autem non est forma quædam imperfecta. Produci quæque nihil est aliud, quam res ipsa vel existens vi principij, à quo producit. Item quicquid producit proximè & physicè, per se formaliter & immediatè producit, non autem mediante aliquo alio: sicut per se formaliter est aptum producere, & vis ipsa producendi. Neque enim aliud potest producere, & aliud produci. Quæ quid etiam producit, seipso formaliter & immediatè producit, id est, existit vi sui principij. Quare productio activæ, vel passivæ, malè concipitur ut vi intermedia inter producens & productum, principium & terminum, quippe quæ seipsa formaliter & immediatè producit, aut producitur. Denique nomina quæ personis divinis tribuuntur per appropriationem, ut Verbum filio, amor & donum Spiritui sancto, nihil significant nisi modum procedendi specialem per intellectum aut per voluntatem, qui relationibus ipsis & originibus satis significatur. Quare non est propterea multiplicandus numerus notionum, quasi hæc, & similia, quinque vulgatis non comprehendantur. Sed neque debent vilo modo censerī esse diversæ notiones ea

quæ differunt tantum nomine rebus, & non viam conceptu obiectivo, saltem ratione alicuius connotati.

SECTIO III.

Quomodo notiones personarum divinarum nobis innoscant, aut possint innoscere?

Respondeo notiones personarum divinarum, in quibus consistit mysterium Trinitatis, fide nobis innoscere: neque posse ab vilo homine cognosci solo lumine naturali, sine ope revelationis, vel auxiliij divini specialis & supernaturalis. Hæc conclusio est D. Thom. quæst. 32. art. 1. & communis Theologorum, patetque ex dictis disput. 23. sect. 1. Adde in præfens non solum homines, sed neque angelos, aut vllas creaturas possibiles posse naturaliter assequi noticiam mysterij Trinitatis, ne probabilem quidem. Ratio est quia mysterium Trinitatis, quatenus non fit contra rationem naturalem, sed supra: adeò tamen illam excedit, ut nullum in rebus naturalibus vestigium, nullum indicium sit, ex quo, semoto lumine revelationis, possit vel probabiliter conjici. Semoto, inquam, lumine revelationis: nam eo posito non nego posse probabilem eius assensum elici, adhibitis quibusdam exemplis rerum naturalium: cuiusmodi sunt illa, quæ loco citato retulimus ex Ricardo Victorino, & aliis; & quæ ad emolliendam huius mysterij difficultatem à Sanctis Patribus afferri solent exempla fontis, rivi, & stagni, ex eadem aqua: solis, & lucis, ac caloris, ex eodem sole: iridis, & coloris triplicis in eo apparentis ob variam lucis refractionem: intellectus, memoria, & voluntatis, in eadem anima: nec non productionis verbi ab eadem intelligente, & amoris ab eadem amante: quòd denique prima & nobilitas in substantia, quæ dat plurimis aliis virtutes generandi sibi simile, non debet eà carere, iuxta illud Isa. 66. v. 9. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cateris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus Israel?*

Aliunde verò tanta est difficultas in agnoscendo quòd eadem essentia simplissima & indivisibilis identificetur tribus realiter distinctis inter se, & nihilominus in distinctis ab illa unica essentia: ut omnis intellectus, creabilis, aut iam creatus, solis tribus naturalibus vel sit iudicaturus id esse impossibile, vel iudicium suspensurus, si occurrat illi cogitatio talis identitatis & distinctionis in Deo.

Confirmatur ex Scripturâ, quæ generaliter & absolute affirmat, non posse cognosci Trinitate nisi per revelationem. *Matt. 11. Nemo novit filium nisi pater, neque Patrem qui novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

Originis non sunt concipiende ut viæ ad terminum.

Mysterium Trinitatis ne probabiliter quidem cognosci potest sine revelatione.

NO

Et cap. 16. *Cave & sanguis non reuelavit tibi, sed pater meus qui in caelis est.* Vbi nota reuelationem huius mysterij in Deum ipsum refuldi, ita vt sine illo, liberaque ipsius reuelatione praeterea, nullus eius notitiam assequi possit. Hoc enim significant verba illa, *Nemo nouit, &c.* id est, neque actum cognoscendi habet, neque potentiam sufficientem ad cognoscendum. Non debent autem haec verba, de se vniuersalissima, restringi ad creaturas iam existentes. Alioqui pari licentia diceret aliquis debere restringi ad homines, & non comprehendere angelos.

17. Confirmatur secundò ex Patribus, qui ex locis Scripturae citatis arguunt neque homines, neque angelos, posse (naturaliter scilicet) cognoscere mysterium generationis Verbi diuini, iuxta illud Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ita Irenaeus lib. 2. cap. 48. Hilarius lib. 2. de Trinit. longe post init. & lib. 3. post medium, Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. ante med. Et Basil. epist. 43. vbi ait nullam mentem posse apprehendere, viribus scilicet naturalibus, veritatem & discretiorem personarum diuinarum.

18. Ex quibus collige falli Scotum in 2. dist. 2. quaest. 9. & in 4. dist. 49. qu. 11. aientem posse angelum cognoscere euidenter mysterium Trinitatis per actum naturalem, si Deus ei det speciem illius naturalem, & proportionatam naturae virtuti angeli. Addit tamen hanc speciem esse supra naturam aliquo modo, quatenus scilicet non conuenit angelo necessarium, neque illam sumit ab obiecto; sed Deus liberè illam donat si vult, supra naturam debitum. Quod fortasse addit Scotus vt non omnino videatur contradicere Scripturae & Patrum testimoniis, affirmantibus non posse cognoscere hoc mysterium sine Dei reuelatione, quorum aliqua supra recitamus, nisi verò plura referuntur à Dacoco Ruis disp. 1. sect. 3.

19. Sed non continet quod vult. Nam infusio speciei naturalis, & proportionatae naturali actui angeli, non est reuelatio proprie loquendo: notitiaque habita per talem speciem, non est notitia habita per reuelationem, distincta ab illa quae dicitur haberi solo lumine naturae, & nimirum cum auxiliis naturalibus. Alioquin angeli nouissent per reuelationem ea omnia, quae nouerunt in initio creationis per species naturales congenitas, à Deo sibi infusas. Nec obest quòd illam speciem Trinitatis non potest angelus sumere ab obiecto. Nam neque potuit sumere ab obiecto speciem possibilem a futurum, quae nouit ab initio. Si autem species eadem est proportionata naturae actui angeli, non est illi minus debita naturaliter, quam species aliae, quas Deus illi infudit ab initio. Licet Deus non necessarium sed liberè, ac sine debito, has praeter alias infuderit; & circa haec obiecta, potius quam

circa illa, puta, circa haec possibilem praeter alia. Aliam addunt rationem contra Scotum Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 11. Nam. 16. Vsq. disp. 134. cap. 2. & alij plerique: quia scilicet non potest haberi euidenter notitia mysterij Trinitatis quoad an est, aut quoad quid est, nisi sit intuitiua. At angeli non possunt habere naturaliter notitiam intuitiuam Trinitatis: ergo, &c. Sed huius argumenti maiorem veram esse non puto. Si enim Deus alicui reuelaret euidenter se esse trinum; & ille lumine naturali; vel per euidenter reuelationem nosset euidenter Deum esse veracem: ille haberet notitiam euidentem Trinitatis quoad an est. Sic enim posset ratiocinari: Quicquid Deus reuelat est verum: sed Deus reuelat se esse trinum: ergo verum est Deum esse trinum. Cuius syllogismi, cum maior & minor sint euidentes, conclusio ex illis bene deducta euidenter est. Item si quis videret in transitu mysterium Trinitatis, vt de Moysè & Paulo nonnulli affirmant; ille, ex tali visione retineret speciem, cuius ope recordari posset obiecti antea à se visi, & cognoscere illud euidenter, etiam quoad quid est. Sicut nos recordamur quidditatiue obiectorum, antea clarè & intuitiue perceptorum. Haec autem recordatio non esset notitia intuitiua ipsius Trinitatis: qui non esset immediata perceptio mysterij illius in seipso, secundum suam actualem existentiam obuerfante & terminante cognitionem, ad eum modum quo lumen & color secundum suam actualem existentiam terminant visionem ocularem, & ab ipsa immediatè percipiuntur vt coram obuerfante per seipsa. Idemque dico de eo qui supernaturaliter videret actum quo aliquis Beatus videt mysterium Trinitatis: aut speciem impressam representantem virtualiter & intentionaliter mysterium Trinitatis. Visio enim huius speciei impressae, aut visionis beatificae alicuius Beati, esset quidem clara & quidditatiua cognitio mysterij Trinitatis. Et tamen non esset visio eiusdem mysterij, sed abstractiua eius cognitio per media quidditatiue illud representantia, id est, sicuti est, germanè ac proprie, non autem analogicè per speciem alienam, id est, per similitudinem & proportionem cum rebus alijs, ad eum modum quo naturaliter Deum & alias res immateriales & inseparabiles in hac vita cognoscimus. Omitto aliud quorundam argumentum, sumptum ex vnione hypostatica alicuius naturae creatae cum tribus personis diuinis. Quia sentio vnionem non esse aliud quam extrema immediatè cohaerentia ad inuicem per simplicem vsum suae vniuersalitatatis, ab ipsis indistinctum à parte rei, ac ne quidem mutuo praecipuum: adeoque non posse videri, quin videantur ipsa extrema.

Dices cum Vasque disp. 135. cap. 3. nu. 6. notitiam per euidentem reuelationem esse

per principia extrinseca rei : ideoque non potest euidenter ostendere nostro intellectui connexionem prædicati cum subiecto in se. Hæc enim est euidentiâ intrinseca rei, quæ per extrinseca principia non potest haberi.

Notitia per euidentiâ reuelationem Dei, est euidens.

Respondeo non posse quidem euidenter ostendere illam connexionem immediatè in seipsa; sed euidenter illam ostendere per aliquod illius indicium euidens & infallibile. Ad notitiam autem euidentiâ connexionis prædicati cum subiecto, sufficit illam haberi per aliquod medium euidentiâ & infallibilitè cum illa connexum, quamuis medium illud sit extrinsecum. Nam ex Aristotele 1. Poster. & ex consensu omnium Philosophorum, demonstratio à posteriori, causæ per effectum, est vera demonstratio, paritè scientiam, id est, notitiam euidentiâ conclusionis; quamuis effectus sit medium extrinsecum respectu causæ. Neque obest, quod aliqui dicunt, differentiam esse, quia illi effectus sunt naturalitè connexi cum causis: secus autem veritas & reuelatio diuina cum rebus reuelatis. Nam euidentiâ conclusionis non fundatur in eo quod effectus sit naturalitè connexus causæ, id est, naturalitè ab illa oriatur: sed in eo quod tanta est connexio inter præmissas & conclusionem, vt euidentiâ impossibile sit præmissas esse veras, & conclusionem esse falsam. Vnde fit, vt habita notitia euidentiâ præmissarum & bonæ illationis, habeatur euidens notitia veritatis conclusionis. At qui non minor est connexio veritatis præmissarum cum veritate conclusionis in discursu illo: Quicquid Deus reuelat, verum est & e. quàm in isto: Omne admiratiuum est rationale. Sed omnis homo est admiratiuus. Ergo est rationalis. Est quidem Deo liberum reuelare, vel non reuelare. Sed tamen posita reuelatione, non minor est connexio reuelationis diuinæ cum veritate rei reuelatæ: quàm sit vllius effectus naturalis cum sua causa. Id est, non minùs est impossibile non esse verum id quod Deus reuelat, posita reuelatione: quàm talem effectum non esse à tali causa. Quare reuelatio est indicium æquè infallibile veritatis rei reuelatæ; atque effectus vllius est indicium veritatis suæ causæ.

22.

Objicies secundò cum Cuniga disq. 7. dub. 2. Omnis notitia quidditatiua & propria Dei, attingit illum sicuti est, & prout distinguitur à creatura. Deus autem eo distinguitur à creatura, quod sit ens necessarium, creatura verò, contingens. Ergo attingit illum vt ens necessarium, id est, vt necessariò existentem: adeoque vt actu existentem. Ac proinde nulla Dei notitia quidditatiua potest esse abstractiua, sed omnis est intuitiua. Confirmatur, quia essentia est de quidditate & essentia Dei. Ergo notitia Dei quidditatiua attingit illius existentiam. Ergo verifatur circa Deum vt existentem. Ergo est intuitiua.

23.

Respondeo, ad cognitionem Dei intuitiuam non sufficere illum cognosci sicuti est in se, conceptu humano & quidditatiuo, vel vt ens necessarium, id est, necessariò existens actu: sed oportere vt notitia illa terminetur immediatè ad Deum vt per se presentem, coramque obuersantem intellectu, ac sua reali & actuali presentia sistentem eius aspectum: simili modo, quo objecta visibilia, vt per se presentia coramque obuersantia, sistent visionem ocularem immediatè terminatam ad ipsa vt actu existentia, & secundum suam actualem existentiam immediatè percepta. At hoc non habere notitia Dei, vel mysterij Trinitatis, cogniti tantè mediatè in visione alicuius Beati, aut in specie impressa, vel habitu per recordationem ex visione transeunte, propter speciem extrinsecam visionem relictam, quæ saltem supernaturalitè posset relinqui in mente videntis, & in vsum postea reduci ad recordandum objecti antea visi: sicut nos hyemè recordamur rosarum, veris tempore perceptarum intuitiue & experimentalitè.

24.

Ad confirmationem, dico similiter notitiam quidditatiuam, de qua loquimur, attingere quidem Dei existentiam: sed non attingere experimentalitè, vt in seipsa immediatè perceptam, ad eum modum, quo vultus corporeus attingit visibilia. Et visione autem corporea sumptum est nomen notitiæ intuitiue intellectuales: de qua similiter vt de corporea philosophandum est, quoad modum tendendi in obiectum.

Potest dari cognitio Dei quidditatiua, quæ non sit intuitiua.

DISPUTATIO  
VIGESIMA OCTAVA

De personis diuinis in particulari. Et  
primò de persona Patris.

Sectio I. *Verum paternitas sit prima proprietas Patris, & conueniat illi conueniat?*

Tonus I.

AA3

Sectio II. *An esse ingentum sit altera proprietas Patris?*Sectio III. *An Pater sit principium & fons totius Deitatis, & nomen etiam causa & initium illius dici possit?*

**D**E persona Patris in particulari disputat S. Thom. tom. qu. 33. Et art. 1. docet Patrem competere esse Principium: quia Principium significat id à quo aliquid procedit. Filii autem procedit à Patre. 2. Nomen Patris esse proprium primæ personæ: quia per illud distinguitur ab omnibus aliis. 3. Cùm nomen Patris dicatur de Deo, & essentialiter, respectu creaturarum: & personaliter, seu notionaliter, respectu Verbi, seu Filij Diuini: per prius dicitur paternitas in diuinitate secundum quod importatur respectus personæ ad personam: quàm secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam. Quia per prius dicitur nomen de illo in quo saluatur ratio nominis perfecte: quàm de illo, in quo saluatur secundum quid. De hoc enim dicitur quasi per similitudinem ad id, in quo perfecte saluatur. Atque perfecta ratio paternitatis & filiationis inuenitur in Deo Patre & Deo Filio: quia Patris & Filij vna est natura & gloria. Sed in creatura filiationis inuenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem, cùm non sit vna natura Creatoris & creaturæ: sed secundum aliquam similitudinem tantum, quæ quareo perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Quadrupliciter enim dicitur Deus alicuius creaturæ Pater. Vel primo propter similitudinem vestigii tantum, vt irrationalium creaturarum: secundum illud Job 38. *Quis est plume pater, aut quis genuit stillas roris?* Vel secundo, propter similitudinem imaginis: vt creaturæ rationalis, iuxta illud Deuter. 32. *Nonne est ipse Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* In Gen. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Vel tertio, secundum similitudinem gratiæ, vt Lutherorum, qui etiam dicuntur Filii adoptiui, secundum quod ordinantur ad hereditatem æternæ gloriæ, per munus gratiæ acceptam: secundum illud Rom. 8. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filij Dei. Si autem Filij, & heredes.* Vel denique secundum similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hereditatem possident: vt Beatorum, secundum illud Rom. 5. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Addit 4. nomen ingentis esse proprium Patris, in quantum illius proprium est non esse ab alio, & esse principium sine principio. Ac sicut Pater innotescit paternitate, & communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes: Sic in quantum est principium non de principio, innotescere per hoc quod non est ab alio. Quod pertinet ad rationem inuincibilitatis, significatam hoc nomine, *ingentus.* Huc vsque D. Thomas: cuius doctrina tribus sequentibus sectionibus fufius explicabitur.

SECTIO I.

*Utrum paternitas sit prima proprietas Patris  
& unde conveniat.*

I  
Deus tri-  
pliciter di-  
citur Pa-  
ter.

**O**men Patris Deo applicatum sumitur tripliciter. Primo, generaliter pro creatore & principio creaturarum. Quod nomen tribus personis est commune, non minus quam potentia creandi & eius exercitium, ratione cuius Deus est Pater, creator, & Dominus universorum. Secundo, specialius pro Deo ut iustificatore & adoptante sibi creaturas intellectuales in filios. Et hoc etiam nomen est tribus personis commune, æque ac voluntas & potentia iustificandi & adoptandi. Quanquam enim appropriativè tribui solet iustificatio & adoptio Spiritui sancto: quia fit per amorem; Spiritus autem sanctus est amor specialiter ex vi suæ processionis: physice tamen Deus ipsa communis tribus personis est causa gratiæ iustificati, eademque nos sua voluntate adoptat in filios & hæredes bonorum, quibus fruitur.

Tertio, specialissimè sumitur notionaliter pro principio generatio Filii seu Verbi divini, consubstantialis & eiusdem naturæ realiter cum suo principio. Quo sensu hæc sumitur nomen Patris, & primæ personæ proprium est. Quod si quæras, an nomen Patris sit univocum ad tria supra dicta? Respondeo negativè. Proprie enim nomen, Pater, significat principium generativum, idque omnes intelligunt per vocem, Pater, absolute prolata, id est, sine addito ex quo intelligatur aliter sumi. Fuitque primò vox eadem imposita ad significandum principium verè ac proprie generativum: sicut & nomen Filii, ad significandum verè ac proprie genitum, id est, productum à principio vivente coniuncto in similitudinem naturæ. Quare vox, Pater, dicitur proprie de prima persona prout est generativa secundæ. Improprè verò & analogicè de Deo, vel de tribus personis, prout sunt principium creationis & adoptionis.

Hoc supposito, Dico primò paternitatem esse primam proprietatem primæ personæ divinæ. Probat, quia est prior aliis duabus, quæ eidem personæ conveniunt: nempe, innascibilitate, & spiratione activa. Nam innascibilitas fundatur in paternitate, ut negatio in positivo, ratione cuius verè negatur personam illam nasci seu produci posse. Quod illi convenit non tantum secundum essentiam, quæ est improducibilis (nam duæ aliæ personæ sunt æque improducibiles secundum essentiam, quæ ut ait Lateran. cap. Damnamus, nec generare, nec procedere potest) sed etiam secundum positivam proprietatem constitutivam Patris in esse proprio substantiali personæ, distincto realiter ab aliis personis divinis. Spiratio quoque activa est ratione posterior fecunditate gene-

3.  
Paternitas est prima proprietas primæ personæ.

ratiua. Nam hæc fundatur in actuali intelligentia essentiali, à qua logicè seu virtualiter oritur, ut mox dicemus: illa verò fundatur in actu essentiali voluntatis. Voluntas autem est posterior intelligentiæ, ordine rationis.

Dico secundò paternitatem seu fecunditatem generativam, atque ipsam actualen generationem (nam hæc duo significantur nomine paternitatis ad æquatè sumpto) convenire Patri proximè & immediatè, ratione actualis intelligentiæ essentialis: siue ratione essentiali prout est actualis intelligentia cum ipsius essentia divinæ, & possibile, cum ipsarummet personarum divinarum, etiam ut existentium. Hæc conclusio patet ex dictis disp. 24. sect. 4. Ratio præcipua illius est, quia filius producit, per viam intellectus, accipitque naturam suam primò & immediatè, quatenus ipsa est essentialis intelligentiæ: unde specialiter vocatur Verbum, id est, sermo & partus intellectus. Ergo pater divinus est fecundus ad generandum primò & immediatè per essentiam prout est actualis intelligentia. Debet enim principium respondere principiato. Nempe cum fecunditates ad intra debeant esse secundum actus vitales immanentes, atque illos imitari: prima fecunditas ad intra debet fundari in prima operatione vitali essentiali, quæ est intellectio. Cumque ex communi sensu sanctorum Patrum, & Theologorum secunda fecunditas, quæ est spirativa, fundetur in voluntate, aut volitione essentiali: ideoque Spiritus sanctus naturam primò accipiat secundum rationem volitionis, & illi, ut tali, primò identificetur eademque de causa vocetur specialiter amor & charitas: par est ratio ut prima fecunditas, quæ est generativa, fundetur primò & immediatè in actuali intelligentia essentiali.

Convenit illi immediatè ratione intelligentiæ.

Obijcies primò, Si fecunditas generativa fundatur primò & immediatè in actuali intelligentia essentiali, debet esse ubicunque est illa actualis intelligentia. Ergo debet esse in Filio, & in Spiritu sancto. Respondeo negando sequelam. Quia non potest esse in illis personis, quibuscum habeat relationem oppositionem. Habet autem illam cum Filio, & cum Spiritu sancto: quia Pater, quæ Pater, est ad producendum Filium sibi inlenon natura, & fecunditate: communicandi eandem naturam Spiritui sancto.

Solutur prima obiectio.

Obijcies secundò cum Suarez lib. 8. cap. 1. n. 6. Paternitas est prima personalitas naturæ divinæ. Personalitas autem natura non sequitur ex operatione intellectus aut voluntatis: sed potius supponitur ad operationem, quia actiones sunt suppositorum, vel saltem subsistentium.

Secunda obiectio.

Respondeo, minorem non esse veram in Deo, in quo ipsamet operatio intellectus & voluntatis, est essentialis, & consequenter ratione prior personalitate. Actiones autem intelligendi & volendi sunt suppositi denominatiæ tantum, ratione essentiali cuius propria

sunt. In creatis quoque actiones, siue vitales siue alie, non sunt suppositorum nisi denominatiue: physice vero & proprie sunt a natura substantiali, vel ab accidentibus. Adde in eo loco Aristotelis ex quo illud axioma de promptum esse dicitur, non esse, Actiones sunt suppositorum: sed, Actiones sunt singularium: quod vniuersalissime & propriissime verum est. Nihil enim agit aut agitur, nisi sit singulari.

Tertia obiectio.

Obicitur tertio, cum eodem Suarez ibidem, ex intelligere vt sic, tantum sequitur vel representatio rei intellecta, vel terminus aliquis productus, si sit a quo produci possit. Paternitas autem nec; habet ratione representandi, nec illo modo copatur ad intellectiōnem vt terminus. Cur ergo dicamus resultare ex illa secundum rationem? Adde quod vera esset ista causalitas. Quia diuina essentia intelligit, ideo terminatur paternitate. At hoc verē dici nō potest. Ergo nec illud vnde sequitur.

Ad primum Respondeo, etiam in nobis ex intellectu sumpta pro actu intelligendi, vt hic sumitur, (non autem pro actione tendente ad actum vt ad terminum, quo pacto Suarez videtur eam sumere) oriri speciem videntem ad recordationem eiusdem actus, & habitum facilitatem ad producendos similes actus. In Deo vero oritur virtualiter aliquid nobilitatis, nempe vis ad producendum sibi simile & consubstantiale, accipiens primò naturam sub ratione intelligentiæ.

Ad secundum Respondeo verum esse istam causalem. Quia essentia est simpliciter infinita & illimitata in omni genere perfectiōnis, est communicabilis tribus personis realiter distinctis, & terminabilis per tres hypostasies relatiue oppositas inter se, ac propter oppositionem distinctas. Est, inquam, communicabilis per viam intellectus paternitatis ad generandum Filium: & per viam voluntatis, secundum spirandi ad producendum Spiritum sanctum.

SECTIO II.

An esse ingenuum sit altera proprietas Patris?

8. Esse ingenuum est altera proprietas Patris.

Respondeo affirmatiue. Pater enim non tantum id habet proprium & singulare vt per se substantiam generatiuam sit principium Filij: verum etiam vt inter personas diuinas ipse solus existat sine alio principio, a quo realiter producat, quemadmodum Filius est ab ipso, & Spiritus sanctus est a Patre & Filio spiratore. Quæ secunda proprietas assignatur nomine ingenui & innascibilis, seu potius improducibilis priuatiue sumpti. Nam quæ voco, negetur tantum generatio vel natiuitas proprie sumpta: illud Spiritui sancto cum Patre commune est, quod sit incapax natiuitatis & generatiōis. Si vero eaq̄ quidem negetur generaliter

quæcunque productio, sed negatiue tantum, non priuatiue, significat de pura negationem producibilitatis: illud quoque nature seu Deitati commune est cum Patre, quod sit incapax realis productionis. Quare vti proprium singulariter Patris esse ingenuum siue improducibilem, debet sumi non in illud priuatiue, prout significat negationem productionis in aliqua persona diuina, cui licet non possit conuenire productio, tamen conuenit alicui eiusdem generis cum ipsa. Quæ ratione dicitur Pater innascibilis priuatiue, non quatenus priuatio dicitur carentia alicuius positiui quod possit aut debeat inesse Patri: sed quod potest ei conuenire, seu non repugnat illi, non quatenus Pater, sed quatenus persona diuina est. Pater enim est persona diuina. In genere autem personarum diuinarum non repugnat produci, sed re ipsa producuntur alia duæ, Filius & Spiritus sanctus. Quare hæc priuatio est de illis quæ dicuntur secundum genus, & non secundum speciem aut rationem propriam. Quis autem Philosophos est priuatio visus in talpa, cui in quantum est animal, non repugnat videre: licet repugnet illi, vt talpa est.

Huius proprietatis meminerunt Conc. Tol. VI. & XI. & Vormatiens. in confessionibus fidei; & sancti Patres Iustin, in expositione fidei, Athanasius, in pist. de Synodis Arimini & Seleucia prope finem: Basil. lib. 1. & 2. contra Eunom. Nazianz. orat. 35. Cyrill. lib. 1. Thef. cap. 2. Augustin. li. 5. de Trin. c. 6. & 7. Hilar. in lib. de Syodis & lib. 3. de Trin. prope finem, alijque Patres. Licet aliquandiu nonnulli Patrum voce illa vt reculauerint, suspectamque habuerint. Quæ tamen si recte intelligatur ad sensu quo iam fuit explicata, vacat omni periculo, & certissimam veritatem continet. Certissimum enim est Patrem esse principium siue principio, & ipsum a nullo realiter produci, sicut ab ipso producuntur Filius & Spiritus sanctus.

Difficultas solum est primò, an nomine ingenui, siue improducibilis, significetur formaliter in patre aliquid positiuum, an potius aliquid negatiuum seu priuatiuum? Respondeo cum D. Thom. q. 33. a. 4. ad 2. Suarez lib. 8. cap. 2. n. 6. aliisque plurimis, de materiali quidem & fundamentaliter significari nomine illo positiuum quid: de formali vero negationem seu priuationem producibilitatis, fundatā in aliquo positiuo, ratione cuius patri conuenit esse sine principio. Nam cum Patri aeterno conueniat, vt sit principium sine principio: esse principium est quidem aliquid positiuum. Esse vero sine principio, & non posse habere principium, est formaliter negatiuum, sed tamen fundatur in positiuo, quod est tale vt principium habere non possit. Quapropter esse innascibilem, siue improducibilem, non est pura negatio, sed inuoluit pro materiali & fundamento positiuum paternitatis, ratione cuius conuenit primæ personæ inter alias esse improducibile. Vnde infero paternitatem

esse primam proprietatem Patris : quia innascibilitas alterius eius proprietatis, in ea fundatur, vt negatio in positivo.

Dices innascibilitatem significare dignitatem ex D. Thom. q. 3. art. 3. ad 4. At priuatio non dicit dignitatem. Ergo innascibilitas de formali non significat priuationem. Secundò, ingentum seu innascibile significat esse primum, quod est quid posituum, & diuersum à ratione principij : aliud enim est esse principium, & aliud esse primum principium. Tertio, nomen ingenti significat fontem originem, & vniuersale principium aliarum personarum : quod est aliud, quam paternitas, & posituum est. Quarto, si ratio infinitatis, immensitatis, & aliorum attributorum, quæ negatiuè concipiuntur, & denominantur, cognoscuntur duplici via ; & per negationem, & modo positiuo: non propterea deberet dici notio diuersa nature seu essentia, id est, diuersa ratio obiectiua, sed eadem omnino diuerso modo intellecta. Ergo similiter innascibilitas non erit notio diuersa à paternitate, nisi quid positiuum dicat à paternitate diuersum.

12. Ad primum Respondeo, Innascibilitatem dicere dignitatem, tum ratione materialis, de quo loquitur D. Thomas : tum etiã ratione formalis, quia non est priuatio seu negatio alicuius debiti aut conuenientis: sed est negatio in aliquo non indigente, & excludente formam, quæ negatur, per sufficientiam essendi sine principio ; quod ad dignitatem quandam & auctoritatem pertinet.

Ad secundum Respondeo, Primum, supra rationem principij addere tantum de formali negationem alterius principij, vt sit principium sine principio. Idemque dico de eo quod est esse fontem originem, id est, primum fontem & principium cæterarum personarum : quod tamen non significatur formaliter nomine ingenti siue innascibilis, sed tantum negatio principij, à quo sit persona quæ dicitur ingenta. Nam esse ingentum non dicit quod persona illa sit principium aliarum. Et licet aliqua persona non esset genitor neque principium : tamen esset ingenta, si non esset ab alio. Atque ex his patet solutio tertij argumenti.

13. Ad quartum Respondeo, sufficere ad distinctionem notionum, vt res diuerso modo declaretur, etiam per connotata, & secundum quid magis exprimitur : vt in præsentis sit. Ratio enim patris exprimit ipsum esse principium. Ratio autem innascibilis, ipsum esse sine principio. Quæ duo reipsa paternitas conueniunt. Primum, quatenus est constitutiua principij generandi, quod pater nominatur. Secundum, quatenus paternitas conuenit essentia sine reali productione aut communicatione, quam ne quidem supponat vllò modo. In quo differt à spiratione actiua, quæ prout est in filio, supponit generationem, vt citius ipsi communicatur cum cæteris attributis.

14. Secunda difficultas est quomodo bene pro-

betur Patrem esse ingentum siue improducibilem? Respondeo bene probari ex eo quod cum tres sint tantum personæ diuinæ, vt fides docet ; & non sit inter illas mutua productio, necessarium est aliquam esse improducibilem, ad eoque improducibilem : nam in diuinis productionibus id est esse, & posse esse : & productio quæ reipsa non est, impossibilis est. Itaque pater neque est producibilis à Filio, aut à Spiritu sancto, quos ipse producit : neque ab alia persona diuina, quia non est alia. Neque est quicquam aliud à quo produci possit: quia non ab essentia à qua realiter nõ distinguitur omnis autem productio realis importat realem distinctionem inter producentem & productum: alioquin in diuinis personæ productæ nõ distinguerentur realiter à producentibus. Non etiam ab vlla creatura, quæ manifestè non potest esse origo & principium alicuius personæ diuinæ. Omnis enim creatura contingens est, & infinite distat à perfectione personæ diuinæ. Ergo non est principium personæ diuinæ, quæ existit ex absoluta necessitate; & si producitur, debet habere principium sibi proportionatum æqualisque necessitatis & perfectionis.

Huic rationi opponit Cuiusdam disp. 5. de b. 2. n. 2. Non ita clare repugnare, quod personæ diuinæ se mutuo producant: quia mutua productio, non magis implicat, quam mutua causalitas in eodem genere causæ : quæ non ita aperte repugnat, cum vix possit reddi delictum, cuius magis implicet, quam mutua causalitas in diuerso genere causæ, quam multi communiter docent.

Respondeo quicquid aliqui dicant, implicare euidenter, vt res quæ semel tantum producit, producat ab effectu, vel à termino quem physicè producit. Ratio est quia quicquid producitur physicè ab aliquo, producitur ab illo vt existente: quod enim physicè nõ est, non agit physicè. Ergo vt producat, & sic potens ad producendum, debet existere. Atqui nõ constituitur potens formaliter per effectum aut terminum quem producit, & qui existit vi illius potentia: ergo non existit per effectum vel terminum. Ergo non producitur ab effectu vel à termino quem physicè producit.

Dixi, Quem physicè producat: quia alia est ratio de fine, qui tantum concurrit moraliter, potestque physicè vel moraliter causari ab eo cuius moralis causa est agendum voluntate agentis. Ex gr. sanitas est causa moralis & finalis medicinae, & medicina est causa efficiens sanitatis. Gloria æterna est causa moralis & finalis bonorum operum, quæ fiunt propter illam consequendam, & eadè bona opera sunt causa moralis & meritoria glorie æternæ: non secundum esse morale & apprehensum, quod presupponitur vt moueat finaliter ab exercenda bona opere, sed secundum actualem & physicam existentiam, quam obinet per bona opera vt causam meritoriam. Quia enim causa finalis mouet, non vt existens actu, ac neque necessarid vt præsupposita tanquam futura ( quo pacto merita Christi

Quomodo  
proberur  
Patrem esse  
ingentem?

Causa non  
potest pri-  
mo produ-  
ci ab effe-  
ctu quem  
physicè  
producit.

16.



mouebant Deum ad mercedem anticipantem ante incarnationem) sed tantum ut vel reipsa, vel in estimatione possibilis haberi potest secundum esse morale, id est, quatenus apprehenditur & desideratur, mouere agens ad procurandum & efficiendum ut physice sit. In quo modo causandi non est contradictio, quia est in eo quoddam physice producens, & producens quia existens, existat ut sui effectus, & constituitur formaliter potens ad producendum per effectum aut per terminum qui non existit nisi in potentia illius.

17.

17. Dicitur: quia in reproductione mediata vel im-

mediata, non implicat, nisi quid aliud obstat, idem reproduci à suo effectu. Exempli gratia, si lumen A, productum à lumine B, posset reproducere lumen B, etiam in eodem instanti temporis, si Deus ad illud indiuiduū determinaret, loco alterius luminis quod naturaliter producere potest eodem instanti quo primo est. Supposito quod idem simul à duabus causis totalibus produci possit, quod non implicat ostendimus alibi. Verum in diuina reproductione esse nequit. Tum quia virtus producendi, quae opponitur relative personae productae, non potest formaliter illi conuenire, ut reproducatur personam à qua procedit. Tum etiam quia sicut vnicus est terminus cuiusvis secunditatis ad intra, adequatus suo principio, illiusque vim exhauriens: sic vnica est productio cuiusvis principij ad intra, exhauriens adaequatè vim totam illius principij. Cumque principium sit vnicum ad generandum, & vnicum ad spirandum: non est nisi vnica productio generatiua, & vnica spiratiua: sicut vnicus Filius, & vnicus Spiritus sanctus.

SECTIO III.

An pater sit principium & fons totius Deitatis, & num etiam causa & initium illius adpositus?

18. Pater est aliquo modo principium & fons totius Deitatis.

18. Ico primò Patrem esse aliquo modo principium & fontem totius Deitatis: quia scilicet pater non modo est à se huius principij, sed etiam est principium Filij, & cuius illo est principium Spiritus sancti; atque utriusque naturam diuinam communicat. Unde est principium omnis productionis, & omnis communicationis, quae in mysterio Trinitatis existit. Eoque sensu à sanctis Patribus & à Conciliis vocatur fons & origo totius Deitatis, & totius Trinitatis fontalis plenitudo. Non quod producat Deitatem ipsam: quippe quae improducibilis est: Aut quod, siue per productionem, siue per communicationem, sit principium totius Trinitatis adaequatè: alioquin esse principium sui ipsius, cum sit ipsemet vna persona Trinitatis: sed quia quicquid est productionis & communicationis in mysterio Trinitatis,

illud totum ab ipso est. Verum haec proprietates significatur aliquatenus nomine patris, de cuius ratione est ut det naturam filio cum fecunditate spirandi. Ideoque vnus generandi importat vim spirandi. Ad utraque autem oritur vnus processio & communicatio Trinitatis, quae non aliter est productiua ad intra, & communicatiua, quam generandi & spirandi. Quare esse Patrem in Trinitate, est esse fontem & originem omnium processionum, quae possunt illi conuenire. Atque ita esse Patrem idem est, ac esse fontem totius Deitatis in sensu supra explicato.

Hunc loquendi modum, quod scilicet Pater sit fons Deitatis, aut totius Deitatis, usurpant Dionys. cap. 2. de diuin. nom. post medium, Athanas. contra Gregales Sabellij longe à fine, Ambros. in Symbolo Apost. cap. 2. & Concil. Toletan. VI. cap. 1. initio, Toletan. XI. & Vvorrat. in professione fidei initio, & Florentin. sess. vltima in literis vnionis. Eodem autem sensu quo pater est fons totius Deitatis aut Trinitatis, est etiam illius principium, valens autem S. Augustin. lib. 4. de Trin. cap. 20. prope finem: id est, id à quo est quicquid produciatur in Deitate & Trinitate. Principium autem ex Aeliot. 5. Metaph. cap. 1. est id vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.

Initium tamen dici non debet respectu personarum productarum, quia vox illa sonat personas productas. habuisse principium durationis, quod est falsum. Ut rectè docent Magister in 1. dist. 29. §. Deinde, S. Thom. ibidem in fine expositionis textus, & alij Theologi communiter, post sanctos Patres Athanas. orat. 2. contra Arian. longe post initium, Hilar. 4. de Trinit. columna 3. & alios. Quanquam sumendum est initium, quam pro principio durationis, nempe pro solo principio originis, potest dici de Patre respectu aliarum personarum, ipsique tribuitur ab aliquibus antiquis: ut à Chrysost. hom. 1. in symb. Apost. quae habetur tom. 5. veteris editionis. Et à Concilio Syrmien. can. 26. apud Hilar. in lib. de Synodis post med. vbi eius verba refert & approbat, quibus anathematizat eum qui dixerit filium esse innascibilem & sine initio. Chrysostomi autem verba loco citato sunt, De substantia Patris naturam & genitum confiteamur: & initium (id est originem) à Patre habere dicimus.

Quod verò atinet ad nomen causa, si strictè sumatur, prout sumitur à Latinis, significatque dependentiam effectus, & contingentiam absolute loquendo; non potest tribui Patri respectu Filij, aut Spiritus sancti. Secus autem si sumatur latius, etiam pro principio originis, abstrahendo ab huiusmodi imperfectionibus. Quo pacto sumitur vox à Graecis Patribus, frequenterque tribuitur Patri respectu Filij & Spiritus sancti. Quin etiam ab aliquibus Latinorum Patrum, Pater dicitur causa Filij, eodem sensu: ut ab Hilario lib. 11. de Trinit. columna 7. & lib. 12. col. 4. & c. Et ab

Augustin. lib. octoginta trium quest. q. 13. ubi ait Deum esse causam sempiternam suae sapientiae sempiternae: & nunquam fuisse non Patrem, ac sine Filio.

Pater dicitur auctor Filij.

Authorem vero Filij eundem nuncupant Athanas. Dial. 2. de Trinit. contra Macedon. prope finem. Euseb. lib. 4. demonstrat. Euang. cap. 3. Hilar. lib. 4. de Trinit. Augustin. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. Quem loquendi modum admittunt S. Thom. quest. 33. art. 1. ad 2. & in 1. dist. 29. q. 1. art. 1. in corp. Caietan. & alij interpretes D. Thom. ad art. 1. quest. 33. & Scholast. communiter cum Mag. in 1. dist. 9.

Filius potest dici auctor & principium Spiritus sancti.

§. Dicamus ergo. Sicut autem Pater dicitur esse principium & auctor Filij: potest Filius dici principium & auctor Spiritus sancti. Et quidem principium dicitur à Concilio Lugdun. cap. unico de sum. Trinit. & à Cyrillo Alex. aliisque Patribus relatis à Didaco Ruis disp. 48. sect. 4. Auctor verò Spiritus sancti vocatur ab Hilario lib. 2. de Trinit. longè à fine ubi sic ait: Spiritus sanctus de Patre & Filio auctoribus confitendus est. Citat etiam Ruis Athanasium in epist. quadam ad Serap. cuius hæc verba refert: Apostolus, que in eo operatur Spiritus, Filio au-

ctori eius attribuit: sicut Filius, que ipse facit opera suo auctori Deo Patri attribuit. Sed in nulla ex quatuor eius Epistolis ad Serapionem inscriptis, verba illa reperio. Vult tamen S. Thomas in 1. dist. 29. art. 1. solum Patrem dici debere auctorem Filij: quia nomen auctor significat principium sine principio. Et quidem magis speciali ratione dicitur auctor alicuius rei, qui illam ita ex se promit, ut ab alio nullo modo acceperit. Filius autem est principium Spiritus sancti per fecunditatem voluntatis à Patre acceptam. Quare speciali ratione Pater est auctor personarum productarum. Eademque de causa est etiam specialius auctor creaturarum, quam Filius & Spiritus sanctus, qui sunt earum principium & causa per intelligentiam, voluntatem, & omnipotentiam, à Patre acceptam. Quam ob rem etiam puto Patrem specialiter & appropriatiue vocari omnipotentem in Symbolo Apostolorum, & in Symbolo Nicæno, quia omnipotentia pertinet ad auctoritatem. Sicut Filio tribuitur appropriatiue sapientia, quia procedit per viam intelligentiae: & amor ac bonitas Spiritui sancto, quia procedit per viam voluntatis.

Pater specialius dicitur auctor Spiritus s. & creaturarum quam Filius.

DISPUTATIO  
VIGESIMA NONA

De persona Filij.

- Sectio I. An & quomodo Filius sit Verbum?
- Sectio II. An Verbum non modo dicitur notionaliter in diuinis: sed etiam essentialiter?
- Sectio III. An & quomodo Filius sit imago?



**D**E Persona Filij specialiter disputat S. Thomas quest. 34. & 35. In quarum priore docet 1. Nomen Verbi in diuinis sumi tantum personaliter, seu notionaliter, & nullo modo essentialiter: quia significat aliquid ab alio procedens. Sicut in humanis verbum mentis, vel oris, significat aliquid ab intellectu, vel ab ore procedens. 2. Verbum esse proprium nomen personae Filij: quia significat quandam emanationem intellectus: persona autem quae procedit in diuinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius. Itaque solus Filius proprie dicitur Verbum in diuinis. 3. In Verbo importari respectum ad creaturas: quia Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum autem conceptum est representatiuum omnis eius, quod actu intelligitur. Et sicut Dei scientia est tantum cognoscitiua ip-

sius Dei: creaturarum autem, cognoscitiua, & factiua; ita Verbum diuinum est expressiuum tantum eius quod est in Patre: creaturarum vero est expressiuum & operatiuum. Iuxta illud Psalm. 148. *Dixit, & facta sunt.* In posteriori docet nomen imaginis dici in diuinis personaliter. Quia ut aliquid sit imago, requiritur ut ex alio procedat simile illi in specie, vel in signo speciei: & nomina quae processionem, siue originem implicant in diuinis, sunt personalia. Cumque solus Filius procedat ut Verbum; Spiritus vero sanctus, ut amor: nomen imaginis proprium est Filio, non autem Spiritui sancto. Quia de ratione Verbi est similitudo speciei, ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris: quamuis hoc conueniat amori qui est Spiritus sanctus, in quantum est amor diuinus. Accipit enim in sua processione naturam Patris, sicut & Filius. Hæc D. Thomas quæ sequentibus sectionibus exponenda sunt.

## SECTIO I.

An & quomodo Filius sit Verbum?

I. PRæter ea quæ de Filio diximus in superioribus, duo de quibus speciatim disputat S. Thom. quæst. 34. & 35. explicanda supersunt: an & quomodo Filius sit Verbum, & imago?

Circa primum: Eandem personam, quæ est Filius, esse ac dici Verbum, patet ex Ioan. cap. 1. v. 1. & 14. *In principio erat Verbum &c. Et Verbum caro factum est.* & 1. Ioan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.* Et Apoc. 19. v. 13. *Vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Quæ loca expendimus, & adiectis sanctorum Patrum interpretatione illustrauimus disp. 24. sect. 2. num. 14. & sequentibus.

Verbum autem in diuinis dupliciter sumi potest. Primum, essentialiter & absolute, pro conceptu ipso formali, quo Deus constituitur formaliter in esse intelligentis. Et hoc sensu Verbum tribus personis commune est: A quo assumitur Hebræor. 3. v. 3. cum de Filio dicitur, *portansque omni verbo virtutis sue*, id est, phrasi Hebraica, verbo suo forti & efficaci. Quod malè quidam expliunt de effectu aliquo Verbi personaliter sumpti, id est, Filij. Nullus enim est Filij effectus, quo portet omnia: neque effectum portat ipso effectu: sed Filius, æquè ac Pater & Spiritus sanctus, virtute sua & perfectione essentiali, quæ est intelligentia perfectissima (æque tenens verbum) & voluntas, & omnipotentia, portat omnia, sicut & creat & conseruat & perficit, idemque velut tribus digitis dicitur orbem terrarum suspendere. Quod etiam pertinet

illud psal. 32. *Verbe Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis vigor eorum.* Nimirum quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. psal. 148.

Secundo sumitur notionaliter pro persona producta per viam intellectus, quæ ex vi suæ productionis primè & immediatè identificatur naturæ sub ratione intelligentiæ & verbi essentialis: ideoque vi suæ productionis primè & immediatè est intelligentia & notitia, seu verbum mentis. Quæ ratione Filius in diuinis est propriè & singulariter Verbum, quia prædicto modo procedit per viam intellectus. Ita ferè D. Thom. quæst. 34. art. 1. in corp. & ad 2. addit Filium idè dici posse sapientiam genitam, & notitiam eandem cum suo principio. Nam alioqui Filius, quæ Filius, & quæ distinctus & productus à Patre, non est sapientia vel notitia formalis, sumpta secundum se. Hæc enim non producitur, sed eadem numero communicatur.

Alio tamen modo procedit Verbum diuinum notionale à suo principio, quàm verbum nostrum, seu verbum mentis creatæ. Primum enim verbum nostrum procedit ab intellectu immediatè, tanquam actus quo formaliter constituitur intelligens. At Verbum diuinum notionale non est ab intellectu immediatè, sed à secunditate actus intelligendi essentialis. Neque constituit Deum formaliter intelligentem: Deus enim Pater ratione prius est per essentiam perfectè intelligens, quàm producat verbum notionale, illique intelligentiam essentialem communicet. Ita tamen procedit Filius per actum intelligentiæ, ut vi suæ productionis primè & per se formaliter sit Verbum, & expressio seu notitia mentalis: quia primè & per se, vi suæ processionis, natu-

Verbum dupliciter sumitur: essentialiter & notionaliter.

turam. Cipit sub ratione notitiae, eique primò vt tali identificatur. In quo differt hæc fecunditas intellectiōis diuinæ à fecunditate intellectiōis nostræ in ordine ad habitus intellectuales signèdos, qui non dicuntur verbū, sed habitus. Quia nullo modo procedunt vt verbum, neque vi suæ productionis constituntur vilo modo in esse verbi.

Secundò differunt Verbum diuinum & nostrum, quia nostrum non est intelligens, sed est id quo intelligimus formaliter. At verbum notionale non est id quo Pater intelligit formaliter, sed est aliquid intelligens aequè ac Pater. Tertiò, intelligere nostrum est dicere: sed intelligere Dei non est dicere propriè & formaliter. Siquidem in Filio est intelligere, & non dicere, vt docet S. Thom. q. cit. art. 2. ad 4. In Patre autem intelligere est per identitatem etiam dicere. Non quod dicere sit de ratione intelligentiæ, quæ perfectè communicatur sine dicere: sed quia in Patre est intelligentia fecunditas, quæ est Patris proprietates, cuius fecunditatis actio est dicere, indistincta in re à principio dicendi seu generandi. Hæc autem sunt intelligenda de dicere sumpto strictè & notionaliter, vt communiter sumitur à Theologis, & distinguitur ab intelligere, sicut spirare distinguitur à velle. Attamen sicut verbum quandoque sumitur essentialiter, & communiter Patri, Filio, & Spiritui sancto, vt antea notauimus: sic etiam dicere quandoque sumitur communiter, siue pro intelligentia ipsa, siue etiam pro imperio efficiaci voluntatis tribus personis diuinis cõmuni. Vt apud Anf. in Monolog. cap. 60. vbi sic ait: *Sicut singulus Pater, & singulus Filius, & singulus eorum Spiritus est sciens & intelligens, ita singulus quisque est dicens, nec tamen sunt tres dicentes simul, sed vnus dicens.* Sic etiam potest accipi quod idem ait cap. 34. *In summo spiritu idem esse dicere, quod intelligere ait. Certe. Similiter cum dicitur psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: & psal. 148. Ipse dixit & facta sunt: Ipse mandauit & creata sunt: id nõ tribuitur Patri soli, aut soli Filio, quasi Pater non per se, sed tantum per Filium creauerit: neque de dicere notionali sermo ibi est. Nam & Pater immediatè creauit: & si Pater creasset vt dicens verbum notionaliter: Filius non creasset, neque Spiritus sanctus, quibus non competit dicere notionaliter. Dicere ergo in Diuinis non semper significat producere verbum: sed etiam intelligere, & asserere, vel præcipere: sicut verbum quandoque sumitur pro notitia, affectione, imperio: tamen frequentius notionaliter accipi solet: vt notant D. Thom. in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. Capreol. ibidem q. 2. assert. 4. & alij. Quæ verò in contrarium obijciunt Suar. lib. 9. de Trinit. cap. 3. Vasq. disp. 141. Molin. ad quæst. 34. art. 5. Ruis disp. 57. sect. 2. Cuniga disp. 9. dub. 2. & alij contrarium sentientes, referantur & refutabuntur sectione sequenti.*

Dicere sumitur dupliciter in diuinis: pro generare, & pro intelligere aut velle efficiaciter.

Quari hoc loco solet, an Filius sit non modò verbum Patris, sed etiam creaturatum? Respondeo cum distinctione. Dupliciter enim Filius dici potest verò aliquid. Primò, productiue: Secundò, obiectiue aut representatiue. Priori modo, significando scilicet respectum productionis ad id cuius dicitur verbum, Filius non est verbum creaturatum, imò neque Spiritus sancti; sed Patris tantum à quo solo procedit. Posteriori verò modo, significando respectum representationis obiectiue verbi ad id cuius dicitur esse verbum; certum est Filium esse verbum non modò Patris, sed & Spiritus sancti, & sui ipsius, & totius Deitatis siue essentia, & omnium creaturarum vt possibile, atque vniuersim eorum omnium quorum Deus est essentialiter intelligentia & cognitio. Sicut enim Filius procedit à Patre per fecunditatem actus essentialis intelligentiæ ad adequatè sumptæ: ita vi suæ processions primò & per se identificatur eidem actui ad adequatè sumpto, & naturam diuinam primò accipit vt essentialiter representatiuam eorum omnium obiectorum quorum essentialiter representatiua est, atque ita vi suæ productionis procedit vt verbum eorum omnium representatiuum. Consentunt D. Thom. quæst. 34. art. 3. Thomistæ ibidem, & Suar. lib. 9. cap. 6. num. 21. & cap. 9. num. 12. Similiter autem Spiritus sanctus est amor notionalis, productiue quidem, Patris & Filij tantum, vt spiratoris; obiectiue autem, omnium obiectorum essentialiter volitorum, in quo obiecto comprehenduntur etiam creaturæ vt possibiles.

Filius est verbum creaturatum obiectiue tantum, nõ productiue siue modo Spiritus S. est amor notionalis illorum.

SECTIO II.

An Verbum non modò dicatur notionaliter, sed etiam essentialiter?

Contra id quod diximus Verbum in diuinis dici, & quidem propriè, non tantum notionaliter de secunda persona, sed etiam essentialiter de intellectu essentiali cõmuni tribus personis: sicut sapientia & amor dicuntur tum notionaliter de Filio, & de Spiritu sancto; tum essentialiter de sapientia, & de amore, quibus Deus formaliter est sapiens, & amans: Obijciunt primò Vasques disp. 141. cap. 3. & Ruis disp. 57. sect. 2. testimonia Scripturæ in quibus Filius vocatur verbum, Ioan. 1. & 1. Ioan. 5. & Apoc. 19. Sed illa nihil aliud probant nisi Filium propriè dici verbum notionaliter: quod non negamus: Dici verò etiam essentialiter ostendimus supra ex Hebr. 1. vbi de Filio sic dicitur: *Portans vniuersum verbo virtutis sue.* Quæ verba non debent in sensum improprium explicari, si possunt propriè accipi. Manifestèque tribuunt Filio verbum tanquam aliquid ipsius, quo potest omnia

Sententia negans.

Primum illius argumentum excipitur.

NO  
NO  
NO

& in hunc sensum intelliguntur à Theophylacto, Olymperio, Chartul. Cornel. & alijs huius loci interpretibus.

8. Secundum argum. Patribus.

Athanas.

Cyriil.

Damasc.

August.

Secundò, obijciunt testimonia Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum: quòrum plerima tantùm affirmant Filium esse propriè Verbum: quod nos quoque affirmamus, & pro certo habemus. Alia videntur negare esse aliud Verbum quàm Filium, adeoque non esse, nisi Verbum notionale: Cuius modi sunt hæc quatuor quæ sequuntur. Athanas. orat. 5. centi à Arian. longè post medium, Nisi sit Filius, Verbum non fuerit. Et si non sit Verbum, non etiam Filius fuerit. Cyriil. Alex. lib. 7. Theol. cap. 1. ferè in initio, Verbum Iohannes Filium appellat, ut hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filij maximè significativum elegisse videatur. Et cap. 2. prope med. addit: Verbum ergo Verbum est naturale, & in se intrinsecum, id est, Filius. Damascen. lib. 1. de fide cap. 6. & 13. & in epist. de Trifagio pag. 3. ait hæc nomina, Filius Dei, Verbum, Sapientia & virtus, ex Patre genitus, esse ostensura unius hypostasios, nempe Filij: & negat quatenus in alia hypostasi vel in communi Deitatis locum habere. Augustin. denique lib. 7. de Trinit. cap. 2. in initio, Pater igitur, inquit, & Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia. Sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur: ita & Verbum, ad eum cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Et quippe Filius, quo Verbum, & Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater & Filius simul non utique unus Filius: consequens est ut Pater & Filius simul non ambo unum Verbum. Et propterea non eo Verbum, quo Sapientia: quòd Verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiuè ad eum cuius est Verbum: sicut Filius ad Patrem. Sapientia verò, eo quo essentia. Et idè quia una essentia; una sapientia. Quoniam verò & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum, quo Sapientia; Verbum enim relatiuè, sapientia verò essentialitèr intelligitur: id è, accipiamus, cum dicitur Verbum, ac dicitur, Nata sapientia, ut sit Filius & imago. Huc & que S. Augustin.

Explicatur Patres qui videntur negare Verbum dici essentialitèr.

Diony.

Respondeo primò, Athanasium loqui verbis relatis de verbo sumpto notionaliter, quod Verbum non esset, nisi Filius esset: neque enim Filius esset, nisi tale Verbum esset. Quamquam etiam nisi Filius esset, non esset Verbum essentialitèr: ac vice versa. Quia Deus non esset, nisi trinus esset. Cyriillus quoque loquitur ibi de verbo notionaliter sumpto; quod maximè propriè significat esse Filij, estque unicum in Trinitate. Damascen. etiam simili modo intelligendus est. Ad id quod attinet ad nomen sapientia contradicere D. Augustino proxime citato, attendenti sapientiam dici essentialitèr, & Filium esse sapientiam eo quo essentia. Eadem verò Augustino, si non commode potest, ut præcedentes, de verbo notionali explicari, oppono primò S. Dio-

nysium cap. 1. de diuin. nom. post mod. ubi inter plurima nomina De. essentialia, vt Mentem, Vitam, Sapientiam, ponit etiam Verbum. Neque satisfacit quòd respondet Ruis disp. 57. sect. 5. num. 10. Dionysium ibi solum enumerare nomina Dei, siue essentialia, siue personalia, non distinguendo essentialia à personalibus. Nam Dionysius ibi manifestè loquitur de ipsa Deitate, & de quæ nomibus Deitatis, & Dei quatenus vnus est. Sic enim ait: *Ut autem multis nominibus appellatam (Deitatem) laudant, velut cum rursus ipsam induit dicentem ego sum qui est, vita, Lux, Deus, veritas. Et cum idem Theologi omnium causam & auctoritatem (Deum scilicet quò vnus est, sic enim est omnium causa) multis nominibus ex effectis omnibus laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut diligendum, ut Deum Deorum, ut Dominum Dominorum, ut Sanctum Sanctorum, ut æternum, ut eum qui est, ut seculorum auctorem, ut vitam, ut sapientem, ut mentem, ut verbum, ut cognitorem &c.* Nec vllum ibi aliud nomen enumerat, quòd Deo, quò vnus est, conuenire non possit: etiam nomen iustificationis & redemptionis. Nam ipse effectiue nos iustificat, & redempti à peccato per Christum.

Oppono secundò Irenæum lib. 2. c. 48. ubi sic ait: *Deus totus existens mens, & totus existens dicitur, id est, Verbum.* Et rursò post: *Mens, & omnia concludens mens ipse Pater.* Quibus postremis verbis non potest applicari id quòd respondet Ruis supra, num. 14. Irenæum tantùm velle Verbum, id est, Filium, non esse partem Dei, sed esse totum Deum integrum. Oppono terciò Ambrosium lib. de Fide contra Arian. cap. 5. ferè in initio, ubi sic habet: *Sive lumen de lumine dicas, siue Verbum de Verbo, siue spiritum de spiritu, siue Dominum de Domino, quòcumque de eo dixeris, vnus tamen essentia Patrem & Filium credas.* Malè verò respondet Ruis supra num. 11. id quidem permissu S. Ambrosij dici posse, sed valde improprie contra modum loquendi Scripturæ & Patrum. Nam de Scriptura ostendimus oppositum num. 2. De Patribus verò liquet ex testimonijs iam allatis pluresita sentire, & vix vllum contradicere. Denique quantum est ex vi vocis, Verbum sumi posse essentialitèr sentiunt nobiscum D. Thom. in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. in corp. Et q. 4. de veritate art. 2. in corp. Capreol. dist. cit. quest. 2. art. 1. conclus. 4. Chartul. ibidem q. 3. circa med. addens, quæstionem esse de nomine circa quam non sic vtilè cauillari: Ferrar. 4. contra Gentes cap. 13. §. Considerandum secundò, Valent. lib. 1. de Trin. cap. 3. in fine: & multò magis Durand. in 1. dist. 7. q. 2. n. 18. & dist. 27. q. 3. num. 6. & 10. Quamquam in eo fallitur quòd putat Verbum propriè sumptum non dici nisi de verbo essentiali: & accommodatiuè tantùm seu appropriatiuè, de Verbo personali, quòd (iuxta falsam illius imaginationem) non dicitur

Verbum, quia procedit per viam intellectus; hoc enim ipse improbat: sed alia de causa, quam suo loco resitauimus.

10. Soluuntur rationes contrariae

Objicit tertio Vassq. disp. 141. cap. 3. n. 14. Verbum namque sua denotare realem emanationem ab aliquo, cuius est verbum iuxta Basil. homil. 16. in illa verba, *In principio erat Verbum*, Athanas. in epist. de sententia Dionysij contra Arianos, prope finem, & Anselm. in Monolog. cap. 31. & sequentibus. Ergo non potest dici essentialiter: quia nihil essentialiter existit in Deo per realem emanationem. Addit Cuniga disp. 9. dub. 2. num. 3. Verbum esse, quo quis loquitur alicui. Loqui autem alicui, est illum reddere cognoscentem verbo. Ad hoc autem necesse est vt producat verbum. Sicut vt aliquem reddat album albedine, necesse est producat albedinem: alioqui non diceretur reddere cognoscentem verbo a se improducto: sicut neque album, albedine a se improducta. Solus ergo Pater reddit alium cognoscentem, videlicet filium, in intellectu, non quidem vt improducta, essentialiter & comuni omnium personarum: sed vt filio communicata, & notionali, ac propria filij: quo pacto est verbum productum.

Ad primum Respondeo non esse de ratione verbi intellectualis seu mentalis, generaliter sumpti, vt realiter, producat, sed sufficere, quod sit vitalis & actualis expressio obiecti: siue realiter emanet ab intellectu, siue tantum metaphysice & virtualiter, per aequivalentiam ad intellectum creatum, & actum ab ipso realiter productum. Basil. autem loco citato in obiectione loquitur de Verbo personali comparato cum nostro, quod fatemur realiter emanare ab intellectu: & cum eius emanatione comparat productionem verbi diuini notionaliter sumpti. Sic enim habet: *Cur Verbum? Filius sumptus, vt quod ex mente procedit, ostendatur. Et paulo post: Cor nostrum veluti fons est quidam. Verbum vero emissum, veluti rivus ex fonte profluens.* Eodemque modo Athanas. loco citato comparat Verbum personale, id est, Filium, cum verbo & sermone humano. Sic enim ait: *Verbum promanationem mentis nominari conuenit. Idemque, vt quasi de homine loquamur, ex corde per os effunditur. Diuersaque iam inde mens ea est, que ita per linguam proficit, ab ea ratione siue verbo quod in corde est.* Idem denique est sensus Anselmi cap. illo 31. & sequentibus.

Ad secundum Respondeo primo, maiorem propositionem non esse veram vniuersaliter, eo sensu quem intendit Adversarius: quia non est de ratione verbi vt quis per illud actu loquatur alteri, quam sibi metipsum: sed ad summum sufficit quod per illud alijs etiam loqui possit si velit. Deus autem verbo suo essentialiter sibi metipsum loquitur, & per illud potest loqui creaturis intellectualibus. Quin etiam per illud loquitur actu Filio & Spiritui sancto, quando illis com-

municat essentiam prout est verbum & expressio rerum omnium, reddique ipsos formaliter cognoscentes verbo eodem essentiali, quo ipse est formaliter intelligens. Secundo ad maiorem Respondeo negatiue. Loquitur enim alteri, qui verbum suum mentale illi manifestat: siue realiter, verbum illud producat, siue non. Et quidem realis productio verbi: si non sit aliunde necessaria, est plane impertinens ad manifestationem & communicationem conceptum. Ad confirmationem Minoris dico, vt quis aliquem reddat album albedine, sufficere albedinem illi applicare. Neque enim minus reddit album, modo applicetur & inhaereat, siue producat, siue non. Sic albedo Eucharistica quae dealbaret subiectum in quod tantummodo transferretur, ac si re ipsa produceretur. Suppono autem, quod alibi probabo, non modo in anima rationali, sed & in formis materialibus, alia actione illas fieri, etiam tunc cum sunt ex subiecto, & alia vniri: posseque absolute fieri, & non vniri. Ac vice versa posse vniri, & non simul fieri. Quicquid vero sentendum sit de formis accidentalibus, de quibus multi negant id quod supponimus; certum est animam rationalem non minus reddere corpus animatum, quando illi tantum vnitur, vt fit in resurrectione. Atque tunc quando simul producit & infunditur, vt fit in naturali generatione hominis.

Vide tom. 2. disp. 54. sect. 1.

SECTIO III.

An, & quomodo Filius sit imago?

Nota primo, ex D. Thom. q. 35. art. 1. imaginem esse similitudinem alicuius ab ipso procedente, in aliquo modo. Ita vt ad rationem imaginis duo requirantur. Primo, similitudo, quae, (inquit D. Thom.) vel est in specie, id est, in natura specificata; vel in signo speciei, id est, in aliquo specialiter representatiuo natura specificata: sicut se habet imago picta respectu prototypi. Secundo, requiritur processio imaginis a eo cuius dicitur imago. Cuius processionis defectu Pater non est imago Filij, sed contra Filius est imago Patris. Neque pictura est imago obiecti quo velut exemplari non est vsus pictor, licet alioqui pictura sit illi obiecto similis. Ac denique inter homines, licet duo sint inter se simillimi, si tamen vnus ab altero non procedit, non dicitur illius imago. Duo ergo ista ad imaginem necessaria sunt, similitudo & processio.

13. Imago quid sit, & quae ad illam requirantur.

Nota secundo, ad rationem imaginis non esse necessarium vt processio sit per physicam effectiorem, siue vt alii, quod dicitur imago, procedat effectiue ab eo, cuius dicitur imago. Nam imagines artificiales non procedunt effectiue ex eo cuius sunt

14. Quae processio requiratur ad rationem imaginis.

imagines, sed tanquam ex prototypo. Neque conceptus postri, qui tamen dicuntur obiectorum imagines intentionales, & expressiones vitales, sunt ab ipsis effectivè; sed ut aliter concurrentibus, & determinantibus per se, vel per speciem sui, ad productionem cognitionis nostræ. Omnino tamen ad rationem imaginis aliqua realis processio, siue effectiva, siue alia, necessaria est.

Similitudo est præcipuum in imagine.

Imago triplex: naturalis, artificialis, & intentionalis.

15. Identitas in essentia non obest rationi imaginis.

Cum autem duo sint de ratione imaginis, processio & representatio; præcipuum à quo denominatur imago, est illa representatio. Quatenus scilicet id quod ab alio productum est, valet ad illud representandum & exprimendum per similitudinem aliquam. Dividitur autem imago generaliter sumpta in naturalem, artificialem, & intentionalem. Naturalem, ut Filij ad Patrem; artificialem, ut domus ad exemplar intentionalem, ut cognitionis vel speciei ad obiectum à quo aliquo modo concurrente producitur.

16. Nota tertio, contra Durand. in 1. dist. 28. rationi imaginis non obesse, si aliquid secundum essentiam sit idem cum eo, cuius dicitur imago: sed sufficere si sit aliquid distinctum, procedens ab eo simile in natura, aut in figura naturæ: sicut homo est similis homini in natura; & imago picta est similis prototypo in figura externa, quæ est signum naturæ. Identitas enim essentia non minus valet, quam pura similitudo sine identitate, ad hoc ut Pater & Filius divinus realiter distincti dicantur similes, licet essentiam eandem habeant; utque propter illam similitudinem, cum processione & distinctione unus ab alio, Filius dicatur esse imago Patris. Qua de re plura inferimus num. 18.

16. Filius Deus est imago Patris naturalis, & intentionalis.

17. His prænotatis, Dico primo Filium seu Verbum divinum duobus modis esse Patris imaginem. Primo, naturalem, quatenus ab ipso procedit realiter in similitudinem naturæ divinæ. Secundo, intentionaliter quatenus vi sue productionis procedit à patre ut Verbum & notitia, sicque procedit ut exprimens intentionaliter Patrem. Atque ita imago est, non tantum quatenus est eisdem substantiæ cum illo, sed etiam quatenus est notitia, producta eiusdem Patris. Et hic secundus modus imaginis in divinis est Verbi singulariter proprius: non autem primus. Nam ratione naturalis similitudinis, & substantialitatis cum processione & distinctione personarum, Spiritus sanctus est vera imago naturalis Patris, & Filij, ut disputatione sequenti sect. 6. ostendetur.

imaginem Deitatis, aut creaturam, aut sui ipsius, vel etiam Spiritus sancti de actu realis productionis & emanationis ab ipsis. Neque enim Filius produci à Deitate, ut pote indistincta, quæ nec generat, nec generatur, ut ait Lactantius cap. Damnamus: neque etiam ab alijs enumeratis, quæ licet sint obiecta cognitionis, cuius fecunditate producitur Filius, ita ut Filius ex eorum omnium notitia producat: non tamen ita ut illa obiecta realiter ullo modo concurrant, siue activè siue aliter, ad productionem talis notitiæ: quippe realiter improdicta, & carentis principio, intrinseco & extrinseco. In quo differt cognitio divina à nostra, quæ obiecto realiter aliquo modo concurrente producitur, ideoque obiecti imago dici potest: secus autem divina, de qua etiam non est intelligendum illud axiomatum sumptum ex D. August. 9. de Trinit. cap. ultimo. Ex obiecto & potentia paritur notitia.

Dices in Scripturis Filium appellari imaginem Dei invisibilem 1. Tim. 2. & figuram substantiæ Patris Hebr. 1. Ergo est imago etiam Dei ipsius in quantum Deus est, & substantia siue essentia divinæ.

Respondet prior loco per Deum intelligi specialiter Patrem. In posteriori, per figuram, Græce χαρακτις, significari quoddam Patrem Filium generantem, suam substantiam ipsi quasi impresserit, unde ipse sit expressa & quasi sculpta imago, sigillum, & similitudo, ex qua exemplar, id est, Deum Patrem, agnoscamus & intueamur: sicut ex imagine in cera expressa, agnoscamus sigillum à quo impressa fuit. Addo, substantiam seu essentiam divinam esse in Patre formalè rationem terminandi relationem imaginis: quamvis Paternitas sit etiam ratio necessaria, ut Pater possit esse terminus illius relationis, ratione distinctionis & productionis realis, iuxta ea quæ de ratione imaginis supra notata sunt. Neque obest quod essentia sit eadem numero in Patre & Filio, quasi idcirco similes dici non possint. Nam ad similitudinem duo tantum requiruntur: nempe distinctio realis duorum, & convenientia eorundem in aliqua forma aut quasi forma, siue eadem numero, siue diversa. Neque enim duo parietes albi minus similes essent, si albedo eadem numero in illis esset; ac si diversa. Quia non minus convenienter in albedine: & esse similes in albedine, non est habere albedinem similem, sed est utrumque habere albedinem, & in eo convenire quod sint albi, siue per eandem albedinem, siue per numero diversas.

# DISPUTATIO TRIGESIMA;

## De Persona Spiritus sancti.

- Sectio I. *An Spiritus sanctus producat à Patre & Filio?*  
 Sectio II. *An Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio; si non procederet ab illo?*  
 Sectio III. *An Spiritus sanctus procedat immediatè à Patre & Filio?*  
 Sectio IV. *Vtrum Spiritus sanctus per se requirat ex vi sua processus formaliter duas personas spirantes.*  
 Sectio V. *Soluntur argumenta contraria optimè.*  
 Sectio VI. *De nominibus Spiritus sancti.*

**D**E Persona Spiritus sancti peculiariter disputat sanctus Thomas quest. 36. & duabus sequentibus. In quarum prima docet 1. nomen Spiritus sancti esse proprium personæ diuinæ procedentis per modum amoris: non ex vi vocis, sed ex accommodatione & vsu Scripturæ, cuius duplicem rationem congruentem assignat, quam nos inferius sectione 6. referemus, & explicabimus. 2. Spiritum sanctum procedere non solum à Patre, verum etiam à Filio: idque necessarium esse ut ab illo distinguatur realiter. Quia personæ diuinæ non possunt distingui ab inuicem nisi per relationem originis vnus ab alia, & oppositionem relatiuam inter se. 3. Dici posse Patrem per Filium spirare Spiritum sanctum: vel, quod idem est, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium; quia Filius habet à Patre quod ab eo procedat Spiritus sanctus: accipit enim ab eo virtutem spirandi. 4. Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus sancti: quia sunt vnum in omnibus, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Vnde cum in eo quod est esse principium Spiritus sancti non opponantur relatiuè inter se, sequitur, Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus sancti. In secunda affirmat nomen amoris personaliter acceptum esse proprium Spiritus sancti: quatenus scilicet illo vtitur accommodatitè ad exprimendam habitudinem eius personæ, quæ procedit per modum amoris, ad suum principium. Et Patrem, ac Filium, se quidem diligere Spiritu sancto, si diligere sumatur notionaliter, prout idem significat, ac spirare amorem procedentem. Secus autem si sumatur essentialiter; prout est idem ac amare. Non enim se amant formaliter Spiritu sancto, sed sua essentia quæ est illis actus amandi, æquè ac intelligendi. In tertia docet nomen Doni esse personale in



diuinis, & proprium Spiritui sancto. Personale quidem, propterea quod nomine Domini importatur aptitudo ut donetur. Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, & ad id a quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo nisi esset eius, & ad hoc alicui datur, ut eius sit. Personam autem diuinam dicitur esse alicuius, vel secundum originem, sicut Filius est Patris: vel in quantum ab alio habetur: nempe a rationali creatura, quæ potest illa fieri, & vti eius effectu. Quare nomen Domini in diuinis significat personam procedentem ab alia, a qua potest donari creatura rationali. Est verò idem nomen proprium Spiritui sancto: quia importat gratuitam donationem. Ratio autem gratiæ donationis est amor. Ideo enim damus gratis aliquid alteri, quia volumus ei bonum. Primum ergo quod damus ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est amorem habere rationem primi doni, per quod omnia gratuita donantur. Cum ergo Spiritus sanctus procedat, ut amor, procedit in ratione primi doni. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus explicanda sunt.

SECTIO I.

An Spiritus sanctus producat a Patre & Filio?

**S**PIRITUM Sanctum à Patre procedere testatur expressè Scriptura Ioan. 15. ver. 26. *Cum autem venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis spiritum veritatis qui à Patre procedit.* Idque apud omnes tam Græcos quam Latinos indubitatum est. De filio autem, de quo Græci Iuniores negant, idem ibidem insinuat, cum ait Christus, Paracletum illum spiritum veritatis missum iri à se. Etenim una persona in diuinis non mittitur ab alia, nisi procedat ab illa, ut patet per disput. sequenti sect. 5. Ergo cum Christus significat Spiritum sanctum à se mitti, significat etiam à se produci. Idem ex eo Ioan. loco, & similibus colligunt sancti Patres, Athan. in epist. ad Serapionem Episcoporum Truies. post medium. & epist. 1. ad Serapionem Episcop. initio, Nazianzenus Orat. 37. post med. August. lib. 4. de Trin. cap. 20. Gregor. Homil. 26. in Euangelia, & Cyril. lib. 20. in Ioan. cap. 33. initio, & cap. ult. in fine & epist. 10. paulo ante Anathematos, ubi etiam notat eandem ob causam Spiritum sanctum vocari à Christo spiritum veritatis. Est enim inquit, Spiritus veritatis nominatus: & Christus ipse veritas est. *Emititur ab eo quemadmodum & ex Deo Patre.* Eandem missionem Christus reipia confirmavit, & processionem Spiritus sancti à se ipso insinuavit, Ioan. 20. quando insufflauit in Apostolos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum,* &c. Ad significandum, quod sicut

Probat ex Scriptura Spiritum sanctum procedere à Filio.

halitus ab ore hominis insufflantis procedit sic Spiritum sanctum quem illis dabat, à se procedere. Deinde Ioan. 16. Christus de Spiritu sancto sic ait: *Ille me clarificabit, quia de me accipiet: formaliter scilicet ut meo, & à me ipso, ut exponunt sancti Patres, Athanas. in epist. ad Serapionem. Nazanz. orat. 49. in fine, Epiphanius in Anchor. col. 7. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto post med. Cyril. Hierosol. Catecheli 16. post med. Cyril. Alexandr. lib. 13. Theol. cap. 3. initio, Synodus Alexandr. in epistola ad Nestorium, quæ extat in Concilio Epheso longe post initium, Hilar. lib. 8. de Trinit. post med. Ambr. lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 6. fere initio, August. tract. 99. & 100. in Ioan. Leo serm. 1. de Pentecoste cap. 3. & Anselm. lib. de processione Spiritus sancti cap. 8. & 11. Eademque de causa Spiritus sanctus in Scriptura vocatur sapius Spiritus Christi, & spiritus Filij: ut ad Gal. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra* Vbi sermo est de Spiritu sancto, cuius templa sunt cor. or. honorum, ut dixit Paulus alibi. Et ad Rom. 8. *Vos in carne non estis, sed in spiritu. Si tamen spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem non habet spiritum Christi, hic non est eius.* Et Acto. 16. *Transientes Phrygiam, & Galatia regionem, verati sunt à Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia. Cuius venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus IESU.* Ex quo loquendi modo Spiritum sanctum à Filio procedere inferunt Cyril. Alexand. dial. de Trinit. lib. 3. post med. & August. tract. 90. in Ioan. Secundo, idem expressè docent Concilia generalia, Nicænum secundum A. C. 7. in 2. ex cath. Definitione seu confessione fidei, Lateran. cill. sub Innocentio III. cap. Firmiter, initio.*

Lugdunense cap. vnico de summa Trinit. Florent. in litteris vnionis, & in Decreto Eugenij, initio. Quibus adde Synodum Alexand. in epist. ad Nestorium, approbata à concilio Ephesino longe post initium: Toletana primam, quartam, sextam, octauam & vnde simum, in professione fidei: Heistellane apud Bedam lib. 4. historia Anglicana cap. 17. Aquisgranense sub Carolo Magno, cuius mentionem facit Aimoinus lib. 4. de gestis Francor. cap. 95. & Vormatiens. in professione fidei.

Idem tertio expressè affirmant sancti Patres Hilar. lib. 2. de Trinit. August. lib. 5. de Trinit. cap. 11. Anselmus lib. de process. Spiritus sancti cap. 8. & sequentibus, & alij Patres Latini vnanimi consensu. Ex Græcis vero Didymus, Athanasius, Cyrillus vterque, Epiphanius, Chrysost. Nazianz. & alij, locis partim supra citatis, partim inferius referendis.

Accedit quarto ratio logica, quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo, atque ita in diuinis duæ tantum essent personæ, vt probabitur sectione sequenti. Item sicut filius à Patre procedit per secunditatem actus essentialis intelligendi: ita Spiritus sanctus, per secunditatem actus volendi. Ratio autem intelligentiæ prior est, quàm ratio amoris & affectus: quia nihil potest esse volitum, nisi sit cognitum; & cognitio ratione prior est, quia se habet vt conditio necessaria ex parte obiecti, vt terminare possit actum voluntatis. Vnde similiter secunditas, & processio ac communicatio secundum intelligentiam, est ratio prior, quàm secunditas, & processio ac communicatio secundum voluntatem. Et terminus procedens secundum intelligentiam, quemadmodum accipit essentiam diuinam & perfectionem omnem non repugnantem: sic accipit voluntatis secunditatem, quæ vnica est. Quare per eandem constituitur cum genitore vnus principium ad spirandum: sicut per eandem essentiam Pater, Filius, & Spiritus sanctus, constituntur vnus Deus: & per eandem omnipotentiam vnus omnipotens. Hæc rationi consonat illud Christi Ioan. 16. Ille ( Spiritus sanctus ) me clarificabit, qui a deo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt ( formaliter mihi communicata, excepta scilicet proprietate patris ) propterea dixi quia de deo accipiet, & annuntiabit vobis.

Obiiciunt primo Græci Schismatici Scripturam non asserere Spiritum sanctum procedere à Filio, sed à Patre. Atqui de eius processione nihil aliud affirmandum est, quàm quod ipsa reuelauit: iuxta illud Cyrilli Hierosol. Catechesi 16. Dicamus de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt. Si quid autem scriptum non est, curiose non scrutamur.

Respondeo, Scripturam locis ante commemoratis Ioan. 14. 16. & 20. Roman. 8. Gal. 4. & Actor. 16. satis aperte significare

Spiritum sanctum procedere à Filio. Eademque loca sic interpretantur Patres Græci & Latini communiter, quorum plurima testimonia videri possunt apud Suar. lib. 10. cap. 1. num. 5. 6. & 7. & apud Didacum Ruis disp. 67. sect. 3. 6. 7. & 8. & nos sepe rursus non pauca indicauimus.

Obiiciunt secundò in Concilio Constantinop. 1. de Spiritu sancto asseri, quòd à Patre procedat. De Filio autem nullam ibi mentionem fuisse factam. Nimirum quia non procedit à Filio. Atque Concilium male id reuocasset. Debebat enim principium totale & adequatum Spiritus sancti assignare. Quòd verò est in simbolo Nicæno, vt cantatur à Latina Ecclesia. Qui ex Patre Filioque procedit, aiunt non esse definitum à Concilio Nicæno primo, cuius illud symbolum: sed perperam additum à Latinis, contra mentem Concilij, & expressam prohibitionem Concilij Chalcedonenfis actione 5. in secunda fidei definitione, & Ephesini in expositione symboli Nicæni. Et in epist. Cyrilli ad Ioannem Antiochen. Nam anathemate teriunt eos, qui aut fuerint aut iam fidem componere à fide Nicæni Concilij.

Respondeo, in Concilio Constantinop. 1. de Spiritu sancto asseri, quòd à Patre procedat: an verò etiam à Filio, neque ibi asseritur, neque negatur. Neque etiam ibi declarari hoc debuit: quia tunc non erat questio, quòdnam esset principium adequatum & totale Spiritus sancti: & ad refutandas hæretes tunc exortas sufficiebat id quòd à Concilio expressum fuit. In Concilio verò Nicæno 1. quòd fuit antiquius Constantinopolitano 1. nihil aliud positum fuit in simbolo, nisi illud solum: Credo in Spiritum sanctum, quicquid dicat Loayza in Scholis ad Concilium III. Toletan. Deinde à Constantinop. 1. additum fuit, Ex patre procedentem. Postremo ab alijs addita fuit particula, Filioque. Quæ quando, & à quibus addita primum fuerit, incertum est. Quòd enim dicunt aliqui, fuisse primum additam in concilio Romano sub Damaso incertum est. Nam in Concilio illo prout nunc extat tom. 1. Concil. nihil tale habetur, neque id aliqui probant ex Historia Tripartita lib. 9. cap. 14. Nam in capite illius neque sit mentio illius additionis, neque Concilij Romani sub Damaso. Constat tamen additio nem illam antiquissimam esse. Nam habetur in Concilio Toletano VIII. quòd fuit celebratum circè annum Christi 653. Eademque affirmatur, antequam consuetudinem fuisse in Hispania vt in Ecclesijs sic publicè decantaretur. Habetur quoque in Nicæno secundo, quæ fuit septima Synodus Generalis, actione 7. in definitione, & processione fidei.

Perperam autem conueniunt Græci Schismatici de additione illa. Nam si Ecclesiæ licuit in Concilio Constantinopolitano primo addere symbolo Nicæni primi par-

Prof. 3. ex Patribus.

Probatur ratione.

5. Dilatur prima obiectio Græcorum.

Secunda obiectio.

Cyrill. Epist. 28.

Quando nam additum in simbolo. Quæ à Patre & Filio procedit.

NO  
SAL

ticulam. Ex Patre procedentem, neque hoc ipsi reprehendunt: quidni postea licuerit eidem Ecclesie addere, *Filioque*? Quod autem Concilia Chalcedon. & Ephesin. anathematizant eos qui ausi fuerint aliam fidem componere a fide concilij Niceni primi: intelligendum est de alia, id est, de contraria, vel diuersa & repugnante: non autem de alia quomodocunque, etiam per maiorem explanationem. Primo, quia alioquin Concil. Constantin. primu hoc anathema incurrisset: quippe quod aliquis Niceno primo, addidit. Secundo, quia Concilia priora non possunt eam legem ponere posterioribus, aut Summis Pontificibus, & Ecclesie vniuersae, ut occurrente necessitate non possint addere, & exponere, quae in prioribus fuerunt omnia, aut minus explicata. Sicut ergo Patres Constantinopolitani primi addiderant aliquid symbolo Niceno ad refutandum errorem Macedonianorum tunc exortum, ut ait Basil. epist. 60. Sic quia omisio illius particulae, *Filioque*, incipiebat esse Graecis occasio erroris, recte addita fuit a concilio Toletano octauo, Niceno secundo, Lateran. Florentino & aliis Generalibus. Siue additio facta fuerit primu a Toletano, vel a Romano sub Damaso, siue non: de quo parum refert, cum constet a multis Synodis Generalibus additionem illam approbatam fuisse.

Obiiciunt tertio Graecos Patres antiquos. Sed illis falso iuniores Graeci Schismatici sententiam suam opponunt. Nam Athanas in symbolo diserte asserit Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio: de cuius symboli auctoritate vide Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 25. & Genebrard. lib. 3. de Trinit. Idemque asserit epist. 1. & 2. ad Serapion. Episcopum. Idem etiam Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, qui liber extat inter opera D. Hieronymi, a quo latine redditus fuit. Itemque Basilus lib. 3. contra Eunom: post id post initium, ubi ait Spiritum sanctum esse dignitate secundum a Filio, cum ab ipso sit. *Nam quemadmodum, inquit, Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est: & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipsi est &c. Natura vero nullo modo secundus, quoniam in utroque una est deitas: ita videlicet Spiritus sanctus, est dignitate & ordine secundus a Filio est, non tamen vel similiter altera ipsum esse natura inde consequetur.* Et lib. 5. contra eundem Eunom. Spiritum sanctum vocat imaginem Filij. Quod etiam facit Gregor. Nyssen. in vita Gregorij Thaumaturgi. Imago autem processionem in portat ab eo cuius est imago, ut dicitur superiori ostendimus. Idem denique Chrysostomus tom. 5. veteris editionis hom. 1. & 2. de symbolo, Epiphan. haeresi. 69. & in Anchorato. Cyrill. Alexand. epist. 108. & alibi passim. Saepius enim hanc veritatem inculcat & confirmat contra Theodoretum, qui primus ex antiquis oppositum dicere ausus est, quem diu post secuti sunt Theo-

phylact. & Euthymius. *Paucere etiam illis videtur D. Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. in fine cum ait, Ex Filio Spiritum sanctum non dicimus.*

Sed quod attinet ad Theodoretum, ille aperte fuit Nestorianis, qui hunc errorem inter alios secuti sunt, ut habetur ex Concilio Ephesino & ex V. Synodo. collat. 5. in fine, & ex VI. Synodo. act. XI. in Epistola Sophronij, & ex confessione fidei Iustiniani Imperatoris, quae habetur tom. 2. Concilio. rum veteris editionis pag. 394. Male autem hunc suum errorem sic confirmat Theodoretus, cum in contradictione anathematis in 9. Cyrilli, sic ait: *Si Spiritum sanctum ex Filio aut per Filium suam essentiam habere dicas, ut blasphemari hanc & tanquam impiam aspernabimur. Credimus enim Filio dicenti Spiritus qui de Patre egreditur.* Quae argumentatio negatiua, est vitiosa. Nam vnum dicere, non est negare aliud non repugnans neque impossibile. Ad si Filio credit Theodoretus, ille satis significat Spiritum sanctum procedere a se. *Mar. 14.* & aliis locis supra citatis. Theophylacti vero & Euthymij, multo posteriorum auctoritas minoris est momenti, nec villo modo conferenda cum Graecis antiquioribus supra citatis, & cum Latinis omnibus: quorum sententiam & consensum non aspernarentur Graeci Iuniores, si starent maiorem suorum arbitrio, quos in Concilio Chalcedonensi, & in V. & VII. Synodo generali, magna cum veneratione Latinorum Patrum sententias recepisse constat ex eorumdem Conciliorum Actis.

An vero isti, & si qui alij, contrarium senserunt ante exortum apertum schisma tempore Leonis noni Summi Pontificis, quo tempore Graeca Ecclesia a Latina discessit propter articulum istum & aliorum alios, Romanique Pontificis obedientiae se subdixit, sensendi sint haeretici, parum referat. Excusant Suares lib. 10. cap. 1. & alij plerique. Damascenus vero a D. Thoma q. 10. de potentia art. 4. ad ult. reuocatur ut improprie vel falso locutus: sed a quibusdam aliis excusatur, quasi non in re ipsa, sed in modo loquendi disenserit: atque id solum significare voluerit, Spiritum sanctum non esse ex filio ut ex patre, sed potius ex patre per filium. Quia non est ex filio tanquam ex primo fonte, sed ut habente virtutem spirandi a patre. Vnde sicut simili de causa dicitur Pater omnia creasse per Filium Ioan. 1. & ad Hebr. 1. sic &c. Ideoque Graeci frequentius dicunt Spiritum sanctum esse a Patre per filium, quam esse a patre & filio: quia per particulam, a, vel ex, absolute prolatam, primum fontem in diuinis significare solent: ut notauit Bessarion in libro pro vnione, qui extat in Actis Concilij Florentini post Decreta Concilij, cap. 4. & sequentibus, ubi etiam modus ille loquendi a Concilio approbatus fuit in literis vnionis quae habentur Iess. ult.

MARTINUS  
NICENSIS  
D. N. R. M.

Athanas.  
Bellarmus.  
Genebrard.

Gregor.  
Chrysostomus.  
Epiphan.  
Cyrill.  
paulo ante  
Anathematis.

Theodoret

SECTIO II.

An Spiritus Sanctus distinguatur realiter à Filio, si non procederet ab illo?

12. **R**espondeo negativè cum D. Thom. q. 36. art. 2. S. Bonau. in 1. dist. ij. art. 1. q. 1. Durando in eodem q. 2. & pluribus aliis veterù scholast. quos sequuntur communiter recentiores, Caietan. Torres, Molina, Bannes, Cumei, & alij interpretes D. Thomæ ad q. 36. art. 2. Vasq. disp. 147. cap. 4. Suarez lib. 1. o. cap. 2. Ruis disp. 68. sect. 2. Cuniga disp. 11. dub. 2. membr. 1. num. 2.

Conclusio negatiua probatur.

Ratio præcipua est, quia non esset sufficiens fundamentum distinctionis realis inter Filium & Spiritum sanctum, posita summa communicabilitate & identificabilitate que est in diuinis, & sublatâ processione inter Filium & Spiritum sanctum. Nam sicut pater non est duo realiter, & eo quoddam sit genitor & spirator: sic terminus illi respondens non esset duo realiter, ex eo quoddam esset genitus & spiratus. Neque enim tunc maior distinctio inter terminos, quam inter principia intelligi deberet. Quare si per impossibile Spiritus sanctus non procederet à filio, sed à patre solo, sicut Filius: non tantum non foret Spiritus qui nunc est: sed neque foret hoc ipso vllum fundamentum distinctionis realis inter Filium & Spiritum sanctum. Semora enim distinctione Filij à Spiritu sancto vt fundata in origine vnus ab alio: non foret maior ratio ex natura rei distinctionis realis inter duas origines passiuas, vnâ intellectiõis, alteram volitionis: quam inter duas actiuas similes, in Patre existentes. Ergo sicut actiuæ in principio sunt idem realiter: quia scilicet inter eas non est origo: sic passiuæ in termino essent idem realiter, si inter illas non esset ordo originis. Certè non esset fundamentum, quidni tam essent realiter idem productiones passiuæ Verbi, & Spiritus sancti: quam actiuæ eorundem. Sicut enim se habent actiuæ ad inuicem; ita & passiuæ tunc se haberent: & præcisa ratio passiuæ productionis non potest magis exigere, cæteris paribus, distinctionem realem, quam actiuæ.

13. Præterea vel fundaretur in eo casu distinctio Filij à Spiritu sancto in prioritate originis vnus ab alio: vel in prioritate rationis. Non in primo, quia non foret vnus ab alio: supponimus enim Spiritum sanctum non produci à filio, neque Filium à Spiritu sancto, sed vtrumque à Patre solo. Non etiam in secundo, quia id non sufficit: alioqui differret realiter paternitas à spiratione actiuâ, cui ratione prius supponitur: sicut intellectio præsupponitur volitioni. Item in diuinis omnia sunt vnus, vbi non obuiat oppositio relatiua, ex comuni Patrum & Doctorum consensu & Conciliis approba-

to. Talis autem oppositio fundatur in originibus quia scilicet in Deo omnia debent ad simplicissimam vnitatem identificari quantum fieri potest, & habere summam vnitatem & simplicitatem, quæ illorum rationibus & proprietatibus non repugnat, & quàm maxima & perfectissima esse potest. Pertinet enim hoc ad diuinam perfectionem: sicut in aliis attributis intellectus, voluntatis omnipotentia, cognitionis, volitionis, & cæteris videtur licet. Atqui cessante, distinctione requisita inter producentem & productum realiter, nulla est ratio distinctionis realis. Ergo sicut non est distinctio realis inter intellectum & voluntatem diuinam, & alia attributa absoluta, neque inter fecunditatem generandi & spirandi: sic neque esset inter terminum genitum & spiratum, huc inter Filium & Spiritum sanctum, si inter illos non esset ordo originis.

Contrarium sentiunt Scotus in 1. dist. 11. q. 2. & Henricus quodlib. 5. q. 9. qui obiciunt primò, si Spiritus sanctus à Filio solo procederet, & non à Patre: distingueretur tamen ab illo. Ergo similiter, quamuis procederet à solo Patre, & non à Filio: distingueretur tamen à Filio. Sectò addò, si Spiritus sanctus non procederet à Patre vel à Filio, & tamen esset: haberet eandem entitatem, quam nunc habet: ergo & eandem vnitatem, & distinctionem ab aliis. Vnitatem enim & distinctionem sequuntur entitatem: & vnumquodque distinguitur ab aliis, per id quo constituitur in propria entitate. Tertio, Pater & Filius distinguuntur realiter à Spiritu sancto non modò ratione spirationis actiuæ, sed etiam per rationes proprias quibus differunt inter se: quæ rationes differunt à spiratione actiuâ comuni vtrique, & secundum id quod illi addunt, non producent Spiritum sanctum; neque habent ipsam oppositionem relatiuam originis: & tamen ab illo distinguuntur realiter. Ergo factum est principium illud in quo præcipue fundatur nostra assertio, in diuinis omnia esse vnus vbi non obuiat oppositio originis. Neque respondeas rationes proprias Patris, & Filij mediâcè opponi Spiritui sancto, nempe mediante spiratione actiuâ quam exigunt, & ad quam per se tendunt. Nam id non sufficit, vt ratione talis oppositionis solus vnus sit: debet necessariò distinctio realis. Alioquin natura, seu essentia diuina, deberet distingui realiter à personis procedentibus: quippe quæ ipsis relatiuè opponitur mediâcè: nimirum Filij mediante fecunditate generandi, & Spiritui sancto, mediante fecunditate spirandi: quas fecunditates necessariò exigunt, & ad illas per se tendit. Quod ergo Pater & Filius secundum proprias rationes distinguuntur à Spiritu sancto, non est propter oppositioem originis: sed ex propria ratione, seu quidditate & entitate talium rationum. Vnde, similiter distinguerentur, licet illis non adueniret

14. Scotus Henricus. Contraria sententia refutatur.

ratio actus, & ratio principii respectu Spiritus sancti.

Ad primum respondent Molina, Vasques, & alij communiter, licet Spiritus sanctus non procederet immediatè à Patre, sed tantùm mediatè, per Filium à Patre realiter productum: ita ut Pater non identificaretur spirationi actiue, sed solus Filius, qui solus habet formaliter fecunditatem voluntatis, sicut pater solus habet facultatem intellectus: adhuc tamen fore fundamentum sufficiens distinguendi realiter Spiritum sanctum à Patre propter realem productionem, remota licet & mediatam. Quatenus Pater in eo casu produceret realiter Filium, & per Filium, produceret Spiritum sanctum: atque ita haberet Spiritus sanctus realem habitudinem originis ad Patrem, eumque præsupponeret tanquam principium reale sui, remota quidem, sed tamen realiter influens per se, & constitutum in priori originis per paternitatem, tanquam rationem propriam & peculiarem spiratoris remoti. Sicut in Filio supponeret filiationem, tanquam rationem propriam & peculiarem spiratoris proximi.

Contra, quam solutionem instari potest, quia productio remota tantùm, & mediatam, non infert necessariò distinctionem realem inter productum & producens remotè. Neque enim implicat nepotem reproducere avum, & lumen A reproducere lumen B, à quo fuit productum mediantè alio. In diuinis autem est identitas quàm maxima esse potest. Ergo non esset distinctio inter Patrem & Spiritum sanctum, si pater remotè tantùm per filium, illum produceret. Respondeo maiorem huius argumenti veram esse, tantum de producente remoto per accidens præsupposito, id est, respectu producti non essentialiter & ex natura sua, sed per accidens tantùm illi subordinati. Cuiusmodi est avus respectu nepotis, & unum lumen respectu alterius. Secus autem de producente, cui essentialiter & ex natura sua, vel ex propria ratione subordinatur productum absoluta necessitate. Hoc enim ipso quòd illi subordinatur necessariò, manifestum est debere ab illo necessariò distinguì. Nihil enim subordinatur necessariò sibi ipsi. Atqui Spiritus sanctus ex propria sua ratione, & essentia seu quidditate sua proprietatis, subordinatur originaliter Patri, & in eo casu subordinatur illi absoluta necessitate. Cùm supponamus Spiritum sanctum procedere à Patre remoto per Filium: Processiones autem diuinae non sunt, neque rectè concipi possunt in illo casu esse à vilo principio, nisi per se & absolute necessario ad talem productionem: cum mutua exigentia & æquali necessitate absoluta, inter producens & productum. Ita ut ex propria illorum ratione absolute necessarium sit vni produ-

cere, & alteri produci ab illo. Quæcumque enim pertinent ad existentiam personarum diuinarum, sunt absolute necessaria.

Ad secundum respondeo Spiritum sanctum in eo casu non fore eundem qui nunc est: quia deesset ratio, cui idem esset, neque habiturum eandem entitatem quam nunc habet: ideoque nec eandem distinctionem. Entitas enim propria, & quidditas Spiritus sancti qui nunc est, est spiratio passiva & substantialiter terminata spirationis actiue, & communis Patri & Filio, & vtrique identificata, vnde per illam vtrique opponitur. Sed neque etiam Pater & Filius in eo casu essent propriè Pater & Filius, neque haberent essentiam quam nunc habent: cum per eam quam habent ipsa, opponantur realiter Spiritui sancto, sintque ipsius origo actiua, etiam quatenus sunt Pater & Filius. Nam de ratione Patri & Filij est dare & accipere naturam cum fecunditate spirandi. Vnde etiam fit ut quòd Pater & Filius, ac secundum rationes proprias, habeant respectum principij realis, & realem oppositionem ad Spiritum sanctum: ac præinde distinguantur ab illo, non tantùm quòd spirantes: sed etiam quòd Pater & Filius.

Dices: si non esset in eo casu Spiritus sanctus qui nunc est, nullus esset; quia omnis alius est impossibilis. Respondeo ita esse: sed sensus quætionis præsentis hypotheticus est, & per locum intrinsicum, ex suppositione impossibili stante, seque ipsam non destruentem: nimirum, si Trinitas esset secunda ad intra, non eo modo, quo nunc est, sed alio, licet recipi impossibili: quo pacto se haberent diuinae fecunditates, atque earum termini? Supposita etiam communicabilitate, & summa identificabilitate in diuinis, quanta omnino esse potest, iuxta illud principium communiter receptum à Theologis & sanctis Patribus, & à pluribus Conciliis traditum, In diuinis omnia sunt vnum, ubi non obuiat oppositio originis.

Ad tertium respondeo, Patrem & Filium etiam secundum eam rationem propriam, quam superaddunt spirationi actiue communi, oppositè relatiuè per habitudinem originis ad Spiritum sanctum, quatenus illæ rationes per se tendunt vterius ad realem productionem Spiritus sancti, cuius fecunditatem exigunt & important. Et quomòdò hæc oppositio & habitudo sit mediata secundum rationem, quatenus Spiritus sanctus non procedit immediatè à Patre & Filio secundum rationes eorum proprias, sed secundum rationem communem spiratoris, ut infra declarabitur: alio tamen modo se habent, quàm essentia seu natura diuina. Hæc enim secundum se non est realiter relatiua ad intra; sed ex natura sua se habet veluti commune subiectum relationum omnium, quibus

175.  
Si Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, non esset idem qui nunc est.

175.  
Si Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, non esset idem qui nunc est.

176.  
Pater & Filius, qui talis oppositio in se habent, non sunt idem qui nunc est.

omnibus immeritate coniungitur, seu potius identificatur, & ad omnes fecunditates atque ad eorum terminos se habet veluti eadem ratio secundum rem, & communis realiter. At vero propria ratio Patris aut Filij, secundum id quod superaddit spirationi actiuæ, non ita se habet: sed & realiter relatiua est secundum se formaliter, & spirationi actiuæ præsupponitur velut ratio hypostatica, propria & peculiaris illius personæ quæ spirans esse debet, atque illi soli identificabilis, & consequenter distincta à spirato. Intelligi autem non potest aliquid esse proprium & peculiare personæ, quæ alteri opponitur, quod ab ea non distinguitur. Si enim persona distinguitur: id etiam quod ei peculiare est, distinguetur. Ita terè Vasq. disp. 147. cap. 8. num. 41. apud quem plura videntur, & apud Molin. quæst. 36. art. 2. disp. 3.

19. Instabis quia si filij distinguitur realiter à spiratione passiuæ, licet non sit illius origo realiter immediatè, sed sola spiratio actiuæ, propterea quod spiratio actiuæ identificatur filiationi tanquam proprietati personali necessariò præsuppositæ ad spirandum: necesse autem est distingui à spirato personam quæ debet esse spirator, vi spirationis actiuæ ipsam præsupponentis, atque etiam vi propria suæ personalitatis spirationem actiuam exigentis: contra hoc facit, quod sicut spiratio actiuæ identificatur filiationi, tanquam proprietati personali ipsam exigenti & præsuppositæ: ita eadem spiratio actiuæ identificatur paternitati tanquam proprietati personali ipsam exigenti & præsuppositæ. Ergo si propter hoc distinguitur filius realiter à spiratione passiuæ: debet & spiratio actiuæ distingui realiter à filiatione. Atque ita Pater non tantum quæ spirator, sed etiam quæ spirator distinguetur realiter à Filio. Sicut Filius non tantum quæ spirator, sed etiam quæ Filius distinguitur realiter à Spiritu sancto. Respondeo negando consequentiam. Tantum enim inferri potest quod proprietates personalis Patris distinguitur realiter à Spiritu sancto, sicut proprietates personalis Filij distinguitur à Spiritu sancto. Ratio est quia paternitas non identificatur spirationi actiuæ tanquam proprietati personali & incommunicabili, sicut spiratio actiuæ identificatur filiationi tanquam proprietati personali Filij. Nam spiratio actiuæ non est proprietates personalis, siue hypostatica, cum non sit incommunicabilis.

20. Dices hoc responsum petere principium contra Græcos Schismaticos, & præsupponere definitionem Conciliorum, quod Spiritus sanctus à Filio procedat, quodque idcirco spiratio actiuæ sit communis Patri & Filio: non autem reddere rationem cur Concilia id contra Græcos definiuerint. Et tamen illa ratio queritur:

& iam allata, vt sufficiens, reddi solet. Patet quia Græci, qui putant solum Patrem producere Spiritum sanctum, asserunt spirationem actiuam esse æquæ personalem & incommunicabilem, atque ipsam paternitatem. Respondeo non propterea peti principium: neque hoc affirmari ad probandum Spiritum sanctum procedere à Filio: sed tantum ad explicandum quem modo distinguatur ab illo, etiam quæ Filius est, ex hypothese vera quod simul sit spirator. Ratio autem quæ probatur efficaciter Spiritum sanctum procedere à Filio, est quæ alioqui non distinguere-tur realiter ab illo, vt exposuimus num. 12.

SECTIO III.

An Spiritus sanctus procedat immediatè à Patre & Filio?

Respondeo Spiritum sanctum non procedere immediatè secundum rationem à Patre & Filio, secundum propriam rationem Patris & Filij: sed secundum rationem spirationis actiuæ, per quam constituuntur formaliter in esse vnus spiratoris, & vnus principij respectu Spiritus sancti. Declaratur & probatur responsum. Primò, quod Pater & Filius sint vnus principium, & vnus spirator, per vnam & eandem virtutem spirandi, patet ex literis vnionis in fine Concilij Florentini, & ex Lugdunensi cap. vnico de Summa Trinit. in sexto, vbi traditur vnus principium, vnus spirator, vna virtus spirandi & definiturque Spiritum sanctum à Patre & Filio, non tanquam à duobus principijs, sed tanquam ab vno principio, nec duabus spirationibus, sed vnicâ spiratione procedere. Idem longè ante docuerat expressè S. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 24. in hæc verba, *Faugendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sic Patrem & Filium vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus: sic relatiuè ad Spiritum sanctum, vnus principium.* Eandemque esse sententiam omnium Patrum & Doctorum Orthodoxorum, fidemque sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, affirmat Consilium Lugdunense cap. cit.

Idem etiam confirmat ratio Theologica: quia Filius à Patre recipit totam essentiam & voluntatem eius: & recipit illam adhuc fecundam in actu primo, quia recipit illam per productionem & communicationem intellectus, quæ prior est productione & communicatione per voluntatem. Ergo Filius per eandem voluntatem fecundam necessariò spirat simul cum patre. Ita vt sicut per eandem omnipotentiam tres personæ diuine operantur indiuisim ad extra, quicquid operantur.

21. Spiritus sanctus procedit immediatè à Patre & Filio, quæ talibus: sed prout sunt vnus spirator.

22. Probatum ratione.

neque possunt aliter operari: sic Pater & Filius per eandem voluntatem secundam necessario spirant & producant Spiritum sanctum indivisum, virtute ac productione unica & indivisibili. Utque omnipotentia constituit Patrem & Filium & Spiritum sanctum in esse unius omnipotentis, à quo immediate ut tali procedunt quæcunque Deus operatur ad extra: sic vis spirandi constituit Patrem & Filium in esse unius spiratoris, à quo ut tali immediate procedit Spiritus sanctus. Denique licet actus omnipotentia est æquè primò & principaliter & immediate trium personarum divinarum, cum ea tantum differentia, quòd Pater sine reali productione, aut communicatione, illam habet ex se: Filius verò à patre: & Spiritus sanctus ab utroque: unde Pater dicitur aliquando creatus per Filium, & per Spiritum sanctum: sic actio spirandi est æquè primò, & principaliter, & immediate, Patris & filii: cum ea differentia, quòd Pater habet eam spirandi sine productione reali, vel communicatione; Filius verò à Patre illam accipit. Cuius rei significanda gratia D. Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 17. ait Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre. Quod D. Thom. ita interpretatur *quæst. 36. art. 3. v. illud, principaliter, nihil sit aliud, quàm producere per virtutem à se, & non aliunde acceptam.*

23. Caterum vis spirandi licet identicè immediate sit idem realiter cum vi generandi, & cum termino eius formali: Effert tamen ad utroque virtualiter: ut ex eo aperte liquet, quòd vis generandi non communicatur filio, vis autem spirandi illi communicatur. Item, vis generandi generat, terminus illius generatur: vis autem spirandi non generat filium, à quo non distinguitur realiter, neque generatur aut producitur, cum non distinguatur à patre filium producente: sed tantum manat virtualiter & logice à volitione essentiali: sicut vis generandi emanat virtualiter ab intellectione essentiali, sine via reali productione. Sed neque intrinsecè & formaliter includitur vis spirandi in rationibus propriis Patris & Filii, secundum quas hic generatur, & ille generat: sed tantum importatur, & consequenter se habet, quatenus de ratione Patris & Filii est dare & accipere naturam cum fecunditate, & ultra terminum immediatum suæ relationis (qui sunt ipsi inter ad invicem) debent respicere alium nempe Spiritum sanctum. Quare neque ab illis, ut talibus immediate secundum rationem, est actio spirandi, sed à virtute spirativa, ut tali quæ est fecunditas distincta ratione à fecunditate intelligentia, & ab ipsius termino, præcisè sumptis. Unde eam oppositio originis Patris & Filii ad Spiritum sanctum, secundum proprias rationes, est mediata secundum rationem: immediata tamen secundum rem, quatenus ad quod additur

& præsupponitur spirationi per personam seu fecunditatem intelligentiam, aut per terminum eius formalem, est idem realiter per se immediate cum virtute spirandi.

Hinc facile diluitur argumentum Graecorum: Si Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, procederet ad illis ut à duobus principis. Quod non magis requiritur, quàm opera ad extra procedere à tribus personis divinis; ut à tribus principis. Sicut enim tres personæ constituunt unum principium ad extra, per unam omnipotentiam: ita Pater & Filius constituunt unum spiratorem, per unam vim spirandi communem utrique. Et sicut Pater & Filius sunt unus Deus, propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen, Deus: ita sunt unum principium Spiritus sancti, propter unitatem proprietatis significatæ hoc nomine, principium: ut rectè ait S. Thom. *quæst. 36. art. 4. in corp.*

Contrarium sequitur. Suarez lib. 10. cap. 4. Valent. disp. 2. quæst. 19. punct. 5. column. 3. Cungi disp. 11. dub. 7. & quidam alii, qui affirmant Spiritum sanctum immediate, etiam secundum rationem procedere à Patre & Filio, quæ tales sunt, & ut sunt supposita diversæ prius origine constituta propriis relationibus. Primum eorum argumentum est: quia idem est sufficiens & immediatum principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum. Ergo pater sicut immediate generat, ita & spirat. Secundo, Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis habet relationem habitudinem directam & immediatam ad Patrem & Filium, secundum proprias eorum rationes, ut ab illis per se distinguatur. Ergo procedit immediate à Patre & Filio, quæ talibus. Tertio, Spiritus sanctus per se immediate respicit principium à quo procedit. Hoc autem principium non est hic Deus, non habita ratione personarum: sicut est in creaturis: sed necessaria conditio est ut personaliter subsistat, quòd Spiritus sanctus distinguatur à cæteris personis. Ergo Spiritus sanctus respicit per se immediate illas personas. Quarto, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio ut nexu, quidam illorum, & ut amor unitivus duorum: est D. Thom. q. 37. art. 1. ad 3. Atqui nexu essentialiter & immediate duorum est. Amor item perfectus & unitivus non potest esse, nisi inter duo. Ergo, &c. Confirmatur ex D. August. lib. 6. de Trinit. cap. 5. ubi sic habet: *Manifestum est quòd aliquis duorum est, quo uterque coniungitur, quo genitus à genitore diligitur, genitoremque suum diligit.*

Ad primum Respondeo negando procedens de immediate secundum rationem. Nam scituralia est virtualiter

Vis spirandi virtutem generandi, & ab eius termino.

Ita respicit... non aliquid duorum est.

& logicæ fecunditas intelligentiæ, & alia fecunditas voluntatis: sic aliud est principium sufficiens & immediatum productionis per intellectum, & aliud per voluntatem. Ac Filius quidem est principium per voluntatem, & non per intellectum. Quare manifestè hæc differunt.

Ad secundum Respondeo, Spiritum sanctum non referri immediatè secundum rationem ad Patrem & Filium, quoad rationes eorum, proprias fecunditatis intelligentiæ, aut termini ipsius, præcisè si supponas: sed ut ad spiratorem. Quod quomodo sufficiat ad distinctionem realem Spiritus sancti ab illis, superiori sectione in fine dictum fuit.

Ad tertium Respondeo, Spiritum sanctum respicere immediatè suum principium immediatum, quod non est hic Deus, sed est spirator. Quæ ratio præsupponit quidem fecunditatem intelligentiæ, atque ipsius terminum: adeoque præsupponit Patrem & Filium, ut personas distinctas: sicut enim intellectio prior est volitione: sic fecunditas intelligentiæ prior est fecunditate volitionis: & productio per fecunditatem intelligentiæ, est prior productione per fecunditatem volitionis. At non est mera & prima ratio Patris & Filij: unde nec illos Spiritus sanctus immediatè respicit secundum primam illam rationem fecunditatis intelligentiæ, aut termini illius præcisè: sed tantum remotè & mediatè: nempe mediatè spiratione actiua, quæ ratione distinguitur à propriis rationibus fecunditatis intelligentiæ & termini illius.

Ad quartum Respondeo, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis esse quidem nexum Patris & Filij: sed nimirum quatenus est terminus vnus spiratoris, in quo adunantur Pater & Filius. Itemque esse amorem vnitiuum, quatenus primò & immediatè naturam accipit sub ratione amoris, quo Pater & Filius se amant essentialiter, atque vnionentur, non tantum affectiue, sed etiam substantialiter, quatenus sunt vnicus amor, sicut & vnica voluntas & essentia. Hic autem nexus & amor, licet sit immediatè duorum obiectiue, & formaliter: non tamen productiue. Quemadmodum etiam intellectus & volitio essentialis est, quidem plurimum formaliter & obiectiue: quia formaliter conuenit tribus personis, & ad obiecta infinita tendit: eo tamen modo, quo emanant virtualiter & metaphysicè, non est immediatè intellectus nisi ab vnico intellectu; & volitio, à voluntate vnica, tribus personis formaliter communi.

Præcedentem doctrinam confirmat sanctus Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 14. quem citat D. Thom. 9. 36. a 4. §. Sed contra, vbi sic ait: Sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnium principium creatorum: ita Pater & Filius sunt vnium principium Spiritus sancti: quia delictet, sicut immediatè creatur per omni-

potentiam, in qua tres personæ vnæ sunt: ita spirant immediatè per fecunditatem voluntatis, quæ eadem est in Patre & in Filio.

SECTIO IV.

*Utrum Spiritus sanctus per se requirat ex vi sua processionis formaliter duas personas spirantes.*

Nota primo sententiam questionis: *Utrum processio Spiritus sancti, quatenus rationalis est, & ex propria sua ratione formalis, postulet duo supposita ex parte principij, quæ per se conferant ad Spiritus sancti productionem.* Per se, inquam, quarto modo ex illis, quatuor quos Aristoteles enumerauit lib. 1. Posterior. cap. 4. & lib. 5. Metaphys. cap. 18. qui est, *per se in causando.* An verò potius illa multitudo suppositorum se habeat per accidens ad productionem Spiritus sancti: ita ut si per impossibile vis spirandi esset in vnica persona, non minus produceret Spiritum sanctum. Quemadmodum Trinitas personarum diuinarum per accidens se habet ad creationem: Quia si per impossibile Deus esset vnicus in persona, æque ac in essentia; omnipotentia illi conueniens essentialiter, non minus valeret & sufficeret ad creandum.

Nota secundò, id quod rectè aduertit Vasq. disput. 150. cap. 1. fieri posse ut duo per se, ac necessariò inter se coniungantur, aut conueniant in primo aut secundo modo dicendi per se, id est, sicut proprietates coniunguntur essentia, & essentia proprietatibus: & tamen non coniungantur aut conueniant in quarto modo, qui in eo consistit, quòd effectus prædicetur de causa per se; aut vice versa, causa per se dicatur de effectu. Et quidem nemo dubitat virtutem prædicendi: qualis nunc est, & qualis tantum possibilis esse re ipsa identificatam duobus suppositis, necessariò & per se, id est, non per accidens & contingenter: ita ut ex se postulet summa necessitate intrinsecam & naturalem, identificari tum essentia, tum personatibus Patris & Filij, quibuscum non habet oppositionem aliquam. Omnia enim attributa diuina sunt ex summa necessitate intrinsecam identificabilia inter se, quantum fieri potest: id est, quando non impeditur oppositio relatiua originis. Non est autem hæc oppositio inter spirationem actiuam, & personalitates Patris & Filij. Sed difficultas est, & dissensio inter Theologos, an virtus spirandi per se postulet in causando, id est, ex propria & formali ratione productionis Spiritus sancti, identificari Patri & Filio: ad que processio Spiritus sancti ex formali sua ratione requirat duas personas spirantes, tanquam per se necessarias ad spirandum.

29.  
Status  
questionis

30.

NO  
T  
A



ita ut vna sine alia non sufficeret? An verò potius virtus spirandi postulet quidem per se in essendo identificari Patri & Filio: per accidens tamen id se habeat in causando: quia non minus produceret Spiritum sanctum, si per impossibile vni soli personæ identificaretur. Quemadmodum omnipotentia diuina per se quidem in essendo postulat esse in tribus suppositis: id tamen se habet per accidens ad creationem. Nam creatura non pendet, neque procedit à tribus illis suppositis, vt ita sunt: sed vt sunt vnus creator, ratione eiusdem omnipotentia, quæ si esset in vnico supposito, non minus operaretur.

31. Nota tertio, dupliciter posse nos loqui de virtute spirandi, & de Spiritu sancto. Primum, de illa virtute, & de illo Spiritu qui nunc est, quique solus possibilis est: nam omnis alius est chimericus & impossibilis. Secundò, de virtute spirandi & de Spiritu sancto qui per locum intrinsecum supponitur fore in eo casu, quo Spiritus sanctus ab vnica personâ procederet; puta à solo Patre. Nam in eo casu non foret eadem numero & specie virtus spirandi, quæ nunc est, neque idem Spiritus sanctus, vt ostendimus paulò post.

32. His præmissis, Dico primò Spiritum sanctum qui verè est, per se requirere ex vi suæ processionis formaliter duas personas spirantes. Hanc assertionem inueniat D. Thom. 2. 2. q. 36. art. 4. ad primum, vbi docet Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio vt sunt plures, quia procedit ab eis vt amor vniuersus duorum. Clarius verò illam tradit in 1. dist. 11. q. 1. art. 2. & 4. cui subscribunt Capreolus in 1. dist. 12. q. vnica contral. 4. Ferraricus. 4. contra gentes cap. 25. Caietanus, Bannes, Cumel, & alij Thomistæ 1. p. q. 36. art. 4. Molin. ad eundem artic. 2. q. 5. Suar. lib. 10. cap. 6. Vasq. disp. 150. cap. 2. Cuninga disput. 1. dub. 4. Florauant. lib. 2. de Trinit. notat. 39. Ruis dip. 71. sect. 1.

33. Probatur primò, quia Spiritus sanctus qui nunc est, ex formali, & propria ratione sua opponitur relativi Patri & Filio, in quantum talibus, ideoque distinguitur realiter ab illis vt talibus, & non tantum prout sunt vnus spirator. Ergo Spiritus sanctus ex formali & propria ratione sua, adeoque per se & formaliter, respicit Patrem & Filium in quantum tales vt plures personas à quibus ducit originem. Nam relatiua oppositio in diuinis non est alia, quam oppositio originis. Confirmatur, quia omnis relatio respicit per se formaliter & ex propria ratione sua, terminum suum adæquatum: est enim essentialiter respectus ad illum. Atqui proprietates Spiritus sancti est relatio ad Patrem & Filium, etiam vt tales: ergo pro-

prietas Spiritus sancti respicit per se formaliter, & ex propria sua ratione, Patrem & Filium, etiam vt tales. Atqui id quod conuenit Spiritui sancto secundum suam proprietatem, conuenit illi per se ex vi suæ processionis: quippe quæ per se directè & formaliter tendit ad Spiritum sanctum vt est talis per se, distincta à duabus aliis. Ergo Spiritus sanctus per se requirit ex vi suæ processionis formaliter Patrem & Filium vt tales, ad spirandum. Confirmatur secundò, quia nisi Spiritus sanctus procederet à Patre & Filio, non distingueretur ab illis, vt ostendimus sect. 2. Atqui Spiritus sanctus per se & ex propria sua ratione distinguitur realiter à Patre & Filio. Ergo per se, & ex propria sua ratione procedit à Patre & Filio. Ergo ex vi suæ processionis per se requirit plures personas, Patris scilicet & Filij, à quibus procedat. Nec obest quòd non procedit immediate ab illis quæ talibus, vt probauimus sect. precedenti. Potest enim nihilominus esse præsupponere necessariò, tanquam medicè spirantes, eosque vt tales respicere.

34. Probatur secundò quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit vt amor mutuus personalis, & nexus duorum vt mutuo amantium, vt docet sanctus Thomas locis suprâ cit. post S. Augustin. tractatu 105. in Ioan. Verbis à Prospero relatis sententia 371. Spiritus sanctus est spiritus Patris & Filij, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum. Et Concil. Toletan. XI. in confessione fidei: Simul ab vtrisque Spiritus sanctus processisse monstratur: quia charitas siue sanctitas amborum agnoscitur. Atqui nexus est essentialiter inter duo, & amor mutuus, est per se ac necessariò inter duos se amantes reciproce. Ergo Spiritus sanctus qui ex vi suæ processionis est nexus Patris & Filij, & amor mutuus notionalis illorum se reciprocè amantium, requirit per se ex vi suæ processionis plures personas à quibus procedat. Neque satisfacit, quod responderi posse ait Suar. suprâ num. 4. Patres tantum dicere Spiritum sanctum esse nectum Patris & Filij: sed non dicere hoc ei per se conuenire, & per se procedere vt talem. Nam Toletan. XI. non tantum affirmat ita esse: sed ait Spiritum sanctum idèd esse ab vtrisque, quia charitas amborum est: id est, necessarium esse vt ab vtroque procedat, quia est charitas, seu mutua inter ipsos amicitia. Si autem necessarium est Spiritum sanctum procedere ab illis vt talibus, per se ab illis procedit vt pluribus & distinctis. Eodemque sensu D. Augustin. ait, Spiritum sanctum esse spiritum Patris & Filij, originaliter scilicet, tanquam charitatem consubstantialem amborum. D. Thomas autem expressè asserit Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, vt amorem vniuersum

duorum. Ideo procedere ab illis ut plures sunt.

Probant aliqui tertio hac ratione, quia Spiritus sanctus, ex sua propria ratione procedit per viam voluntatis. Adeoque præsupponit alteram processionem, quæ est per viam intellectus. Atque ita præsupponit personam Patris & Filij, quarum una procedit ab alia per viam intellectus. Sed hoc argumentum tantum probat, si nihil aliud addatur, esse ordinem inter processionem Filij & Spiritus sancti: & posito quod sint duæ, quodque intellectus sit secundus, æquæ ac voluntas; processionem intellectus esse ratione priorem; ac propter illam prioritatem, secunditatem spirandi reperiri in duobus suppositis. Sed non probat secunditatem spirandi requirere per se ut intellectus sit secundus, ita ut si per locum intrinsecum intellectus non esset secundus, & tamen voluntas esset secundæ, non produceretur idem Spiritus sanctus qui nunc est: quod certe non fieret, si secunditas intellectus usque terminus per se requireretur. Nam productiones diuinæ nequeunt esse, neque bene concipi esse, deficiente principio per se necessario. Aliud verò est intellectum diuinum esse re ipsa secundum, æquæ ac voluntatem: esseque ordinem rationis inter eorum secunditates: & aliud, secunditatem voluntatis per se postulare ut intellectus sit secundus, & habere hunc ordinem rationis & subordinationem ad illius secunditatem. Argumentum allatum probat primum: sed non secundum, de quo nunc quæstio est. Aliud item est actum voluntatis, cuius est spirandi vis, ex propria ratione, & per se præsupponere actum intellectus: quia non potest ferri in incognitum: & aliud, præsupponere illum esse secundum ad intra, & potentem ad generandum, aut actu generare.

Dico secundò: posito per locum intrinsecum quod voluntas esset secundæ, cuiusque secunditas esset in sola prima persona, illa sufficeret ad spirandum amorem notionalem. Sed ille non esset idem cum Spiritu sancto qui nunc est. Et consequenter non esset eadem secunditas quæ nunc est. Prima pars huius assertionis est Molina. quæst. 36. artic. 2. disp. 3. ad 3. argum. Suarez lib. 10. cap. 6. num. 5. & Cuniga disput. 11. dub. 4. num. 1. in dicto dubio 3. membro 1. num. 3. Neque contradicit illi D. Thomas locis in priori assertionem citatis, quia loquitur ibi tantum de Spiritu sancto qui re ipsa est: non autem de illo qui concipitur fore per locum intrinsecum, in casu impossibili. Quin potius idem Sanctus Doctor, aliique omnes Theologi, illam supponunt, quando quærent, an Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si non proce-

deret ab illo. Supponunt enim non sequi per locum intrinsecum voluntatem fore infecundam, & non posse producere amorem aliquem notionalem, quamuis sola prima persona produceret. Ratio eiusdem partis est, quia sicut in nobis Verbum, id est, actus intelligendi, & amor non postulant produci à diuersis personis: sed potius ab una & eadem: imò etiam, ut ostendimus alibi, ab uno eodemque vitali & substantiali principio, quod unum idemque cognoscit & amat: ita in Deo, quod amor notionalis procedat à diuersis personis, nõ est per se ex ratione amoris abstractè sumpti: neque sequitur per locum intrinsecum, quod nisi essent plures personæ habentes spirandi secunditatem, non posset eadem intelligere & velle notionaliter, id est, producere Verbum & amorem notionalem. In quo tamen casu non esset realis distinctio inter Verbum & amorem notionalem, quemadmodum non esset inter principia dicendi & spirandi ratione tantum diuersa, ut ostendimus lect. 2.

Ex quo probatur id quod diximus in 2. parte assertionis: nimirum amorem illum notionalem non fore eundem cum Spiritu sancto qui nunc est: quia Spiritus sanctus qui nunc est, ex sua propria & formali ratione opponitur relatiuè pluribus personis, id est, Patri & Filio, ut talibus illosque respicit, non modò ut sunt vnus spirator, sed etiam ut sunt Pater & Filius, tanquam terminum adæquatam suæ relationis personalis. Et in eo casu non opponeretur relatiuè Filio: quia non produceretur ab illo. Ergo non haberet eandem relationem, quam nunc habet. Ergo non esset eadem persona quæ nunc est: quia per illam relationem constituitur in esse huius personæ. Non esset, inquam, eadem persona, non modò numero, sed neque specie quodammodò. Nam relatio quæ pro termino adæquato, per se necessario habet Patrem & Filium, quæ tales, & quæ spirantes, distat plus quam numericè ab ea quæ pro termino adæquato haberet solam primam personam ut spirantem. Recolendum quæ est id quod diximus disput. 25. lect. 7. in fine, proprietates Patris & Filij distare plus quam numero, & quasi specificè inter se. Vnde relatio Spiritus sancti quæ per se atque ex propria ratione necessariò respicit Patrem & Filium, etiam secundum suas proprietates, habet terminos quasi specie differentes.

Hinc sequitur tertia pars assertionis, quæ diximus secunditatem spirandi non fore in eo casu eandem quæ nunc est. Nam sicut terminus secunditatis esset substantialiter, & quasi specificè, diuersus ab eo qui nunc est: ita & secunditas, quæ est illi termino proportionata, & ex propria quidditate determinata ad illum producendum, atque illi

35.  
Tunc dicitur quodam ineflicax

36.  
Per locum intrinsecum per se vis spirandi esse in vniuersa persona

7.  
Ille tamen amor notionalis nõ fore eundem cum Spiritu sancto qui nunc est.

3.  
que vis illa spirandi fore eandem quæ nunc est.

NO  
TAR

commenta ita vt nullum alium possit producere, sed sit in ordine ad illum solum quidquid est.

## SECTIO V.

*Soluntur argumenta contraria sententia.*

39.  
Scotus.  
Gabriel.  
Durand.

**C**ontra primam assertionem sentiunt Scotus in 2. dist. 12. q. 1. Gabr. ibidem q. 2. art. 2. & Durand. dist. ij. q. 3. existimantes Spiritum sanctum qui nunc est, non per se requirere ex vi suae processionis plures personas à quibus procedat: sed esse per accidens ad illius productionem quod fecunditas spirandi reperitur in duabus personis sicut ad productionem creaturarum quae nunc sunt, per accidens est quod omnipotentia sit in tribus suppositis diuinis: quia non minus eodem numero & specie creantur, si omnipotentia esset in unico supposito. Fundamentum & modus id explicandi & probandi, quo vitur Durand. fuerunt a sebi refutata. Scoti vero argumenta haec sunt.

40.  
Argumenta  
contra  
sententiam.

Primo, virtus spirandi est tota & integra in qualibet diuinorum personarum: neque est perfectior in duabus simul, quam in vnica. Ergo ad spirandum est illi per accidens quod sit in duabus. Nam quilibet virtus, aequè perfecta, perinde operatur, siue sit in vno, siue in pluribus suppositis. Secundo, sicut se habent tres personae diuinæ ad creandum per omnipotentiam: ita se habent duae primae personae ad spirandum. Atqui tres personae non per se requiruntur ad creandum, ex vi creationis, sed omnipotentia aequè ageret, quamuis esset in vnica persona. Ergo duae primae personae non requiruntur per se ad spirandum, sed aequè ageret vis spirandi, quamuis esset in vnica. Tertio, si per se possibile prima persona non esset fecunda per intellectum, & tamen esset fecunda per voluntatem sicut nunc est, produceret aequè ac nunc eundem amorem necessarium, qui est Spiritus sanctus. Ergo quae nunc duae personae illum producant, non est quia per se requiruntur ad spirandum: sed tantum quia intellectus est fecundus ratione prius, quam voluntas: & processio per voluntatem supponit processionem per intellectum, quae est generatio filij habentis cum patre voluntatem fecundam. Quarto, si quae esset ratio, cur spiratio requireret per se duas personas, esset maxime quia Spiritus sanctus procedit vt nexus & amor mutuum duorum. Sed illa locutio nihil addit amori essentiali (qui totus est in qualibet persona) praeter relationem rationis, quae nullam perfectiorem additionem neque potest necessario requiri ad spirandum, siue vt conditio, siue vt virtus spirandi. Ergo &c. Quinto,

sequeretur ex opposito quamlibet & duabus personis non esse principium completum & perfectum Spiritus sancti: sed tantum parziale & imperfectum alterumque altero indigere. Hoc autem est absurdum & inconueniens.

Ad primum Respondeo, negando consequentiam. Ad cuius probationem dico assumptum verum esse de virtute quae potest eadem & aequè perfecta esse tam in vno, quam in pluribus suppositis. Sed impossibile est virtutem spirandi fore eandem quae nunc est, si esset tantum in vno supposito, vt ostendimus num. 37. & 38. Ad secundum respondeo, aliqui concessa maiore, negando minorem. Tum quia, inquirunt, absurdum est dicere, nos per accidens esse creaturas totius Trinitatis, eique tantum per accidens debere nostrum esse. Tum etiam quia de essentia creationis est esse ab omnipotentia diuina. Ergo & ab omnibus suppositis connaturalibus omnipotentia. Nam productio procedens ab aliqua vi producendi, per se procedit à supposito connaturali praedicatae virtutis. Ita Cuniga dubio supra citato, num. 7.

Sed melius alij, concessa maiore, negant minorem. Nam vt omnipotentia sit qualis, & quam perfecta nunc est, ad operandum quidquid operatur aut operari potest, non requirit ex vi creationis esse in tribus suppositis: ita vt si per locum intrinsecum concipiatur esse in vnica persona, non possit concipi aequè sufficiens ad creandum quicquid nunc creare potest: essetque re ipsa sufficiens, si ita existeret à parte rei per locum intrinsecum, id est, per suppositionem impossibilem quidem, sed tamen non destruentem semetipsam. At verò vt vis spirandi sit ea quae nunc est, sufficitque ad producendum terminum realiter distinctum à patre & filio, necessarium postulat esse in patre & filio. Neque vrget id quod in contrarium opponit Cuniga. Respondeo enim esse quidem absurdum, & contra fidem, dicere nos per accidens tantum esse creaturas totius Trinitatis, ratione essentiae & omnipotentiae, quam tota Trinitas & singulae personae includunt essentialiter: sed non esse absurdum, imò communiter assertum à Doctoribus, tres hypostases diuinas non esse per se causas creaturarum, secundum id quod addunt omnipotentiae, quae realiter distinguuntur ab inuicem. Quae de causa Theologi communiter cum D. Thoma q. 32. art. 1. docent mysterium Trinitatis non posse naturaliter cognosci ex creaturis: quia creaturae procedunt à Deo, non quae trinus, sed quae vnus est. Vnde possunt quidem nos dicere in cognitionem suae causae, id est, Dei quae vnus est: at non Dei quae trinus est, quia non causat vt talis. Non est etiam verum id quod vltimo addidit idem auctor, in

sensu quem inchoat illud videlicet quod procedit ab aliqua virtute producendi, per se procedere à supposito connaturali prædictæ virtutis. Quamvis enim per se procedat à tali virtute, & à supposito prout illa constante, siue ratione illius, & secundum illam: non tamen quatenus suppositum est, vnum aut multiplex. Atque ita licet creatio sit per se actio omnipotentis, & creatura ab illa procedat vt causa per se sui esse: secus tamen à tribus hypostasibus & personis diuinis, & talibus, quibus omnipotentia connaturalis est.

43. Tertium argum. diluatur.  
Ad tertium Respondeo, Maiorem procedere ex hypothesi deſtrente ſeipſam, & tollere locum intrinſecum vt lex ad argumentatum. Est enim impoſſibile intellectum diuinum non eſſe fecundum, ac proinde non eſſe Patrem & Filium: & tamen voluntatem eſſe fecundam ſicut nunc eſt, id eſt, eadem & æquali fecunditate ad producendum Spiritum ſanctum, realiter diſtinctum à Patre & Filio. Ad quartum nego minorem. Quod enim Spiritus ſanctus, procedat vt nexus & amor mutus duorum, nempe Patris & Filij, addit amori eſſentiali eiusque perfectioni reale aliam perfectionem: nimirum quod Pater & Filius, per amorem eſſentialem, quo ſe mutuo diligunt, ſint fecundi ad producendum amorem notionalem realiter ab utroque diſtinctum, quo amore notionali ſe mutuo diligunt, quatenus illi communicant eſſentiam primò & immediate ſub ratione amoris eſſentialis, quo ſe mutuo amant. Sicut Pater dicitur omnia intelligere verbo notionali, quia primò & immediate communicat illi eſſentiam ſub ratione intelligentiæ, quæ formaliter omnia intelligit.

44. Pater eſt principij completum ſpirandi forma: & Filius ſimiliter.  
Ad quintum, nego primam partem maioris. Qualibet enim ex duabus perſonis eſt principium completum formaliter: quia habet totam fecunditatem ſpirandi, quæ vita eademque eſt tota in qualibet perſona. Licet ex propria ſua ratione, & ſecundum perfectionem per ſe ſufficientem ad ſpirandum Spiritum S. qui nunc eſt, non poſſit eſſe in vna, quin ſit etiam in alia, propter rationem ſapientis alſatam. Ad ſecundam partem maioris dico non propterea alteram perſonam altera indigere: ſed eſſe tantum perfectiſſimam connexionem & exigentiam mutua, in eo quod Pater non poſſit ſpirare ſine Filio, & vice verſa. Sicut non eſt indigentia, ſed mutua exigentia & connexio perfectiſſima, quod Pater non poſſit ſubſiſtere ſine Filio, nec Filius ſine Patre.

præcipue ſunt. Primum eſt nomen Spiritus S. de quo D. Thom. q. 36. art. 1. vbi ait: nomen illud de ſe quidem eſſe commune tribus perſonis: quarum qualibet propter immaterialitatem eſt Spiritus, & propter ſummam bonitatem eſt ſanctiſſima: ſed per appropriationem tribui ſpecialiter tertiæ perſonæ procedenti per viam amoris. Primò, quia, vt ait D. Auguſtin. lib. 15. de Trin. cap. 19. *Qui communis eſt ambobus, id vocatur ipſe proprie, quod ambo communiter.* Secundò, quia nomen Spiritus in rebus corporeis impuſſum & motionem ſignificare videtur. Nam flatum, & ventum, ſpiritum nominamus. Eſt autem proprium amoris, quod moueat & impellat voluntatem amanti in amatum. Sanctitas verò illi rebus tribuitur, quæ ad Deum ordinantur. Quia igitur tertia perſona Trinitatis procedit per modum amoris, quo Deus velut obiectum præcipuum amatur principaliter; conuenienter Spiritus ſanctus nominatur.

46. Dicitur etiam amor.  
Secundum eſt, nomen amoris; de quo D. Thom. q. 37. De illo autem, vt de nomine verbi reſpectu ſecundæ perſonæ, cum proportione philoſophandum eſt. Nimirum amorem hinc ſumi notionaliter: & amorem tribui ſpecialiter tertiæ perſonæ, quia vi ſuæ productionis procedit per viam amoris, & identificatur primò & immediate eſſentiæ diuinæ vt amori. Item hinc amorem eſſe quidem etiam creature, obiectiue, non tamen productiue. Ac ſicut Filius non eſt Verbum, quo Pater & Deus formaliter intelligit: ſic neque Spiritum S. eſſe amorem illum, quo Pater & Filius formaliter diligunt. Quo verò ſenſu dici poſſit, Patrem & Filium diligere ſe Spiritu ſancto, alibi expoſuimus. Nimirum quia producendo Spiritum S. per viam voluntatis, communicant illi naturam primò & immediate, ſub ratione amoris eſſentialis, quo ſe mutuo diligunt. Sicut Pater dicitur omnia intelligere Verbo, quia communicat illi primò naturam ſub ratione intelligentiæ eſſentiæ omnium rerum, per quam ipſe omnia intelligit.

47. Pater & Filius vt ſe diligant Spiritu ſancto.  
Addunt aliqui Patrem & Filium diligere ſe Spiritu ſancto, non tantum in ſenſu prædicto, qui eſt veluti cauſus in genere cauſæ efficientis: ſed etiam in ſenſu formalis, iſque dupliciter. Primò, identice: quia negari non poſſit Spiritum S. eſſe idem realiter cum amore eſſentiali, quo Pater & Filius ſe formaliter diligunt. Secundò, quia duobus alijs modis explicatur, quid ſit diligere formaliter. Vnus eſt, proprie & formaliter diligere actu interno & vitali. Et hoc ſenſu Pater & Filius non ſe diligunt formaliter Spiritu ſancto; ſed actu eſſentiali, communi tribus perſonis. Alter eſt, quo diligere ſignificat, dilectione ſecundum eſſe, hoc eſt, impendere dilectionem; quemadmodum ſolemus dicere, diligere opere, id eſt, reddere amorem fecundum amoris fructibus. Et hoc ſenſu

Cur tertia perſona vocetur Spiritus ſanctus?

Auguſt.

46. Dicitur etiam amor.

Pater & Filius vt ſe diligant Spiritu ſancto.

47.

SECTIO VI.

De nominibus Spiritus ſancti.

45. **N**omina quibus veluti proprijs tertia perſona Trinitatis appellari ſolet, tria Tomus I.

NO

Pater & Filius diligunt se formaliter Spiritu sancto, quatenus edunt fructum illum & fontem amoris essentialis, quo se mutuo diligunt. Sed contra primum dico, Patrem & Filium esse realiter idem cum amore essentiali, ac sic ac Spiritum sanctum. Et tamen personae divinae non dicuntur se mutuo diligere Patre aut Filio. Ergo aliunde petitur modus ille loquendi Patrum & Theologorum. Contra secundum oppono, etiam, & maxime dona praecipua supernaturalia unionis hypostaticae, gloria, gratiae sanctificantis, & similia, esse fructus amoris divini, & Deum per illa impendere suam dilectionem. Neque tamen propterea sancti Patres & Theologi dicunt Patrem & Filium se diligere creaturis: sicut dicunt se diligere Spiritu sancto. Ergo non bene declaratur hoc modo sensus illius propositionis.

48. Cur etiam dicatur Donum? Conuenit quid sit?

Tertium est, nomen Doni, de quo S. Thom. q. 38. Donum autem generatim significat bonum quod alicui grauito & liberaliter tribuitur, aut tribui potest. Si tribuitur, est donum actu. Si nondum tribuitur, sed tantum potest tribui, est donum appetitine. Habet autem donum duplicem habitudinem. Alteram ad eum a quo tribuitur, nisi sit idem penitus cum illo: potest enim idem seipsum libere donare. Alteram ad eum cui tribuitur. Inter dona vero primum ac praecipuum quod alicui datur, est amor quo volumus ei cetera bona. Unde amor habet rationem primi & praecipui doni, per quod cetera omnia dona grauito donantur. Quare cum Spiritus sanctus procedat ut amor, procedit in ratione primi doni, ideoque specialiter donum appellatur. Quamquam etiam Pater & Filius, & Deus ipse ut vnus, seipsum dare potest: & Pater etiam dare Filium, iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut unicum suum unigenitum daret: Et cap. 6. Mulier si sciret donum dei, & quis est qui dicit sibi, da mihi bibere. Item prima ratio donandi aliquid liberali & perfecte ratione, est amor: quia haec donatio est solum ad beneficiendum alteri ex voluntate libera & gratuita. Quando ergo res aliqua non tantum est donabilis, sed etiam in seipso includit amorem; singulari ratione includit rationem doni. Hoc autem conuenit Spiritui sancto specialiter ratione seu productionis: ergo &c.

49. Spiritus S. potest dici aliquatenus imago sui principii?

Quaes, an etiam dici possit Spiritus S. imago sui principii, sicut Filius dicitur imago Patris? Respondeo, posse aliquatenus: est non omni, & eadem ratione, qua Filius; nec eque proprie & perfecte. Prima pars declaratur. Quia Spiritus S. est aliquid distinctum a suo principio, & ab eo procedens ut simile in natura, atque eiusdem naturae cum suo principio ex vi sua processionis. Hoc autem sufficit ad rationem imaginis, ex D. Thom. q. 35. art. 1. in corp. Ideoque D. Basl. lib. 5. contra Eunom.

cap. 12. et lib. de Spiritu S. Athanas. in epist. ad Serapion. Episc. Tmuseos, & Gregor. Nyssen. in vita S. Gregorij Thaumaturgi, non dubitarunt Spiritum sanctum vocare imaginem Filij. Quod etiam notauit Sanctus Thom. q. 35. art. 2. in corp. ubi addit hanc esse opinionem Patrum Graecorum: & non negat Spiritum sanctum, hac ratione dici posse imaginem, sed tantum alia intentionali propria Filij, de qua infra. Nec obest quod in Scriptura nomen imaginis non tribuitur Spiritui sancto, sed Filio. Nam neque in Scriptura exprimitur quod Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio tanquam ab vno principio. Quemadmodum autem ex Scriptura colligitur, quod procedat a Filio tanquam ab vno principio cum Patre: ita colligitur quod procedat eis similis in natura, quod ad imaginem sufficit.

Contrarium sentiunt S. Bonavent. Henric. Capreol. & alij quos refert & sequitur Vasq. disp. 147. cap. 2. ubi opponit primo, sanctos Patres affirmare Filium solum esse imaginem, citatque in hanc sententiam Athanasium Tert. 4. contra Arianos paulo post initium, & in epist. de Decretis Nicenae Synodi paulo ante medium: Hilar. lib. 7. de Trinit. sub finem, August. lib. 3. de Trin. cap. 2. & lib. 7. cap. vit. Ricard. de sancto Vi. lib. 6. de Trinit. cap. 19. & Rupertum lib. 2. de Trinit. in Gen. cap. 2. Respondeo primo August. male citari: nam priori loco non loquitur hac de re. In posteriore non videtur particula exclusiua, solum, ut neque Hilar. & Rupert. Respondeo 2. eundemmet Athanasium, & Basl. ac Greg. Nyss. locis paulo ante citatis affirmare oppositum. Patribus autem hac in re dissentientibus liberum est sequi alterutrum, quod probabilius apparet. Possent etiam aliqui Patrum conciliari, dicendo eos negare solum Spiritum sanctum, esse imaginem eadem speciali ratione, qua solus Filius est imago, nempe ut similitudo intentionalis expressa ad representandum suum principium. Idque omnino de Athanasio sentiendum est, cum sibi non contradicat.

Opponit secundo, Vasq. di. eadem cap. 5. rationem imaginis in eo consistere, quod sit similitudo expressa ad representandum. Unde praeter productionem, & similitudinem, requiritur, ut productio fiat ex intentione representandi per se. Indeque Vasq. reddit rationem, cur Spiritus sanctus non sit imago: nempe quia Spiritus S. non representat alicui suum principium, sicut Filius Patri representat ipsum Patrem; aut saltem non ea intentione producit.

Sed contra, primo, non est de ratione imaginis, ut exprimat ex intentione representandi. Nam homo vel equus generatus naturaliter alium sibi simile, habet in eo imaginem, citra intentionem illam representandi. Deinde Pater diuinus, non generat Filium ex intentione representandi. Nam intentio est

actus voluntatis. Filius autem non procedit ex actu voluntatis, sed ex actu intellectus, siue potius ex illius fecunditate naturaliter & necessario agente: Sin autem usq. per intentionem intelligat, tendentiam agentis ad producendum sibi simile in quo naturaliter quodammodo representetur: sicut Filius valet ad representandum Patrem naturaliter, ratione similitudinis naturalis: Ita Spiritus sanctus, ad representandum spiratorem. Quare negati non potest, quin Spiritus sanctus dici possit imago naturalis respectu sui principij.

32. Secunda pars responsi, quod nihilominus non possit dici imago omni ratione, quia Filius, neque tam perfecte, probatur, quia Filius ex vi sue processionis non tantum est eiusdem nature, sed etiam habet communem fecunditatem spirandi cum suo principio: Vnde eatenus est illi similis: quod non habet Spiritus sanctus. Deinde vi sue processionis est immediatus, & primus, intelligentia & expressio, vt Verbum, & similitudo intentionalis sui principij: quod Spiritui sancto non conuenit. Adde quod, vt

recte Suar. lib. 11. in fine, Filius procedit secundum rationem intelligentiam, quæ prior est ratione amoris, ac magis essentialis est: Essentia enim non ita primò est amor, ac intelligentia: & intelligentia est clui facies, & tanquam id, secundum quod primò & præcipuè Deus innoscitur. Attenen ex D. Thom. quæst. 35. art. 1. in corp. sufficit ad rationem imaginis, si aliquid ab alio procedat, vt simile in specie, aut in signo speciei, quale signum est, v. g. figura propria alicuius speciei, vt leonis, vel hominis. Spiritus autem sanctus accipit naturam diuinam primò & immediatè secundum rationem amoris, quæ ratio non est minor, quàm figura. Quare Spiritus sanctus, est imago aliqua ratione, licet non æquè perfecte, & propriè, loquendo etiam de similitudine naturali, ac Filium. Neque propterea sequitur Spiritum sanctum, si est imago, esse Filium, aut esse genitum: quia ratio generationis plus requirit, quàm processionem qualemcunque in similitudinem nature. Vt ostendimus disput. 24. sect. 9. Et eatenus de personis in particulari.

## DISPUTATIO

## TRIGESIMA PRIMA.

De cõparatione personarum cum essentia, & inter se.

- Sectio I. De personis quoad essentiam, relationes, & notiones comparatis.  
 Sectio II. De personis inter se comparatis quoad aequalitatem.  
 Sectio III. De personis inter se comparatis quoad prioritatem.  
 Sectio IV. De personis inter se comparatis quoad circummissionem.  
 Sectio V. De personis quoad missionem inter se collatis.



De materia huius disputationis agit S. Thom. quæst. 31. partim etiam quæst. 39. & quatuor sequentibus: In quarum primâ docet quomodo sit loquendum ad cauendos errores Arii & Sabellij, seu quæ voces vsurpandæ, aut vitandæ sint in hoc mysterio, in quo cum magna cautela & modestia loquendum esse monet: quia vt rectè ait August. lib. 1. de Trinit. cap. 3. Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. In secunda disputat de cõparatione personarum cum essentia: docetque quomodo in ea identificentur, non obstante distinctione reali inter se: & quomodo nomina essentialia, abstracta vel concreta, substantiua vel adiectiua, possint, aut non possint de personis prædicari. In tertia tractat de cõparatione personarum cum relationibus & proprietatibus: quomodo scilicet ad illas se habeant.

quoad identitatem, aut distinctionem, & quoad modum concipiendi. In quarta comparat personas cum actibus notionalibus: docet, quae quomodo illi conueniant personis ad designandas earum origines, quaeque sint illorum principia & termini. In quinta, & sexta comparat personas diuinas inter se quoad aequalitatem, & similitudinem, quoad circuminfectionem, siue mutua inexistenciam aliarum in alijs, & quoad missionem. Quorum aliqua in superioribus disputationibus exposita fuerunt, vel in textu ipso D. Thomae satis perspicua sunt: reliqua scitu magis necessaria, vel quae aliquid habent nouae difficultatis, sequentibus sectionibus explicabuntur.

SECTIO I.

De personis quoad essentiam, relationes, & notiones comparatis.



IRCA huiusmodi comparationem, omisiss plurimis alibi explicatis, nonnulla quae pertinent ad modum loquendi in hoc mysterio, ex D. Thomae, praesertim quaest. 31. & 39. a ijsque Doctoribus noranda sunt. Ac primo supponendum, quaecumque sunt in Deo, siue essentialia, siue personalia & notionalia: siue absoluta, siue relatiua, communia, vel propria: duplici nominum differentia significari posse. Quaedam enim sunt abstracta, quaedam concreta. Prioris generis sunt ea quae significant aliquid vt formam aut actum: qualia sunt Deitas, Paternitas, &c. Posterioris vero generis sunt ea quae significant aliquid vt perfectum & constitutum forma, vel quasi totum quoddam: qualia sunt, Deus, Pater, genitor, generans, & similia: siue specialiter nomina sint iuxta modum loquendi Grammaticorum, siue uerba. Rursum praedicta nomina possunt multipliciter comparari. Videlicet concreta cum concretis, abstracta cum abstractis, & concretaque abstracta inter se. Item communia cum communibus, propria cum proprijs: vel permissa propria cum communibus, & communia cum proprijs eiusdem personae aut diuersarum. De quibus omnibus regulae quaedam noranda sunt.

Nomina diuina quaedam sunt concreta, alia abstracta.

Vtraque de Deo dici possunt.

1. Prima regula sit: Non solum nomina concreta de Deo dici possunt, sed etiam abstracta. Et non omnia de omnibus. Prima pars sumitur ex Concilio Laterano, cap. 1. & 2. de summa Trinit. & Rhemeni, cuius haec uerba sunt: *Credimus et confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, neque aliquo sensu Catholico negari posse, quin Diuinitas sit Deus, et Deus Diuinitas.* Huc vtque Concilium. In quo tamen de identitate reali attributorum, contra Gilbertum Porretanum, sermo erat: sermoque est, non posse negari quin sint idem realiter. Iuxta hunc uero loquendi modum dici potest, Deus

est essentia seu natura diuina: & uice uersa, essentia est Deus. Similiterque Paternitas est Deus: & Deus est Paternitas: & similia. Ratio huius est: quia Deus habet summam simpliciter eam summam perfectione. Ideoque propter simpliciter recte appellatur nominibus abstractis, quibus significari solent simplices rationes aut formae, extra ea quibuscum componunt. Et tamen quia cum illa simplicitate summe perfectus est, non male uocatur concretis nominibus, qualia nominis esse solent serum perfectum, & earum quae sunt constituta & complexa, non autem ad aliquid conueniendum pertinentes.

Secunda pars, quod non omnia de omnibus aequae dici possunt, traditur a Concilio Lateranensi cap. *Damianus*, ubi ait, *Natura diuina non est generans, neque genita, neque procedens.* Licet enim natura sit re uinum cum generante, & cum genito: tamen ipsi naturae perse, secundum rationem propriam quae est communis tribus, non potest tribui quod non est commune, neque confusum cum communi. Similiter cum uarij effectus ita conueniant Deo, ut ipsi inter se sint diuersi, & non conueniant Deo secundum omnem rationem: non bene tribuuntur cuilibet rationi diuinae, sed alicui tantum. Sic misericordia parit, & non uisceratur. Iustitia uero uisceratur, non autem parit. Sic etiam Pater creat, & Filius creat: non autem Paternitas, neque Filiatio proprie, secundum id quod addunt essentia, quod distinguntur realiter ab inuicem.

Secunda regula: Quia essentia in tribus personis una & eadem est, nomina quae diuersitatem essentiae significare uidentur, in hoc mysterio uariari debent. Et in uersum, ad declarandum numerum personarum utendum est ijs solum uocibus, quae solam distinctionem significant quoad supposita. Cauendi autem sunt illi loquendi modi, qui simul cum distinctione personali insinuare possunt distinctionem naturae, & omnis suspicio Ariani erroris tollatur. Sicut e contrario, in declaranda unitate earundem personarum cauenda sunt uocibus, quae confusione earum inducere possunt.

Non omnia concreta nomina diuina de quibus uocibus possunt.

Quomodo loquendum est de Trinitate.

Vox differe, an sibi admittenda: & vox, Divinum?

Itaq; vox aliud, & alius: alterum; & aliter

5. Nomina essentialia substantia non multiplicatur: scus adiectiva.

In substantiis habetur ratio formae expressae significatur: in adiectivis habetur ratio subiecti, quoad multiplicacionem, unitatem.

ne verbo genus incidamus in errorem Sabellij. Ita Star. lib. 3. cap. 13. eaque de causa D. Thom. q. 31. art. 2. post S. Hilar. lib. 7. de Trinit. in fine, suspensum habet verbum, differre, in divinis: quia videtur significare essentialium diversitatem. Gregor. tamen Nazianz. Damascen. Ricard. Victor. & alij illud usurpant pro differentia personali, ad quam non male extendi potest. Quare licet prior locutio sit cautior: posterior tamen nihil habet periculi: & ad vitandam suspicionem dici potest cum addito, personas divinas differre relationibus vel proprietatibus. Similiter virant Patres in hoc mysterio nomen diversitatis, & nomen, *Aliud*, in neutro substantivum sumptum: quia *diversum* in essentia denotare videtur. Licet usurpent nomen, *alius*: quia ex communi vsu loquendi denotat tantum suppositum distinctum. Vnde illud D. Augustini, aut potius Fulgentij lib. de fide ad Petrum cap. 1. *Vna est Pater, & Filius, & Spiritus sancti essentia. In qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud spiritus sanctus. Quamvis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius spiritus sanctus. Idemque habet Concilium Lateranense cap. Damianus.* Hoc autem est intelligendum de his vocibus absolute prolatis. Nam cum addito dici potest Pater, aliud suppositum à Filio, & cum addito Deus, falsum est dicere quod Pater sit alius Deus à Filio. Idem iudicium esto de voce, *alter, & alterum*, de qua & alijs id genus pariter videri possunt apud Suar. cap. cit.

Tertia regula: Nomina essentialia substantiis praedicantur de tribus personis singulariter tantum: adiectiva vero etiam pluraliter. Ita D. Thom. q. 39. art. 3. in corp. probatur, quia nomen, Deus, v. g. (& idem est de alijs essentialibus substantivis) non potest enunciari in plurali de tribus personis: neque enim fas est dicere Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse tres Deos. Dicuntur tamen esse tres consubstantiales, & coomnipotentes, à Concilio Lateran. cap. *Firmiter.* Eademque ratione dici possunt, tres aeterni, tres immensi &c. Quamvis Athanas. in Symbolo de quibusdam adiectivis id negat: sed substantivè intelligendus est. Ratio huius differentiae est, quia in substantivis essentialibus, aut etiam substantiis, quoad unitatem aut multitudinem, habetur tantum ratio formae expressae significatur: quae si unica est, nomen non potest multiplicari, sed singulariter tantum accipi. At omnia essentialia in Trinitate sunt unica veluti forma: ergo nomina substantiva essentialia, id est, significantia expressae essentiam, non possunt multiplicari, & pluraliter enunciari. In adiectivis vero quoad unitatem aut multitudinem, habetur ratio subiecti, aut quasi subiecti vel suppositi, cui quasi adiacens forma significatur. Ideoque si illud multiplex est, nomen adiectivum potest quoque multiplicari, & in plurali offerri. Ita D. Thom. & alij plerique, quos

sequitur Vasq; accuratissime hac de re tractans disp. 155. praecipue cap. 4. & 8. & Suar. lib. 3. cap. 11. praecipue num. 12. & 13. Quamvis alij existiment tam in concretis adiectivis, quam substantivis, habendam esse rationem significati expressi & formalis. Ac si illud est unicum; nomen debere singulariter accipi, loquendo strictè & magis proprie ac philosophicè. Vnde quia unica est Omnipotentia in tribus, sunt vnus omnipotens, non tres omnipotentes, vnus immensus, aeternus &c. vt Athanas. loquitur in Symbolo. Sed hac de re dicemus fusius & accuratius in tract. de Incarnat. disp. 6. sect. 3.

Quarta regula: Nomina personalia seu notionalia adiectivè sumpta non possunt praedicari de nominibus essentialibus, in abstracto sumptis. Neque enim dici potest quod essentia aut Deitas generet vel generetur, ex Lateran. cap. cit. Substantivè autem sumpta, vt sunt Pater, Filius, Spiritator, genitor &c. praedicari possunt tam in plurali, quam in singulari, de nominibus essentialibus tam in abstracto, quam in concreto sumptis. Sic v. g. dici potest non tantum quod Deus sit Pater: verum etiam quod Deitas sit Pater: quodque Deus aut Deitas sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Item quod Deus aut Deitas sit Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus: quodque Deus aut Deitas sit tres personae, aut quod Deus & Deitas sit Trinitas: vt colligitur ex Concilio Rhemensis contra Porretanum. Ratio huius est, quia in priori loquendi modo, *Essentia est generans* &c. significari videtur rationem formalem generandi esse essentiam, vt talem. In posteriori vero non ita: sed tantum, idem materialiter quod est essentia, esse genitorem: quod est verum. Etenim concreta, ex modo suo significandi, denotant rem totam atque perfectam. Et quae significatio concreti nominis non conveniunt secundum viam rationem, conveniunt illi secundum aliam. Distingueda nihilominus sunt diversa significata: formale seu explicitum, & implicitum seu materiale. Haec enim vox, Deus, ex. gr. significat Deitatem formaliter & explicitè; sed implicitè & quasi materialiter significat etiam Patrem, Filium, & Spiritum S. secundum proprias eorum rationes, totamque Trinitatem. Ex illis vero quae Deo tribuntur, quaedam ei conveniunt formaliter ratione Deitatis: quaedam non formaliter secundum illam, sed secundum aliam rationem: puta secundum Pateritatem, aut spirationem activam vel passivam: quae nihilominus Deo concretè sumpto verè tribui possunt, ratione materialis significati.

Quinta regula: Nomina propria diversarum personarum siue abstracta, siue concreta, negantur alia de alijs. Communia vero, tam abstracta, quam concreta de proprijs affirmantur: sed non aequè propria de communibus. Exempla sunt: Pater non

6. Nomina personalia & essentialia quomodo ac se invicem praedicantur?

7. Propriae negantur de proprijs diversarum personarum: communia vero de proprijs affirmantur.



est Filius, neque Paternitas est Filiatio. Pater est Deus, & est Deitas. Paternitas ipsa est Deitas, licet non solum & precise Deitas. Natura Diuina non est generans, neque genita, producens aut producta: quamuis Pater qui est generans, & Filius qui generatur, Spiritorumque producens, & Spiritus productus, sint eadem res cum natura. Quandoque tamen nomina abstracta essentialia, appropriatiue contracta, & a propria significandi modo abducta, coniunguntur concretis notionalibus & proprijs. Filius enim ab antiquis dicitur sapientia genita. Eodemque modo Spiritus sanctus, dici potest amor spiratus. Quae adiectiua non conueniunt simpliciter sapientia aut amori secundum proprium significandi modum: sed quasi transferunt illa substantiua abstracta, vt sumantur velut concretæ, vel connotatiue, aut notionaliter. Sapientia enim per se proximè & secundum se, neque generans est, neque genita: sed vocatur generatione Filij qui est sapientia, & est genitus, id est, realiter procedens à Patre per viam sapientia & intelligentia, quæ primariè illi communicatur.

8. Sexta regula. Nomina metaphysice abstracta, instar vniuersalium, à proprietatibus seu notionibus realiter distinctis, vnum ratione tantum significant, & realiter multiplicata: ideoque in numero multitudinis rectè efferi possunt. Vnde v. g. dici possunt tres existentia, relatiue, tres hypostates, tres entitates, perfectiones, æternitates, immetitates relatiue. Patet ex dictis dispo. 25. sect. 12. vbi hunc loquendi modum, & ratione, & Patrum, & Theologorum omnium auctoritate confirmauimus. Videri potest Suar. lib. 3. cap. 3. & sequent. vbi nobiscum sentit, & vniuersim notat, ex prædicatis quæ dicuntur de personis diuinis, quædam sumi ex sola essentia, & attributis eius absolutis. De quibus certum est non multiplicari, substantiue saltem, vt supra dictum est. Quædam verò sumi ex proprietate personali vel notionali: vt essentia genitorum vel spiratorum. Et de istis nulla est specialis controuersia. Nam si proprietates sit propria singulariter vnius personæ: clarum est nomen à illa sumptum multiplicari non posse. Quia & forma vel quasi forma, vnde sumitur, vna tantum est: & persona habens talem formam, est etiam vnica. Ideoque ne adiectiue quidem multiplicari potest. Quapropter Athanasius in Symbolo, *Vnus, inquit, Pater, non tres patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.* Si verò, forma illa sit communis pluribus personis, vt est spiratio actiua Patri & Filio: tum eadem erit ratio de illa, seruata proportione, quæ est de attributis essentialibus respectu trium personarum, de quibus supra diximus regula 3. Alia verò sunt prædicata communiora, magisque indifferentia, quæ ab essentia & à proprietatibus persona-

rum abstrahi possunt: vt sunt maxime transcendentalia prædicata, Ens, Vnum, Verum, Bonum. De quibus certum est, quatenus ab essentia sumuntur, non dici pluraliter de tribus personis, quia in essentia vnum sunt. Si verò sumantur à proprietatibus personarum realiter distinctis: possunt pluraliter enunciari, etiam substantiue: quia significant formam realiter multiplicem & ratione tantum vnã. Ad nominis autem substantiui & substantialis pluralitatem sufficit formam expresse significatam esse multiplicem: sicut & ad vnitatem, sufficit esse vniam.

## SECTIO II.

De personis inter se comparatis quoad æqualitatem.

Conclusio. Inter personas diuinas est vera æqualitas, & similitudo multiplex. Esse æqualitatem docent tanquam de fide symbolum Athanasij, vbi dicitur tres personas æternas sibi esse & cœquales: & Tolletanum VI. in professione fidei, vbi proficitur Filium per omnia esse cœqualem Patri, & in Trinitate tantam esse vnitatem substantia, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Ecclesia quoque Latina sic canit in præfatione Missæ de sanctissimâ Trinitate: *Vt in essentia vnitas, & in personis proprietates, & in maiestate adoretur æqualitas.* Maiestas autem existit ex omnibus quæ faciunt ad personæ dignitatem & perfectionem. Huc etiam pertinet illud Philip. 2. v. 2. *Cum in forma Dei esset, Christus scilicet, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Vt autem declararetur & confirmetur amplius conclusio proposita,*

Nota primò, Illa dici æqualia, quæ habent eandem quantitatem: sicut ea dicuntur similia, quæ habent eandem qualitatem. Secundò, Triplex quantitas est. Vna mollis, in continuis: alia numeri, in discretis: tertia perfectionis, in quibuslibet, siue spiritualibus, siue corporeis, continuis, aut discretis. Tertiò, Perfectio diuina, in qua fundari potest æqualitas personarum, multiplex est. Vna essentialis & cœmuniis: altera propria. Et iterum essentialis, alia est durationis siue æternitatis, alia immetitatis, alia intelligentia, alia voluntatis, alia omnipotentia. De quibus omnibus queri potest, vtrum in illis personis sint æquales. Quartò, vt aliqua dicantur æqualia, tria requiruntur. 1. Vt sint distincta realiter inter se. Quia idem non dicitur proprie sibi ipsi æquale, sed idem. 2. Vt habeant quantitatem eiuſdem rationis, secundum quam inter se comparentur. Vnde linea non potest dici æqualis Angelo, vel corpus numero. 3. Vt quantitas non sit maior in vno, quam in altero. Nam æquale dicitur per

negationem maioris & minoris. Et aequalitas generatim est convenientia in quantitate, cum priuatione excessus. In quo differt aequalitas à similitudine. Hæc enim potest pati excessum aliquem in altero extremorum: neque inindivisibili fita est, vt aequalitas. Vtraque vetò id commune habet, quòd requirat convenientiam, & adunationem quandam in forma, secundum quam est convenientia. Nam quòd magis res conueniunt, eò magis ad unitatem accedunt. Et licet neque aequalitas, neque similitudo exigat unitatem & identitatem realem in ea forma, seu ratione, in qua fundatur aequalitas, vel similitudo duorum extremorum: tamen illam compatitur. Ipò est maior conuenientia, quòd magis ad unitatem & reductionem diuersitatis acceditur, modò tamen sit realis aliqua distinctio inter aequalia, & similia. Quia aliqui foret omnimoda identitas, non autem aequalitas, vel similitudo, quæ sunt relationes mutæ inter extrema distincta.

His suppositis: Quòd inter tres personas diuinas sit aequalitas, & similitudo multiplex, patet: quia cum distinctione reali ab inuicem habent summam convenientiam in essentia, sine excessu & defectu. Ergo habent summam aequalitatem perfectionis, atque etiam similitudinem essentialem in illa: nam conuenientia in essentia seu natura, similitudo quoque dici solet, iuxta vulgatam definitionem generationis viuientium, *Est origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ.* Et quamuis olim Arii tempore vitaretur nomen similitudinis in diuinis, quia ille similitudinem sic admitteret inter Patrem & Filium, vt negaret identitatem naturæ; esseque vellet meram similitudinem sine identitate, & filium esse dumtaxat *quasi uocatus sensu illo, non operaturus*, vt contra illum Concilia definiuerunt: postea tamen inualuit nomen similitudinis inter personas diuinas, sensu Catholico prædicto intellectum. Imò primum Concilium Constantinopolitanum in professione fidei §. 8. admittit Verbum Deum consistere in aequalitate & similitudine cum Patre, Græcè *ὁμοῦς*. Et ibidem ait vocari in Scripturis imaginem & characterem Patris, propter essentia unitatem. Sic Hilar. in lib. de Synodis, anathematismo 3. & quatuor sequentibus contra Arium, aduertit similitudinem etiam in essentia. Idemque docent S. Thom. q. 31. artic. 2. & q. 42. art. 1. ad 4. & omnes alij Theologi, definiētes generationem, diuinam etiam, processionem siue originem viuētis à principio viuētis coniuncto in similitudinem naturæ.

At non est solùm convenientia & aequalitas, vel similitudo inter personas secundum essentiam: sed etiam secundum proprietates. Aequalitas quidem absoluta est inter illas singillatim sumptas, & singillatim comparatas: nisi fortè spiratio passiva duabus aliis in

Patre & Filio æquiparanda sit, iuxta ea quæ diximus disp. 25. sect. 10. nùm. 3. Inter eandem verò est similitudo secundum quid: quia licet differant secundum proprias & vltimas rationes: potest tamen ab illis abstrahi ratio vniuoca relationis, in qua conueniunt. Vnde sicut dicitur personas conuenire in essentia: ita dici potest conuenire eatenus in proprietatibus. Præterea sicut conueniunt omninò æqualiter & sine excessu in essentia totaliter & adæquate sumptæ: sic & in attributis singulis essentialibus, intellectu, voluntate, omnipotentia, immensitate, æternitate, &c. Neque aequalitati durationis seu æternitatis obstat prioritas originis. Quia productum potest esse coæuum producenti, cum solo ordine naturæ vel originis, vt in rebus naturalibus notum est. Non itè obstat aequalitati in omnipotentia, quòd potentia ad intra, quæ est in producente, non sit in persona per illam producta. Nam potentia vel omnipotentia, dicta absolute, quæque est essentialis, dicitur de principio ad extra, non ad intra. Hæc autem principium est vnum & idem in omnibus personis. Quare sunt æquè omnipotentes, quamuis non omnes formaliter habeant vim producendi ad intra. Formaliter, inquam: nam eminenter omnes eam continent in essentia.

Quærunthic aliqui, an relationes aequalitatis & similitudinis, sint reales in diuinis. Respondeo, ne quidem esse in creatis, nisi fundamentaliter: compleri autem per actum mentis comparatis inter se, & denominantis æqualia vel similia, ea quæ habent quantitatè eandem, aut eandem qualitatem: vt binarium & binarium, album & album. Etenim nomen aequalitatis non dicit aliud in re, nisi quòd in rebus distinctis sit quantitas eadem aut eiusdem mensuræ: & inæqualitas, quòd sit diuersæ. Sublatoque respectu, quolibet, aut alia ratione reali, palmus & palmus sunt æquales, aut binarius & binarius, hoc ipò quòd vterque est palmus, aut vterque est binarius. Estque prorsus impossibile non esse æquales, quàm diu hoc erit. Ergo non constituntur æquales per relationem superuenientem. Nam quando res seipsa habet aliquòd: non habet illud per rem aut rationem superuenientem: & magis superfluè dicitur illi habere per aliud. Idemque dico de similitudine inter album & album. Sunt enim similia eo præcisè, quòd vtrunquè album est, quocunque alio re vel ratione circumscripto. Et quamuis intellectus occasionem hæc sumat comparandi vnum cum alio, atque illud verum relatum denominandi, nomine sumpto ex tali comparatione: in re tamen non est relatio, sed est planè superflua vt res constituantur & sint à parte re similes, aut æquales. Sufficere enim vtrunquè esse album, vt sint similes: aut vtrunquè esse palmatis quantitatè, vt sint æquales.

11. Tres personæ diuinae sunt æquales in essentia. Possunt dici & similes.

12. Sunt etiam æquales secundum proprietates: & aliquæ sunt similes.

13. Relationes aequalitatis & similitudinis sunt reales in diuinis.

SECTIO III.

De personis inter se comparatis quoad  
prioritatem

4. **C**onclusio: Datur vera & realis prioritas originis inter personam producentem, & productam. Est communis Theologorum Scoti, Gabrielis, Gregorij, Canari, & aliorum, quos citant & sequuntur Vasq. disput. 167. cap. 1. & 2. Suar. lib. 4. cap. 15. & Ruis disput. 105. sect. 4. qui eandem probant sanctorum Patrum auctoritatibus. Haec autem prioritas in eo consistit, quod inter personas diuinas una realiter sit ab alia, non sicut veritas ratione cuius, & non merè arbitrariè, Pater vocatur prima persona, Filius secunda, Spiritus S. tertia. Et Pater dicitur esse principium Filij: idemque Pater, & Filius, dicuntur principium Spiritus sancti. Principium autem prioritatem, quandam sonat, tanquam id à quo est aliud. Potestque hæc prioritas reuocari ad prioritatem nature, qualem admittit Aristoteles inter causam & effectum, præcedendo tamen ab imperfectione causæ, & sistendo præcisè in ratione principij realitè producentis. D. quidem August. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. longe à fine, illam vocat *ordinem nature non substantiæ inæqualitatem; non quod alter prior altero. (duratione) sed quod alter à altero.* Similique modo loquitur Thom. qu. 42. art. 3. c. cum sic argumentatur: Inter ea quorum vnum est ex altero, est ordo originis, qui est ordo nature. Atqui personarum diuinarum vna est ex alia: ergo inter personas diuinas est ordo nature: non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero. Vel etiam dici potest ordo nature, ex eo quod non liberè, sed naturalitè & necessariò, seu ex mera natura rei, effectus diuina exigit primò & immediatè, ac sine productione, esse in Patre. Tum in Filio, per processionem à Patre: & in Spiritu sancto, per processionem ab utroque: vt explicat Suar. cap. cit. num. 7.

5. Idem S. Thom. eadem qu. 42. art. 3. quem Molina ad eundem art. & Becan. cap. 8. qu. 3. imitantur, licet inter personas ordinem processionis & nature admittat; non vult tamen esse ordinem prioritatis & posterioritatis. Sed inhilominus prioritas & posterioritas, eo sensu quo superius explicata fuit, admitti potest: sicut admittitur communiter ab alijs Theologis, & à sanctis Patribus: vt à Basilio lib. 2. contra Ernom. *In iis, inquit, causam esse priorem diuinus; posteriori autem, quod ab illa est.* Et paulò post dicit non posse ordinem in personis diuinis negari, *in quibus est prius & posterius, non positione nostra, sed naturali quædam conseruatione.* Et Nazianz. orat. 29. longe à fine. *Ex ipso quidem est: nempe ex Patre Filius: Ceterum non post ipsum: aut saltem sola principij*

Est prioritas originis inter personas diu. & quid illa sit?

cogitatione, Id est, non est post ipsum duratione: sed tantum consideratione, seu ratione originis. Et S. August. vel quis alius apud ipsum author libri de triplici habitaculo cap. 6. *Pater non præcessit, Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum.* Origenes quoque hom. 2. in varios, explicans illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum,* ait Patrem præcedere Verbum, non naturà, sed causà. Sumendo causam pro principio & origine, vt solent Patres Græci. Et Chrysost. om. 5. homil. 9. super illud Genes. *Pone manum tuam subter femur meum,* sic loquitur: *Patrem primò nomino, non qui ordine (temporis aut dignitatis) primus sit; sed ratione & sententiæ (id est, ordine rationis & originis) siquidem ille vnigeniti Filij genitor existit.*

Argumenta verò Molina in contrarium & Becani, infirma sunt. Primum est, quia personarum diuinarum sunt relatiuæ. At relatiuæ sunt simul natura & cognitione, ex Aristotele cap. de relatis. Ergo personarum diuinarum sunt simul natura & cognitione. Secundò, Pater non potest esse, nec intelligi, sine actione: nec actio sine termino: idemque est de spiratore, respectu spiritus sancti. Ergo non est prior. Addunt tertio illud Athanasij in Symbolo: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius,* quod absolute & vniuersaliter intelligendum est. Item quarto; si Pater est prior ordine originis: ergo cum ipse habeat fecunditatem spiratuiam, spirat pro illa priori Spiritum S. Quare non est, cur ergo Spiritus sancti sit à Patre & Filio: imò non potest produci à Filio, quia prius produciuit à solo Patre, qui prius origine habet fecunditatem spirandi à seipso.

Ad primum Respondeo, dictum illud Aristotelis intelligendum esse, vt ab ipso prolatum est, de relatis prædicamentibus, quod attinet ad similitudinem nature. Quæ relata, quia simul existere dicuntur, & neutrum esse alterius causa (exurgunt enim pariter positæ fundamento & termino) ideo dicuntur esse simul naturâ, vt docent Logici in Postprædicamentis. At verò relatiua transcendentalia, qualia sunt in diuinis, tamen vnum cognosci nequeat sine alio, cum aliud se habeat vt terminus spiritus; atque ita fiat simul cognitione: possunt tamen ita se habere, vt vnum sit ab alio, non vice versa: atque ita habere naturam ordinem vel originis inter se. Sic effectus est ab agente, vt agente: licet agens vt agens, siue actio, non sit prius cognitione, quam terminus quem ponit.

Ad secundum Respondeo similiter, licet Pater adæquatè, & secundum vltimum propriumque conceptum, non possit concipi sine Filio: concipitur tamen tanquam id à quo est Filius, & non ipse à Filio. Ad tertium dico, illud Athanasij intelligendum esse de prioritate durationis: iuxta id quod subiungit: *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæuales.* Coæternæ, quia nihil prius aut posterius, duratione scilicet, & coæuales

Chrysost.

16. Respondeo  
per con-  
arguentia

17

18

les quia nihil maius aut minus. Ad quartum respondeo Patrem quidem habere a se, id est, non ab alio, virtutem generatiuam & spiratiuam: non tamen sine ordine aliquo rationis. Quemadmodum enim fecunditas generatiua, est intellectus: & spiratiua, est voluntatis: ipse vero intellectus est ratione prior voluntate. Ita fecunditas intellectus est ratione prior fecunditate voluntatis, & prius exit in actum secundum productionis & communicationis. Quapropter Filius quaque prius ordine quodam oritur a Patre, quam Spiritus S. a suo principio. Ideoque Filius, qui prius a Patre procedit, & per suam processionem habet a Patre communicationem, non solum naturam, sed etiam fecunditatem, voluntatis ipsi non repugnantem, est sufficienter prior, vt possit cum Patre esse vnus spirator, & vnum principium Spiritus S. Ac necessario debet Spiritus S. ab vtroque procedere, cum spirandi fecunditas sit communis vtrique.

SECTIO IV.

De personis inter se comparatis quoad circuminseccionem.

19. Circuminseccio quid sit?

Circuminseccio personarum diuinarum, Græcè *μετακρίσις*, definitur à S. Dionysio cap. 2. de diuin. nomin. Personarum aliarum in aliis omnino coniuncta, & nulla cum parte confusa mansio & sedes. Vbi per particulam, *Omnino coniuncta*, intellige cum omnimoda inseparabilitate ex vtraque parte. Ita vt qualibet persona diuina ex absoluta necessitate sit in alia reciproce: & qualibet in qualibet, mutuo & quasi per circulum permanentem infideat, sitque inmanens, & inexistencia vnus in alia absolute necessaria. Quo pacto Deus non existit in creaturis, & creatura in Deo: sed contingenter tantum, & ex hypothesi quod sint.

20. Datur inter personas diuinas.

Sic autem se habere personas diuinas ad inuicem habetur primò ex Scriptura Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Quæ verba licet de Filio tantum dicta sint: tamen eadem ratione de Spiritu S. sunt vera. Secundo idem expressè docent sancti Patres vt Hilarius lib. 7. de Trin. in fine, vbi dicit *Personas diuinas esse in sese inuicem, per unitatem & proprietatem natura.* Fulgent. de fide ad Petrum cap. 1. *Per hanc, inquit, unitatem naturarum totus Pater in Filio & Spiritu sancto est. Totus Filius in Patre & Spiritu sancto: & totus Spiritus sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est.* Et Damasc. 1. de Fide cap. 9. ait, Verbum manere in Patre, tanquam subsistens in subsistente, & cap. 10. Spiritum sanctum vocas inseparabilem & indigestibilem à Patre. Ecclesia denique Latina in hymno quodam officij diuini sic canit:

In Patre totus Filius: Et totus in verbo Pater.

Rationes verò huius immanentie tres sunt. Prima, quia eadem est natura in tribus personis, & proprietates cuiusque est eadem re cum natura, & ab ipsa localiter inseparabilis, ipsique necessario vbique velut intimè coniuncta, seu potius identificata. Vnde fit, vt vbicumque est essentia, ibi quoque sint intimè Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & consequenter Filius sit in Patre, Pater in Filio, Spiritus sanctus in vtroque, & vterque in Spiritu sancto. Secunda ratio est, quia essentia, & proprietates quælibet personarum diuinarum, est immensa ex absoluta necessitate. Vnde fit vt nusquam possit esse Pater, quin ibi sit Filius & Spiritus sanctus: ac vice versa. Quia omnes vndeunque, tam ex parte essentia, quam ex parte proprietatis personalis, sunt immensi, & omne spatium reale vel imaginarium occupant indiuisibiliter, id est, toti in toto, & toti in qualibet parte spatij. Tertia est, quia in isto nobilissimo productionis modo, terminus productionis est omnino indistans à suo principio, & intimè illi conuictus ac præsens: et hoc necessario in omnibus, in quibus est principium: licet non eodem modo. Nam hypothesi Verbi est in Christo componens illum, atque constituens: quò modo non est Pater in Christo, neque Spiritus sanctus. Simpliciter tamen vbicumque est Pater, est Filius, & vbicumque est spirator, est & Spiritus sanctus.

21. Causa illius triplicis.

Henricus in Sūma, vt refertur à Scoto in 1. dist. 19. q. 2. §. De primo, & Durand. in 1. dist. 19. q. 3. existimant personas diuinas secundum se totas, id est, etiam secundum suas proprietates, non esse alias in aliis, sed tantum secundum essentiam. Primò, quia paternitas, vt sic, non potest esse in Filio: alioqui Filius esset Pater. Secundo, quia persona ratione suæ proprietatis est id, quod est ad aliam. Ergo non potest esse ratio essendi in alia, quia hæc habitudines sunt oppositæ. Tertiò, quia sancti Patres totam rationem huius circuminseccionis non aliam esse dicunt, quam naturæ unitatem.

22. Henric. Durand.

Ad primum, distinguo antecedens. Non potest esse paternitas vsque in Filio, formaliter & constitutiue, concedo. Localiter & præsentialiter, nego. Neque ex hoc secundo modo essendi sequitur Filium esse Patrem: sicut Deus non est lapis, etiam si Deus sit localiter intusus lapidi, & lapis Deo.

Soluantur argumenta contraria sententia.

Ad secundum & tertium, Respondeo essentiam & proprietatem esse id, secundum quod personæ diuinæ sunt, aliter in aliis materialiter: formalem vero rationem huius circuminseccionis, esse intimentiam præsentiam, & correspondentiam mutuum: causalem & velut effectiuam, ac rationem proper quam, esse triplicem illam superius explicatam: quarum prima præcipua est, & à

23.

NO

sanctis Patribus magis expressa, tametsi alias non negauerint, multoq; minus quoddam etiam secundum proprietates sint alia in aliis. Neque repugnat vnam personam diuinam esse ad aliam formaliter per suam proprietatem relatiuam: & esse in alia localiter per eandem: quatenus id ad quod relatio est, existit intime in eodem spatio in quo est relatio.

24. Duo autem in personis diuinis distinguenda sunt. Vnum quoddam sint vna natura. Alterum quoddam sint personae distinctae. Ex quibus non dicitur vna persona esse in alia, prout solum est vnum & idem cum illa: sed dicitur vna esse in alia, vt distincta in distincta. Ideoque Scriptura tribuit illam inexistentiam personis ipsis secundum se, vt distinctis in inuicem, Ego in Patre, & pater in me est. Ioan. 14.

Personae diuinae sunt aliae in aliis per essentiam, praesentiam, & per potentiam.

Adde cum D. Thom. qu. 42. art. 5. & Suarez lib. 4. cap. vltim. num. 5. Personas diuinas esse alias in aliis per praesentiam, per potentiam, & per essentiam, aliqua ratione proportionaliter, vt Deus dicitur esse in rebus omnibus per praesentiam, potentiam, & essentiam. Per praesentiam quidem qualibet est in alia, quatenus illam cognoscit necessario, neque potest vel a se, vel a nobis perfecte cognosci sine alia correlatiua. Per potentiam vero Pater est in Filio, & Pater & Filius in Spiritu sancto, quatenus Pater est principium aequale Filij, & Pater ac Filius sunt principium Spiritus sancti. Per essentiam denique, sive substantiam & entitatem, modo superius explicato, quatenus scilicet omnes substantialiter intime sibi sunt localiter praesentes.

25. Adde praeterea, quod recte notat Ruis disp. 30. sect. 6. circuminfectionem personarum inuicem immanentium, complere in vnaquaque persona plenitudinem perfectionis, iuxta illud Coloss. 2. vers. 9. in ipso Christo, in habet ad omnis plenitudinem diuinitatis corporaliter. Quem locum ponderans Hilarius, lib. 9. de Trinit. fere initio, & conferens cum illis Christi verbis Ioan. 14. Ego in Patre, & Pater in me est: sic ait: Apostolo corporaliter inhabitantis Diuinitatis plenitudinem in Christo docente, ab his haec est omnia temeritate assertio. Cum naturale unitatem in corpore. Diuinitatem habitum ad corporalem efficeret, vt id quod non solum Filius, sed quod in eo manet Pater, &c. Quibus verbis significat requiri Patrem in Filio manere, ad hoc vt in Christo corporaliter inhabitet omnis plenitudo diuinitatis.

Circuminfectio compleret plenitudinem cuiusque personae diuinarum.

Et clarius Athanasius, li. 5. de vaitate Trinitatis prope finem, vbi personarum circuminfectionem vocat indiscretam plenitudinem diuinae Trinitatis: vel plenitudinem substantiae indiuitae Trinitatis. Et orat. 1. contra Ariam longe a fine, Verbum appellat plenitudinem diuinitatis Patris. Par autem est ratio, vt Spiritus sanctus sit plenitudo diuinitatis Patris & Filij. Similiter Cyrilus Alex. lib. 1. Theop. cap. 6. ante medium, Filium nominat plenitudinem Deitatis Patris. Et An-

selm. in Monologio cap. 57. colligit aequalitatem personarum diuinarum ex eo quod totus Pater est in Filio, & communi Spiritu: & Filius in Patre, & eodem Spiritu: & idem Spiritus in Patre & Filio. Et nimirum ex illa immanentia vitali vnus in alio, absolute necessaria & inseparabili, vnus personae perfectio redundat in aliam. Perfectio, inquam, non modo essentialis, quae in tribus eadem est: sed & propria, quae quicquid est alterius personae est, ad quam refertur, cuique intime inest inseparabiliter: ita vt absoluta necessitate propter illam sit, ac sine illa omnino esse non possit. Quo sensu Gregor. Nazian. orat. 49. multo ante finem, sic ait: Totum Patri adscribimus quod est Filij: & totum Filio, quod Patris est. Nihil enim non videbitur Patris, quod indicabitur Filij. Nihil non Filij, quod indicabitur Patris. Ob eandemque causam dicunt aliqui Patrem, vnam esse perfectionem omnium personarum Diuinae Trinitatis: & tantum esse vnam, quantum tres simul: nec plus aliquid duas, quam vnam: vt loquitur S. Augustinus, lib. 6. de Trinit. cap. 10. in fine: sumendo scilicet personam quamlibet cum immanentia & pertinentia relatiua aliarum: ratione cuius, quicquid est vna, est alterius: & quicquid est trinum, est cuiuslibet. Vnde subiungit Augustinus, ibidem: Ita & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & vnum omnia. Et tract. 29. in Ioan. loquens de Filio, seu Verbo diuino: Quid, inquit, non tantum vnusquam tu, si alicuius es quod es?

SECTIO V.

De personis quoad missionem inter se comparatis.

26. Quid personae diuinae aliae mittantur ab aliis docet aperte Scriptura Ioan. 5. Datur enim qui misit illum. Et cap. 8. Ego, & qui misit me Pater. Et ad Galat. 4. Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Quae & similia de Filio non tantum de homine, sed etiam vt Verbo secundum se & extra idioma communicationem intelligenda sunt. Iuxta illud D. Augustini, lib. 4. de Trinit. cap. 20. initio, Non tantum dicitur missus Filius, quia Verbum caro factum est: sed etiam Verbum est missum, vt caro ferret. Item de Spiritu S. Ioan. 14. Cum uerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis, spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Idem communiter tradunt sancti Patres. Quorum si aliqui negauerunt interdum mitti personas diuinas: intelligendi sunt de missione cum imperfectionibus, quae in missionibus creatis reperiuntur: non autem de missione absolute sumpta, & ab his imperfectionibus libera. Vt autem declaratur, quid & quotuplex sit diuina missio.

27. Nota primò, Missionem in humanis esse motionem quandam vel impulsionem alicuius ab aliquo, ad aliquem finem & terminum. Sic enim dicitur mitti nuncius, & sagitta, aliaque similia. Differuntque inter se *mitti, & venire, aut ire.* Quia *mitti*, significat motum procedentem à principio quodam extrinseco, agente in rebus insensibilibus per impulsionem realem, ut cum mittitur lapis vel sagitta: in rebus verò rationabilibus, per imperium, vel consilium: ut cum mittitur nuncius. In personis autem divinis non potest esse motio, neque impulsio localis, aut imperium: sed eorum loco est processio vnius personæ ab alia, à qua, cum origine, habet intelligentiam, & voluntatem, & virtutem, per quam operatur. Ultra quam processionem, missio personæ divinæ significat quandam effectum novum, & aliquem novum existendi modum, qui propriè aut appropriatiè convenit personæ procedenti, ratione eius quod habet à suo principio.

28. Ita ut missio in divinis tria importet. Primò, processionem, ratione cuius persona producens habet quandam auctoritatem in personam procedentem, quam auctoritatem importat missio. Significat enim verbum mittendi, auctoritatem quandam mittentis in missum. Unde neque sacerdos in sacramento administrando mittit Spiritum sanctum: neque qui Deum rogar & gratiam eius impetrat: defectu talis auctoritatis: ut rectè notat Suar. lib. 12. cap. 3. num. 3. & 4.

Secundò, importat communicationem illius actus voluntatis, seu determinationis liberæ, quæ effectus aliquis temporalis decretus est. Quam determinationem persona procedens à producente accipit in radice, vi suæ processionis. Differt autem hæc communicatio à processione: quia ista est non necessaria: illa, in radice contingens & libera: ac si Deus nihil ad extra exequi decrevisset; esset processio personæ, absque communicatione talis determinationis, quippe quæ nulla foret. Hæc autem communicatio & processio in divinis, est loco imperij, vel impulsus & motionis localis, in creatis.

29. Tertiò, importat executionem alicuius effectus temporalis, ratione cuius persona mitti dicitur, & adesse alicubi nouo modo, non tantum per effectum illum, sed etiam per se & secundum se; quatenus ille effectus talis est, ut quodam necessitate, physica vel moralis, exigat & adiunctam habeat substantialem præsentiam personæ divinæ. Ut v.g. unio hypostatica, secundum quam Verbum diuinum peculiariter missum fuit, & datum naturæ humanæ Christi Domini, physica necessitate exigit præsentiam substantialem eiusdem Verbi. Ad eò ut si per impossibile Verbum non esset ubique: esset tamen ubi Christi humanitas est, vi illius unionis hypostaticæ. Sic etiam gratia habitualis & caritas exigit moraliter Dei præsentiam: qua-

renus per charitatem perfectissima, quadam amicitia inter Deum & hominem efficitur: amicitia verò per se expetit moralitè unionem inter amicos, non tantum per affectuum conformitatem, sed etiam per inseparabilem præsentiam & conjunctionem, quoad fieri potest. Quare si per impossibile Deus alioqui non esset ubique: esset tamen in anima sanctificata. Ac si cum Durando missionis nomen extenderemus ad effectus etiam naturales, & ad naturæ donata, exod. 12. Thom. & alij communiter negant) adhuc tamen esset ratio necessitatis præsentia divina, ubi perfectissimum operandi modum, quo Deus operatur per instantiam substantialem, & conjunctionem intimam, veluti plenius possidendo & dominando magis in affectum. Idque in aliquibus effectis gratiæ deinde est. Quamquam illorum est ratio peculiaris, quatenus omnia specialiter ordinantur ad gratiam & charitatem, atque amicitiam illam perfectissimam, ratione cuius Deus specialiter in iustis inhabitat. Omnia, inquam, etiam illa quæ vocantur gratis dato: dantur enim ut ipsi accipienti, sicut & aliis, possint aliquo modo ad salutem.

Inde sequitur primò, ex personis divinis solas illas quæ producuntur mitti posse, Filium scilicet, & Spiritum sanctum. Quibus etiam solis in Scripturis missio passiva tribuitur. Pater autem dicitur quidem venire Ioan. 15. sed non mitti. Sequitur secunde personas productas miri tantum posse à personis à quibus procedunt, nempe Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Patre & Filio: non autem Filium à Spiritu sancto, aut à seipso. Quod si aliquando D. August. ait Filium mitti à Spiritu sancto, intelligendus est de Filio, in quantum homine. Cum autem dicit Spiritum sanctum mittere seipsum; improprie sumit *mittere*, pro *donare*. Mittere autem proprie plus dicit, quàm *donare*, aut etiam quàm *venire*. Unde licet in omni missione sit *ventio*, & qui mittitur veniat: non tamen omnis qui venit mittitur: neque omnis *ventio* est *missio*.

Dices, quæ sunt commemorata non sufficere ad veram & propriam rationem missionis. Nam in humanis, si unus homo alium mitteret, non satis est quod illi det virtutem eundem: sed necesse est imprimere illi aliquo modo voluntatem eundem, sive impellere ipsum ut eat; alioqui quocumque esset Filius inter homines, mitteretur à Patre. At persona diuina non dat productæ voluntatem liberam eundem: sed hæc illam habet æque primò: ergo, &c.

Respondeo cum Suar. lib. 12. cap. 2. nu. 7. Personam productam habere à producente liberam illam voluntatem, triplici de causa. Primò, quia habet illam eandem entitatem quæ, sine addito reali distincto, est libera determinatè per habitudinem liberam ad obiectum. Secundò, quia accipit voluntatem cum tali concordia, ut quicquid volitura est persona producens, volitura sit producta.

Vnde si t libera determinatio possit aliquo modo tribui prius producenti, sicut spiratio tribuitur prius Patri, est formaliter a què primò est in Filio. Tertio, voluntas illa libera, est secundum inclinationem bonitatis diuinæ, quam persona producens communicat productæ, & secundum consilium suæ sapientiæ. Quod satis est. Nam inter homines, quando vnus mittit alium: non imprimit illi immediatè & formaliter voluntatem eundem: sed satis est quòd tribuat morale impulsum per imperium, vel consilium.

32. Nota secundò, Tria supra commemorata includi in conceptu totali missionis perfectæ. Licet enim aliquo sensu sola processio missio dici possit: sicut arbor dicitur flores aut fructus mittere, vel emittere, id est, producere: vt notat D. Thom. quæst. 43. art. 1. in corp. Itemque missio vocari possit æterna illa communicatio libera voluntatis & determinationis de effectu temporaneo, quæ est veluti prima motio & impulsio: nam & lapis, tum etiam dicitur mitti, cum primum impellitur: & nuncius, cum accipit imperium eundi: Integra tamen & perfecta missio executionem ipsam includit, & per illam perficitur. Atque ita sumitur à D. Thom. quæst. 43. art. 2. & ab aliis communiter, quòd idem missionem diuinam sunt esse temporalem, ratione illius executionis quæ re ipsa temporaliter fit: licet ab æterno fieri potuerit, idque conceptui missionis non repugnaret. Illa tamen missio diuersa esset rationis eatenus ab ea quæ de facto est, de qua dumtaxat loquimur in præsentia. Neque in eo casu persona missa esset nouo modo, sed potius alio modo, & alio titulo, in eo ad quem mitti diceretur.

33. Nota tertio, Cum missio importet executionem alicuius effectus: posse hunc effectum esse visibilem aut inuisibilem, id est, sensibilem vel insensibilem. Prioris exemplum est, quando Filius Dei visibiliter apparuit in carne: & Spiritus sanctus in specie columbæ, aut in linguis igneis. Exemplum posterioris est, quando per gratiam, & dona spiritualia, incipit Deus esse in mentibus hominũ. Item reiectis licet effectis naturalibus, & nature donis, quibus iuxta D. Thom.

qu. 43. art. 3. & alios communiter, non conuenit ratio missionis, neque illis in Scriptura tribuitur, sed tantum effectibus superantibus naturæ ordinem, & pertinentibus ad ordinem gratiæ, ratione quorum dicitur persona diuina nouo peculiari modo, aut alio titulo, esse in creaturis, in quibus ante propter dona naturæ inerat, per essentiam, præsentiam, & potentiam: Adhuc tamen gratiæ dona multiplicia sunt. Quædam sunt ipsa gratia habitualis, & aliæ virtutes infusæ, aut dona habitualia. Quædam sunt gratiæ actuales, vt auxilia supernaturalia: siue præuenientia, vt illuminationes intellectus, & motiones voluntatis: siue concomitantia, vt concursus ad actus supernaturales exercendos: siue subsequencia, vt auxilia data ad perseuerandum, intuitu bonorum operum præcedentium. Quæ tamen omnia ad gratiam sanctificantem ordinantur, ac tandem ad gloriam. Vterius missio est necessariò alicuius ab aliquo, vel Filij à Patre, vel Spiritus sancti ab utroque, vel etiam Filij simul & Spiritus sancti à Patre: Potest enim uterque simul mitti, & cum illis Pater etiam, non mitti, sed venire: vt in iustificatione & glorificatione fit.

Hinc existunt variæ missionum differentia, tam ex parte obiecti, quam ex parte modi, aut personarum mittentium aut missarum: de quibus videri potest Suar. lib. 12. cap. 4. & sequentibus. Cum quo denique ad uero missionem tribui aliquando peculiariter Filio, vel Spiritui sancto: quia vel speciali modo se habet: vt Filius in Incarnatione, Vel peculiariter repræsentatur: vt Spiritus sanctus in visione columbæ. Vel quia id quod datur, peculiariter ei conuenit: vt charitas & amor Spiritui sancto, sapientia Filio. Ac si dantur, vt sæpissime fit, utraque dona simul, sed cum excessu alterius: tunc etiam dicitur specialiter, quasi per antonomasiam, mitti persona illa, cui tale donum appropriatiue conuenit: Filius v. g. quando maioræ dantur sapientiæ dona: Spiritus verò sanctus, quando amoris dona præminent. Alioqui verò non est cur vni potius tribuatur hæc missio, quam alteri, ratione doni. Et eatenus de Deo vt no, & Trino, ad maiorem ipsius gloriam dictam sit.

Sanctæ sit Triadæ laus pia iugiter.  
Cuius perpetuo numine machina  
Triplex hæc regitur: cuius in omnia  
Regnat gloria sæcula.  
Amen.

TRACTATUS